R. BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III.
RACCOLTA
VILLAROSA
B
387
NAPOLI

D.
2-3

V.ll. B. 387
527409

TENTAMEN
THEOLOGICUM

IN QUO DEMONSTRARE CONATUR AUCTOR

Ubi Apoſtolica Sedes adiri non poſſit, devolvi ad Dominos Epiſcopos facultatem diſpenſandi in publicis impedimentis Matrimonii, providendique ſpiritualiter in ceteris rebus omnibus Romano Pontifici reſervatis, quoties id publica urgenſque ſubditorum neceſſitas poſtularit.

A ſe primum Luſitanice ſcriptum, ſemelque & iterum typis commiſſum, deinde a Venetis Italice verſum

DENUO RECENSUIT

LATINITATE DONAVIT

CREBRISQUE ADNOTATIONIBUS ILLUSTRAVIT

ANTONIUS PERERIA FIGUEREDIUS

Presbyter ac Theologus Olyſiponenſis, Regiæ Curiæ Cenſoriæ Xvir Ordinarius, Regiſque Fideliſſimi ab Epiſtulis Latinis.

Ad calcem Operis ſubjungitur ejuſdem Auctoris Reſponſio Apologetica ad Cenſuram Gabrielis Galindi Theologi Matritenſis, jam ſuperiori anno ſeorſim edita.

OLISIPONE
APUD ANTONIUM VINCENTIUM SILVIUM
ANNO MDCCLXIX.
Permiſſu Regiorum Cenſorum.

Biblioteca Nazionale NAPOLI

Digitized by Google

527409

Sanctus Cyprianus in Libro de Unitate Eccleſiæ :

Epiſcopatus unus eſt , cujus a ſingulis in ſolidum pars tenetur .

Sanctus Gregorius Papa Magnus in Libro IX. Epiſtula LXVIII. ad Euſebium Theſſalonicenſem :

Si unus univerſalis eſt , reſtat ut vos Epiſcopi non ſitis .

Digitized by Google

AD EXCELLENTISSIMOS
REVERENDISSIMOSQUE DOMINOS

EPISCOPOS
ET
ARCHIEPISCOPOS

Regni Luſitanici Coloniarumque ejus.

EXCELLENTISS. AC REVERENDISS. DOMINI.

Qui Liber totus eſt in demonſtrandis tuendiſque Juribus Epiſcoporum, quique ea non meo ſolum, ſed quatuor etiam Cenſorum graviſſimorum judicio ſolide demonſtrat ac tuetur; Liber is, inquam, neque aliis dicari debet

a 2 *quam*

Biblioteca Nazionale

quam Epiſcopis, neque poteſt ulla ratione Epiſcopis non probari. Talis vero Liber eſt, Excellentiſſimi Antiſtites, quem nunc Vobis ſiſto. Qui quot Principia ſtatuit, (ſtatuit autem decem) tot nobiliſſimas incorruptiſſimaſque Perceptiones complectitur, quibus plane doceamur, quanta res ſit eſſe Epiſcopum. Perceptiones ab Spiritu Sancto traditas in divinis Scripturis: Perceptiones a primis ſæculis in ſacro Apoſtolicæ Traditionis Depoſito conſervatas: Perceptiones denique, quæ invita poſtremorum horum temporum neſcio an inſcitia, an adulatione, in hoc Tentamine demum comparent priſtino ſuo nitori reſtitutæ, utpote omnibus illis notis inſignes, quas præ ſe ferre ſolet, quidquid genuinum eſt ac ſincerum.

Epiſcopatus quidem proximus Auctor eſt Jeſus Chriſtus Dominus noſter: ille enim fuit, qui Apoſtolos ſuos Epiſcopos proxime ordinavit, quando eis dixit: Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritum Sanctum: Ite in mundum univerſum, prædicate, docete, baptizate. Quæcumque alligaveritis vel ſolveritis ſuper terram, erunt ligata vel ſoluta in cælis. *Quæ verba ſua ipſa am-*

amplitudine & generalitate poteſtatem quandam oſtentant nullis concluſam limitibus. Nullis concluſam limitibus quoad materiam: quandoquidem ejus menſura pro ſubditorum neceſſitate erat. Nullis concluſam limitibus quoad locum: quandoquidem virtute verborum Chriſti univerſum terrarum orbem quilibet Apoſtolorum pro Diœceſi habebat.

Injuria vos ego adficerem, Antiſtites Excellentiſſimi, ſi in hac conſecutione probanda immorarer. Sed quoniam hanc Epiſtulam ad ſolos Epiſcopos datam multi lecturi ſunt, qui Epiſcopi non ſunt: pro me Theologos duo adlegabo, qui qua pollent auctoritate, ceteros omnes referant. Prior eſt Nicolaus de Cuſa, Cardinalis & Epiſcopus Brixienſis, qui Libro II. admirandi Operis de Concordantia Catholica, *Capite XIII. ita ait:* Recte dicimus omnes Apoſtolos in poteſtate cum Petro æquales. Inſuper eſt ad memoriam reducendum, quod in principio Eccleſiæ fuit unus tantum Epiſcopatus generalis. *Alter eſt Dominicus Sotus, immortale illud Illuſtriſſimæ Familiæ Prædicatorum decus, qui apud Tridentinam Synodum Theologorum omnium Princi-* Cuſa p. 727.

 pem

pem egit ſub Paulo III. Ejus verba hæc ſunt : Cum utraque pleniſſima juriſdictio de eſſentia ſit Apoſtolici muneris, utramque a Chriſto omnes immediate ſuſceperunt ; atque adeo unuſquiſque erat per Chriſtum Epiſcopus totius Orbis .

Sotus in IV. Sent. p. 548.

Tum ut perfectius munia obirent Epiſcopalis miniſterii , tum ut melius conſervarent in Sacro Collegio Catholicam unitatem , cujus velut centrum Petrum conſtituerat Dominus , ſingulas Provincias ab unoquoque ſpeciatim inſtruendas ac regendas , Apoſtoli inter ſe de communi conſilio diviſere . Atque hæc quidem origo fuit Diœceſium: hæc item cauſa, quam ob rem ſub initia ipſa ſtatim naſcentis Eccleſiæ in Epiſcopatum invexerint Apoſtoli tres illas claſſes Epiſcoporum, Archiepiſcoporum, & Primatum : titulos illos quidem amplioris adminiſtrationis reſpectu Hierarchiæ Eccleſiaſticæ exterius gubernandæ , non vero amplioris juriſdictionis reſpectu cujuslibet Parœciæ interius regendæ : Quoniam ut ſcribit Sanctus Hieronymus : Ubicumque fuerit Epiſcopus , ſive Romæ , ſive Eugubii , ſive Conſtantinopoli , ſive Alexandriæ ,

ſive

ſive Tanis; ejuſdem meriti, ejuſdem eſt & Sacerdotii. Ceterum omnes Succeſſores Apoſtolorum ſunt. *Preſſius vero Sanctus Symmachus Papa*: Ad Trinitatis inſtar, cujus una eſt atque individua poteſtas, unum eſt per diverſos Antiſtites Sacerdotium. *Hinc præclare illud a Guillelmo Pariſienſi Epiſcopo dictum*: Ipſe Dominus Jeſus Chriſtus non plus quam Epiſcopus eſt in dignitatibus Eccleſiaſticis, ſecundum quod homo.

Quod ſi in tanta hac poteſtate Epiſcopatui a Chriſto adnexa Apoſtolis ſuccedunt Epiſcopi, quemadmodum paullo ante ex Hieronymi ore audivimus, idque cum Hieronymo tota docet Antiquitas: planum eſt, intra Parœciam ſuam tantam fore Epiſcopi poteſtatem, quanta ſuarum ovium eſt neceſſitas. Id vero eſt, quod ſcribebat S. Cyprianus in Epiſtula LXXII. ad S. Stephanum Papam: Habet in Eccleſiæ adminiſtratione voluntatis ſuæ arbitrium liberum unuſquiſque Præpoſitus, rationem actus ſui Domino redditurus. *Cyprian. p. 306. edit. Fellii*

Profecto temporum decurſu uſurpare ſibi tamquam proprium Succeſſores Beati Petri cœpere exercitium quarundam juriſ-

riſdictionum, in quarum poſſeſſione antehac erant Epiſcopi. Verum ut illud prætermittam, quod primæ hæ Reſervationes ad ſolas cauſas Fori contentioſi ſpectabant, ejuſque proinde generis erant, ut ſolam totius Eccleſiæ externam Politiam proprie reſpicerent: illas ipſas ſibi non uſurpabant Romani Pontifices, niſi de conſenſu ceterorum Epiſcoporum: qui qua obſervantia & reverentia S. Petrum Apoſtolorum Principem proſequebantur, a ſe quidem in Romanos Pontifices ejus Succeſſores dimittebant eaſdem illas prærogativas, quæ antea communes erant omnibus Diœceſibus. Eſt in hoc genere ſane præclarum exemplum illud, quod in corpore etiam hujus Operis in medium adfero, deſumptum ex Actis Generalis Concilii Sardicenſis medio quarto ſæculo celebrati. Audiamus verba Præſidis ejus, qui erat magnus ille Oſius Epiſcopus Cordubenſis: Si vobis placet, Sancti Petri memoriam honoremus, ut ſcribatur ab his qui cauſam examinarunt, Julio Romano Pontifici, & ſi judicaverit renovandum eſſe judicium, renovetur & det Judices. *Et mox e veſtigio:* Reſpondit Synodus, Placet. *Heic fatentes habemus*

Concil. Sard. Can. III. Tom. II. p.647.

mus Patres Concilii Generalis, in quibus erant cum ipſo Præſide multi ex Hiſpania & Luſitania Epiſcopi: (*veluti Emeritenſis, quæ Metropolis erat Luſitaniæ; & Aſturicenſis, quæ Urbs ad Bracarenſem Provinciam ſpectabat*) *fatentes, inquam, pro bonore & memoria S. Petri Apoſtoli primi Romæ Epiſcopi conſtituere & conſentire ſe, ut Romanus Pontifex illa in poſterum prærogativa & auctoritate fruatur, qua poſſit in gratiam Epiſcoporum apud Provincialem Synodum judicatorum novum cauſæ examen, ſeu novam Reviſionem concedere: non quidem advocata Romam cauſa, quemadmodum bodie fieri ſolet ſecundum Tridentinæ Synodi caput*, Cauſæ criminales; *ſed novis judicibus deſignatis, qui intra eandem Provinciam denuo examinarent cauſam provocantium Epiſcoporum*.

Uſque adeo certum eſt, a conſenſu Epiſcoporum ſive Conciliorum Generalium initium babuiſſe bas aliaſque prærogativas primatui Romano adnexas: (*quas prærogativas multi quidem ita imperite, atque ita temere inter ſe commiſcent; ut quoniam in Primatu ipſo Jus Divinum a Jure Eccleſiaſtico diſcernere ac ſepara-*

re ipſi vel neſciunt vel nolunt, quidquid in Romanis Pontificibus ſpiritualis poteſtatis eſt, totum id ex inſtitutione Chriſti ipſis ineſſe contendant). Uſque adeo certum eſt, inquam, multas ex prærogativis illis, quibus hodie fruitur Romanus Pontifex, ipſi Divino Jure non competere, ſed conceſſione tantum & gratia Eccleſiæ in Epiſcoporum corpore repræſentatæ: ut multorum Theologorum graviſſimorum ſententia ſit, ipſam etiam Primatus Sancti Petri conjunctionem cum Romano Epiſcopatu divinæ inſtitutionis minime eſſe, ſed tantum inſtitutionis Eccleſiaſticæ, quæ abſolute mutari aut variari poſſit. Quamvis enim Dominus noſter Jeſus Chriſtus in perſona Beati Petri Primatum ipſum inſtituerit, volueritque in Eccleſia ſua (quemadmodum conſtans omnium Patrum, omniumque ſæculorum Traditio fert) perpetuo eſſe Principem quendam, ſeu viſibile quoddam Caput omnium Chriſtianorum: tamen quod Epiſcopus Romanus perpetuo ſit ille Princeps, id vero eſt, quod Theologi illi negant eſſe Juris Divini. Docent enim conjunctionem duarum illarum qualitatum conſequentiam quandam fuiſſe illius obſer-

van-

vantiæ & gratificationis, qua Eccleſia ad decus & memoriam Principis Apoſtolorum, conſervatione & ſucceſſione Primatus nobilitare voluit illam Urbem, quæ & Caput erat Orbis totius, & Sedes primi maximique Epiſcopi fuerat.

Nullus dubito, Excellentiſſimi Antiſtites, quin omnes ii, quibus tanta non eſt peritia Theologiæ, ejuſque Dogmatum, quantam ego in vobis conſidero conſidérareque debeo: ubi primum ea legerint quæ modo commemoravi, pro hæreticis ſtatim habituri ſint eos, qui talia docent. Verum enim vero quis hæreticum dicat ***Joannem illum Gerſonem, Cancellarium Academiæ Pariſienſis, Generalis Concilii Conſtantienſis Animam, & per antonomaſiam*** Chriſtianiſſimum Doctorem ***dictum*** (a)? ***Joannem illum Gerſonem, qui***

(a) Jacobus Auguſtus Thuanus Hiſtoriæ ſui temporis Librô CXXXVII. Cap. 6. Tomo VI. pag. 388. *Joannes Gerſon Cancellarius Pariſienſis, & famoſiſſimus ſua ætate Theologus, Caroli VI. temporibus* REGIUS AD CONCILIUM CONSTANTIENSE ORATOR, *auctoritate ſua & doctrinæ opinione pervicit, ut multa in eo* SALUTARIA AC MEMORABILIA *insererentur. Indeque re bene ad Dei gloriam & decus Regni geſta reverſus*, DOCTORIS CHRISTIANISSIMI *non ſolum apud nos, ſed & inter exteras nationes ſummo conſenſu nomen meruit.*

qui cum pari ſanctitatis & eruditionis laude vixiſſet, (fuit autem utraque in eo ſare eximia) poſt mortem tot tamque inſignibus miraculis coruſcavit; ut illorum fama permotus Carolus VIII. Rex Chriſtianiſſimus, pro illius honore & memoria ſacram Ædiculam ædificari juſſerit, ibique ejuſdem imaginem collocari, ubi per annos plurimos cultu publico decoratus eſt Gerſon, probantibus plaudentibuſque tum Archiepiſcopis Lugdunenſibus, tum magnis aliis Antiſtitibus florentiſſimi illius Regni? Is vero Gerſon in nobili ſuo Libello De Poteſtate Eccleſiaſtica & Origine Juris, *ſub finem Conſiderationis VII. in hunc modum ſcribit:*

Gerſon Tom. II. p. 236. Sed quæret forte aliquis, quo pacto Eccleſia Romana dicatur eadem iſto modo, cum ab initio fuerit in Antiochia? Reſponſio facilis eſt, ſi fiat abſtractio a connotatione loci, & dicamus quod Eccleſia Romana eſt illa Diœceſis, Provincia, vel Sedes, quæ peculiariter habet regi per auctoritatem Papalem, & eam complectitur. Sic veritatem habet vulgata vox: ubi Papa, ibi Roma.

Quis hæreticum dicat Nicolaum illum de Cuſa, Cardinalem e Germania,

eun-

eundemque in Italia Epiſcopum Brixienſem, ex Sacro Ordine Canonicorum Regularium Sancti Auguſtini Doctorem? Qui Libro II. Operis ſupra commemorati Cap. XXXIV. ſic ſcribit: Non poſſe adhuc Romanum Pontificem perpetuum Principem Eccleſiæ probari, ſatis ex hoc manifeſtum eſt: *Et mox paullo inferius*: Quare ſi per poſſibile Treverenſis Archiepiſcopus per Eccleſiam congregatam pro Præſide & Capite eligeretur, ille proprie plus Succeſſor S. Petri in Principatu foret, quam Epiſcopus Romanus. *Caſa p. 774.*

Quis hæreticos dicat duos illos apud Salmanticenſem Academiam Magiſtros Primarios, Dominicum Sotum & Dominicum Banneſium, ex nobiliſſimo Prædicatorum Ordine? quorum prior in Commentariis in IV. Sententiarum ita dicit: Utrum culmen ſummæ dignitatis jure divino in Eccleſia Romana conſiſtat, ita ut Epiſcopus Romanus & Summus Pontifex ſint divino nexu conjuncti, NON EST TAM CERTUM, QUAM NONNULLI ARBITRANTUR. *Alter vero in Commentariis in Secundam Secundæ S. Thomæ ita*: Quamvis a viris doctiſſimis & catho- *Sotus p. 645.*

tho-

Banneſ. Tom. II. p. 52. & 57. tholicis verum exiſtimetur, jure divino Romanum Pontificem eſſe Petri Succeſſorem : tamen NON EST FIDES CATHOLICA, ſed opinio valde probabilis. *Et aliquanto poſt*; Aliqui Doctores graves noſtri temporis ajunt, Epiſcopum Romanum eſſe quidem Summum Pontificem, non tamen jure divino hæc conjuncta eſſe. Ita ſentit Fr. Dominicus Sotus (*a*)..

Ut ad alterius generis Reſervationes jam pergamus, quales utique ſunt, quæ ad Pœnitenciale & internum Forum pertinent: adbuc ſub initia ſæculi XI. ſuæ au-

(*a*) Sentit & Bellarminus ipſe Lib. II. de Romano Pontifice Cap. XII. Tom. I. pag. 312., ubi ita ſcribit: *Quod Epiſcopus Romanus, qua Epiſcopus Romanus eſt, ſit Petri Succeſſor, ex facto Petri ortum babuit, non ex prima Chriſti inſtitutione. Nam potuiſſet Petrus nullam Sedem particularem ſibi umquam deligere, ſicut fecit primis quinque annis : & tum moriente Petro, non Epiſcopus Romanus, neque Antiochenus ſucceſſiſſet, ſed is quem Eccleſia ſibi elegiſſet. Quia vero Romæ Sedem fixit, & tenuit uſque ad mortem, inde factum eſt, ut Romanus Pontifex ei ſuccedat.* Et mox: *Iſta ratio ſucceſſionis non eſt ex prima inſtitutione Pontificatus, quæ in Evangelio legitur.* Extat de eodem hoc argumento inſigne teſtimonium in celeberrimo Dialogo inter Clericum & Militem, quod *Somnium Viridarii* vulgo inſcribitur, Cap. LX. apud Goldaſtum Tom. I. pag. 78. Quod opus ſub Carolo V. Gallorum Rege anno Chriſti circiter MCCCLXX. adornatum eſt.

auctoritatis & juriſdictionis adeo tenaces erant Epiſcopi, ut Patres Concilii Salegunſtadienſis anno MXXII. coacti, Canone XVIII. definiverint: non valere abſolutiones illas, quas ſe inconſultis ſive invitis, ſuis ſubditis elargitus eſſet Romanus Pontifex. Patres vero Concilii Lemovicenſis anno MXXXIII. celebrati, illud pro confeſſo ſtatuerint: Inconſulto Epiſcopo ſuo, ab Apoſtolico pœnitentiam & abſolutionem nemini accipere licet. *Quod illi quidem memorabili hac probant ratione;* Apoſtolici Romani (*ſic Romanos Pontifices tunc vocabant*) Epiſcoporum omnium ſententiam confirmare, non diſſolvere debent. QUIA SICUT MEMBRA CAPUT SUUM SEQUI, ITA CAPUT MEMBRA SUA NECESSE EST NON CONTRISTARI (*a*).

Concil. Tom. XI. p. 1133.

Ibid. p. 1250.

Hæc

(*a*) Eo ſpectat, quod Hæreſi XLII. num. II. refert S. Epiphanius Tom. I. pag. 303. Cum enim Marcion ob ſtuprum virgini illatum a ſuomet parente ſpectatæ ſanctitatis Epiſcopo, de Eccleſia pulſus eſſet; ac conſequendæ abſolutionis gratia Romam poſt Hygini Papæ obitum ſe contuliſſet: Clerus Romanus ab eo precibus fatigatus, ut ſe in communionem reciperet, hac illum reſponſione refutaſſe traditur: *Nobis injuſſu venerandi Patris tui iſtud facere non licet: una ſiquidem fides eſt, & omnium una conſenſio: neque contra ſpectatiſſimum collegam patrem tuum moliri quidquam poſſumus.*

Hæc doctrina Concilii Lemovicenſis nos eo ducit, ut quaſi e re nata indagemus & aperiamus, quæ nobis notiones efformandæ ſint de Primatu Papæ. Quæ notiones ſi male efformantur, quidquid rite diſpoſitum eſt in Eccleſiaſtica Hierarchia, totum id funditus evertunt. Sin vero eſt ut recte ſe habeant, mirabili plane concordia totum Eccleſiæ myſticum corpus devinctum retinent. Fatentur Lemovicenſes Patres, Romano Pontifici tamquam Capiti dicto audientes eſſe debere Epiſcopos: ſed interim tamen non debere Romanum Pontificem, eo quod ſit Caput, membra lædere ita nobilia, ut ſunt Epiſcopi. Edocti a Beato Paulo agnoſcebant, quemadmodum in phyſico hominis corpore ſuæ cuilibet membro operationes ſunt propriæ, quæ niſi labefactato & deturpato Toto inverti non poſſint: ita in corpore morali Chriſti, quod eſt Eccleſia, diverſis membris alias atque alias functiones adſignatas eſſe a Chriſto. Nunc autem poſuit Deus membra, unumquodque eorum in corpore, ſicut voluit. Vos autem eſtis corpus Chriſti, & membra de membro. *Papæ adſignavit Chriſtus functiones capitis: Epiſcopis functiones brachio-*

I. Corinth XII. 18.

chiorum & manuum. Si brachium velit eſſe caput, quam erit monſtroſum corpus? Si vero caput brachii munia obire velit, quam reddetur & ipſum deforme? Quid ſi caput ſibi uſurpet operationes totius corporis? Chimæram videre ſe omnes credent. Si totum corpus oculus, ubi auditus? Si totum auditus, ubi odoratus? Quod ſi eſſent omnia unum membrum, ubi corpus?

Memoratum Apoſtoli locum præclare quidem in rem noſtram explicavit Sanctus Bernardus, cum ad diſcipulum ſuum Eugenium tertium ſcribens hoc modo diſſerebat Libro III. Capite IV. Monſtrum facis, ſi manu ſubmovens digitum, facis pendere de capite, ſuperiorem manui, brachio collateralem. Tale eſt ſi in Chriſti corpore membra aliter locas, quam diſpoſuit ipſe. *Unde concludit idem Bernardus, divina lege obſtringi Summum Pontificem illæſa obſervare, ſibique non uſurpare Epiſcoporum jura.* Honorum ac dignitatum gradus & ordines quibuſque ſervare poſiti eſtis, non invidere, ut quidam veſtrorum ait: *Cui honorem, honorem.*

Bernard. Tom. I. p. 439.

Planum eſt autem, honorem & digni-

tatem Epiſcoporum in eo non eſſe, ut ipſi nominentur Epiſcopi, inſignibuſque Epiſcoporum utantur; ſed in eo, ut characteris ſui proprias obeant functiones: nempe functiones Paſtorum gregis ſui: functiones quas obiere Apoſtoli, quorum ſucceſſores Epiſcopi ſunt jure divino; functiones quas Chriſtus verbis adeo magnificis in Evangelio deſignavit, quando inſtituit ordinem Epiſcopalem. Hujuſmodi functionibus privare Epiſcopos, idem plane eſt, ac propriis operationibus ſuis privare membra præcipua corporis Chriſti: eſt velle Epiſcopos non eſſe Epiſcopos. Namque vel in ipſo naturæ ordine, idem eſt operationes proprias ſpeciei ſuæ quodlibet ens amittere, ac ſuam formam amittere. Egregie omnino magnus Gerſon: Qui tollit ab entibus proprias operationes, certe ſecundum Philoſophum tollit ab eis proprias formas. Quid enim valet quod unus ſit Epiſcopus, ſine officii ſui executione, quod illi Chriſtus contulit?

Gerſon Tom. II. p. 183.

Velle igitur, Papam eo nomine quod ſit Primas Eccleſiæ, auferre ab omnibus Epiſcopis poſſe, ſibique libere ac ſolo arbitratu ſuo uſurpare exercitium illarum

fun-

functionum, quas Chriſtus fecit Epiſcoporum proprias: id vero eſt de Primatu notionem quandam habere novam, notionem Antiquitati ignotam, notionem omnino adverſantem ei, quam nobis reliquere Sancti Patres, ex ipſiſque Romanis Pontificibus laudatiſſimus quiſque.

Quis Pontificum, quæſo, jura Primatus ſui melius noverit, quam illa novit Sanctus Gregorius magnus? Atqui Gregorius hic ille eſt, qui Libro VIII. Epiſtula XXX. Eulogium Epiſcopum Alexandrinum monebat, ne Decreta Papæ ipſe diceret Juſſa *Papæ* : Jubere *enim proprium verbum eſſe dominantium* : *Papam vero non eſſe Dominum Epiſcoporum, ſed Fratrem*. Mihi loquitur veſtra Beatitudo dicens: *Sicut juſſiſtis*. Quod verbum juſſionis peto a meo auditu removere, quia ſcio qui ſum, qui eſtis. Loco enim mihi fratres eſtis, moribus patres. NON ERGO JUSSI, ſed quæ utilia viſa ſunt, indicare curavi. *Ut palam vobis fiat, Excellentiſſimi Antiſtites, hanc loquendi rationem non tam a Gregorii modeſtia, quam ab illius ſapientia eſſe profectam: auſcultate, quæſo, quid tam multis poſt ſæculis Eugenio Pa-* *Gregor. Tom. II. p. 919.*

 pæ

pæ Tertio ſcripſerit Sanctus Bernardus Claravallenſis: Quid tibi dimiſit Sanctus Apoſtolus ? numquid dominationem ? Sed audi ipſum. *Non dominantes, ait, in Clero, ſed forma facti gregis*. Et ne dictum ſola humilitate putes, non etiam veritate: vox Domini eſt in Evangelio: *Reges gentium dominantur eorum: vos autem non ſic*. PLANUM EST: APOSTOLIS INTERDICITUR DOMINATUS. *Et alio in loco*: Scias Romanam Eccleſiam aliarum Matrem eſſe, non Dominam: ET TE NON EPISCOPORUM DOMINUM, SED UNUM EX IPSIS.

Idem S. Gregorius in eadem epiſtula Eulogium reprehendit propterea, quod ad Romanum Pontificem ſcribens, titulo eum Univerſalis Epiſcopi *decorarit. Reprehenſionis vero cauſam ille adducit, quod titulus ille* Univerſalis Epiſcopi *& ex ſe arrogans eſſet, & ſine offenſione injuriaque aliorum Epiſcoporum non poſſet uſurpari: cum e contrario totus Papæ honor deberet eſſe honor Epiſcoporum*. In præfatione Epiſtulæ, quam ad me ipſum direxiſtis, ſuperbæ appellationis verbum, univerſalem me Papam dicentes, imprimere curaſtis. Quod peto dulciſſi-

ciſſima mihi ſanctitas veſtra ultra non faciat: quia vobis ſubtrahitur, quod alteri pluſquam ratio exigit præbetur. Nec honorem eſſe deputo, in quo fratres meos honorem ſuum perdere cognoſco. MEUS NAMQUE HONOR EST FRATRUM MEORUM SOLIDUS VIGOR. Tunc ego vere honoratus ſum, cum ſingulis quibuſque honor debitus non negatur.

Illud ratio poſtulat, Excellentiſſimi Antiſtites, ut tantiſper conſiderationem veſtram defigatis in eo, quod vel ipſum titulum Univerſalis Epiſcopi *arbitrabatur magnus ille Pontifex Romanum Epiſcopum dedecere, ceteriſque Epiſcopis eſſe injurium. Quid, quæſo, pronuntiaturus eſſet Gregorius, ſi Succeſſores ſuos vidiſſet illud ſibi arrogare, ut non titulo ſolum, ſed re etiam ſint* Univerſales? *Quid, ſi vidiſſet in eo illos Pontificatus honorem penitus collocare, ut ſoli ipſi videantur Epiſcopi? Profecto qui ita loquebatur, qui ita ſcribebat, ideam de Primatu S. Petri efformabat multum ab ea diſcrepantem, quæ hodie apud Curiam dominatur. Profecto in ea erat ſententia, ut arbitraretur, non propterea everti Primatum Papæ, ſi Epiſcoporum auctorita-*

ti primævus ſuus vigor conſtaret: quinimo reſervare ſibi Romanum Pontificem id, quod inſtitutione Chriſti toti Epiſcopatui commune eſt; nihil aliud eſſe, quam fomentum impendere vanitati, cauſaſque diffidendi ſerere. Si univerſalem me Papam veſtra ſanctitas dicit (*concludit modeſtiſſimus Gregorius*) negat ſe hoc eſſe, quod me fatetur univerſum. Sed abſit hoc. Recedant verba quæ vanitatem inflant, & caritatem vulnerant.

In Epiſtula XII. Libri IX. quæ ad Joannem Epiſcopum Syracuſanum in Sicilia eſt data, adfirmat idem S. Gregorius Magnus, Primatum Papæ minime in eo eſſe, ut ipſe Provincias omnes adigat obſervare ritus & conſuetudines Romanæ Eccleſiæ: imo e contrario ſtultum eſſe, ſi propterea quod ipſe ſit Epiſcoporum Primas, arbitretur Papa, omnes ſe Romani Pontificis diſcipulos profiteri debere, ipſum vero nullius: De Conſtantinopolitana Eccleſia quod dicunt, quis dubitet eam Sedi Apoſtolicæ eſſe ſubjectam? Tamen ſi quid boni vel ipſa vel altera Eccleſia habet, ego & minores meos, quos ab illicitis prohibeo, in bono imitari paratus ſum. STULTUS EST ENIM, QUI

Ibid. p. 941.

QUI IN EO SE PRIMUM EXISTIMAT, UT BONA QUÆ VIDERIT, DISCERE CONTEMNAT. *Ex hac certe Epiſtula S. Gregorii colligimus, non idem eſſe obluctari Epiſcopum quemlibet pro conſervandis tuendiſque moribus & ritibus ſuæ Eccleſiæ, ac Romano Primatui adverſari.* Non omnes Eccleſiæ conſuetudines ex Romana petendas eſſe, docet hæc Epiſtula. *Ita argumentando concluſit Petrus Gunſſavillæus, novitius ille celebriſque harum Epiſtularum editor.*

Quandoquidem in eo verſamur argumento, quo nihil eſt gravius, nihil majoris momenti: operæ pretium eſt paullo adhuc adcuratius rimari, quiſnam ea de re ſenſus fuerit aliorum Sanctorum Patrum. Ac S. Cypriani quidem Archiepiſcopi Carthaginenſis, qui tum propter ætatem Apoſtolicis ipſis adeo vicinam temporibus, tum propter inſignem diligentiam qua in deſcribendis prærogativis Primatus Epiſcopatuſque uſus eſt, facile inter Patres familiam ducit: S. Cypriani, inquam, jam in corpore hujus Operis multa eaque graviſſima teſtimonia expoſui, quæ ibi legi poſſunt non longe a principio. Heic ergo unum illud in medium

adſeram, ubi Cyprianus quam adcuratiſſime oſtendit, eſſentiam Primatus non in eo eſſe, ut Papa in Eccleſia unicus ſit Legislator, vel Supremus Arbiter Epiſcoporum: neque item in eo, ut Papæ Epiſcopi cœcam quandam obedientiam exhibeant, quæ nihil judicat, nihil examinat. Eſt autem ex Epiſtula LXXI. ad Quintum Mauritaniæ Epiſcopum data, ubi ita ait: Non eſt de conſuetudine præſcribendum, ſed ratione vincendum. Nam nec Petrus quem primum Dominus elegit, & ſuper quem ædificavit Eccleſiam ſuam, cum ſecum Paulus de circumciſione poſtmodum diſceptaret, vindicavit ſibi aliquid inſolenter, aut arroganter præſumpſit: ut diceret ſe primatum tenere, & obtemperari a novellis & poſteris ſibi potius oportere. Nec deſpexit Paulum quod Eccleſiæ prius perſecutor fuiſſet, ſed conſilium veritatis admiſit, & rationi legitimæ quam Paulus vindicabat, facile conſenſit: documentum ſcilicet nobis & concordiæ & patientiæ tribuens, ut non pertinaciter noſtra amemus, ſed quæ aliquando a Fratribus & Collegis noſtris utiliter & ſalubriter ſugge-

Cyprian. p. 304.

geruntur, ſi ſint vera & legitima, ipſa potius noſtra ducamus.

Ex modeſtia qua Petrus ſe a Paulo reprehendi paſſus fuit, ejuſque doctrinæ de abrogatione Moſaicæ Legis acquievit, non reputans Primatus injuriam, ſe ab inferiori carpi edocerique: colligit magnus Cyprianus, non debere Succeſſores Petri ita deſpotice imperare, ut Reges, quibus eſt pro ratione voluntas: nec debere Epiſcopos reverentiam Judiciorum Romanorum ita capi, ut arbitrentur, nunquam ſibi licitum eſſe reclamare ac repugnare. Eccleſiæ enim regimen non eſſe regimen abſolutæ Monarchiæ, non dominationis, non imperii; ſed regimen modeſtiæ, miniſterii, humilitatis. Regimen, ubi non unus eſt, qui præcipere ſolus poſſit, neque item unus, qui ſolus poſſit definire: ſed regimen, in quo ſemper explorandum eſt, num Collegæ ſuffragentur; & in quo nunquam non diſpiciendum eſt, quid judicent ſocii. Id Chriſtus diſertiſſime docuit univerſos Apoſtolos ſuos, quemadmodum ex S. Bernardi ore paullo ante audivimus. Reges gentium dominantur eorum: VOS AUTEM NON SIC. Sed qui major eſt in vobis, fiat ſicut minor: &

qui

qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator. *S. Bernardus ad Eugenium III.* Planum eſt: Apoſtolis interdicitur dominatus. I ergo tu, & tibi uſurpare aude aut dominans Apoſtolatum, aut Apoſtolicus dominatum. Plane ab alterutro prohiberis. SI UTRUMQUE SIMUL HABERE VOLES, PERDES UTRUMQUE.

S. Cyprianum Archiepiſcopum Carthaginenſem excipiat S. Auguſtinus Hipponenſis Epiſcopus. Eritne in Romana Curia Theologus quiſpiam, cujus de Primatu S. Petri veriora ac ſolidiora ſenſa ſint, quam Auguſtini fuere? Nullum credo ita arrogantem fore, ut ſe comparare auſit cum Doctore adeo illuſtri, adeo ſancto. Atqui ipſe Auguſtinus, & cum Auguſtino Epiſcopi Africani ſupra ducentos quindecim, congregati omnes in Concilio Carthaginenſi V. anno Chriſti CCCCXIX. diſerte proteſtati ſunt, idque coram Legatis Papæ Zozimi: una Concilii Generalis, a tota Eccleſia celebrati, quale Nicænum fuerat, auctoritate cogi ſe Collegaſque ſuos poſſe ad immutandam Diſciplinam circa Appellationes, contra ac moribus Africæ ad illa uſque tempora receptum erat. Auguſtinus Epi-

piſcopus Eccleſiæ Hipponenſis dixit: ET HOC NOS SERVATUROS PROFITEMUR, SALVA DILIGENTIORE INQUISITIONE CONCILII NICÆNI. *Paucis vero ante annis, Epiſtulam XLIII. ad Glorium & Eleuſium ſcripſerat idemmet Auguſtinus; ubi de famoſa cauſa Cæciliani Archiepiſcopi Carthaginenſis verba faciens, eam doctrinam tamquam penitus exploratam tradit; etiam poſt ſententiam in Romana Synodo à Melchiade Papa latam, potuiſſe Donatiſtas ad Generale Concilium provocare, ubi demum examinaretur profligareturque ipſa Cæciliani cauſa*: Ecce putemus illos Epiſcopos, QUI ROMÆ JUDICARUNT, non bonos judices fuiſſe: RESTABAT ADHUC PLENARIUM ECCLESIÆ UNIVERSÆ CONCILIUM, ut ſi male judicaſſe convicti eſſent, eorum ſententiæ ſolverentur.

Collectio Juſtelli Tom. I. p. 143.

Auguſt. T. I. p. II. p. 97.

Quid ex his duobus locis magni Auguſtini conſequens eſſe debeat, veſtræ ego conſiderationi veſtroque judicio relinquo, Excellentiſſimi Antiſtites (a). *Tempus enim*

(a) De utroque loco Auguſtini agemus infra in Principio V. num. XIV. & num. XVII. Ac poſteriori illo quidem ex Epiſtula ad Glorium & Eleuſium deſumpto, ad demonſtrandam auctoritatem Concili gene-

enim jam eſt contrahendi vela orationis: ut qui hactenus demonſtravi, in quo non conſiſtat Primatus: deinceps id, in quo ille poſitive conſiſtat, deſignare pergam. Arduum ſane negotium! tranſitus periculi & aleæ plenus! Arduum quidem ſolus inficiabitur, qui neſciat, quam parum, vel quam minime in Scholis argumentum hoc diſcuti ſoleat. Periculoſum item ſolus negabit, qui animum non adverterit, quid quinto jam ſæculo pronuntiarit non nemo ſubacti judicii: Aures Romanorum quadam teneritudine plus trahuntur.

Vita S. Hilar. Arelat. ſcripta a S. Honorato ejus diſcipul. c. XVII. p. 570. edit. Queſnel.

Ego tamen illis ductus luminibus, quæ de hoc argumento nobis reliquit ille Cyprianus, ille Auguſtinus, ille Gregorius: ajo eſſentiam Primatus illam eſſe, quam tri-

neralis ſupra Papam, uſi ſunt diverſis temporibus Theologi quinque doctiſſimi celebratiſſimique: nempe anno MCCCLXXXI. Henricus de Haſſia in ſuo *Concilio Pacis*. Cap. XIII. anno MCCCCXXXIII. Nicolaus de Cuſa Libro II. *de Concordantia Catholica* Cap. XVII. anno MCCCCXI. Thomas Corcellæus in Oratione habita apud Bituricenſem Conventum, quam deſcribit Pithœus in Probationibus Libertatum Eccleſiæ Gallicanæ Cap. XII. num. 4. anno MDXII. Jacobus Almainus in Libello *de Auctoritate Eccleſiæ & Conciliorum* Cap. VII. & Joannes Major in Diſputatione *de Auctoritate Concilii ſupra Pontificem Maximum:* quam utramque lucubrationem poſt Richerium publicavit Dupinus ad calcem Tomi I. Operum Gerſonianorum, pag. 990. & 1133.

tribus vocibus deſcripſit Claravallenſis Abbas in eodemmet loco, quem paullo ante laudavi. Quid tibi (*inquit Eugenio Papæ Bernardus*) dimiſit Petrus Apoſtolus? Non tibi ille dare, quod non habuit potuit. Quod habuit, hoc dedit, SOLLICITUDINEM SUPER ECCLESIAS. *Hi limites ſunt, quibus Primatum Papæ concludit Bernardus: ut ipſe Inſpector quidam ſit quidamque Superintendens Generalis omnium Epiſcoporum, omnium Chriſtianorum, omnium Eccleſiarum. Sed ubinam, quæſo, hanc Inſpectionem atque Superintendentiam Generalem Papæ collocat mellifluus Doctor? An in eo collocat, ut Papa Supremus quidam ſit Arbiter Regum & Principum Sæcularium, ut certis in caſibus alios de throno dejiciat, alios in throno ponat? Nequaquam. Imo vero docet, quod ſi Succeſſor Petri velit eſſe Judex Statuum ac Dominiorum Sæcularium, eam uſurpationem eſſe jurium alienorum, eſſe rationem agendi ab Apoſtolorum ſpiritu & praxi omnino alienam, eſſe abuſum clavium Eccleſiaſticarum, quæ circa ſolas conſcientias verſari debent, non vero circa poſſeſſiones*. Non monſtrabunt, puto, ubi aliquando quiſ- *Lib. I. c. 6. p. 417. & 418.*

piam

piam Apoſtolorum judex ſederit hominum, aut diviſor terminorum, aut diſtributor terrarum. Ergo in criminibus, non in poſſeſſionibus poteſtas veſtra. Habent hæç infirma & terrena Judices ſuos, Reges & Principes terræ. Quid fines alienos invaditis? Quid falcem veſtram in alienam meſſem extenditis?

An in eo collocat, ut Curiam Tribunalibus plenam habeat, quo ex univerſo Orbe ſe conferant Partes innumeræ, aliæ pro Beneficiis impetrandis, aliæ pro petendis Diſpenſationibus? minime gentium. Imo vero ait, occupationem eſſe quæ Apoſtolorum dedeceat Succeſſorem, tot excipiendis contentionibus eſſe intentum, talemque Petri habere Curiam, quale Romanorum Prætorium eſſet. Quid ſervilius indigniuſve præſertim Summo Pontifici, quam non dico omni die, ſed pene omni hora, inſudare talibus rebus & pro talibus? Et quidem quotidie perſtrepunt in Palatio leges, ſed Juſtiniani, non Domini. Juſtene etiam illud? Tu videris. Fallor ſi non movet tibi ſcrupulum perverſitas hæc.

Lib. l. c. 4. p. 416.

An in eo collocat, ut ſola Dignitas Pon-

Pontificia Deum Auctorem habeat! an ut ſolus Papa ſit, qui juriſdictionem hauriat a Deo, minime vero Epiſcopi? Eum ſane errorem vocat Bernardus, & quidem cum Scripturis pugnantem. Erras, ſi ut ſummam, ita & ſolam inſtitutam a Deo veſtram Apoſtolicam poteſtatem exiſtimas. Si hoc ſentis, diſſentis ab eo qui dicit: *Non eſt poteſtas niſi a Deo.* Non ergo tua ſola poteſtas a Domino: ſunt & mediocres, ſunt & inferiores. Lib. III. c. 4. p. 439.

An in eo collocat, ut Papæ jus ſit Epiſcopos ſpoliandi juribus & libertatibus ſuis? an ut immodicas exemptiones elargiatur? an ut ſibi vel leviſſima quæque reſervet? an ut Eccleſiaſticæ Hierarchiæ pervertat ordinem? Imo vero e contrario docet, adſtringi Papam ad conſervandum ſingulis id, quod proprium eſt Dignitatis ſuæ; niſi id ipſe, quod ſuum non eſt, uſurpare injuſteque retinere velit. Honorum ac Dignitatum gradus & ordines quibuſque ſuos ſervare poſiti eſtis, non invidere, ut quidam veſtrorum ait: *Cui honorem, honorem.* Tunc tibi licitum cenſeas ſuis Eccleſias mutilare membris, confundere ordinem, perturbare terminos quos poſuerunt patres tui? Si juſtitia eſt jus cui- Lib. III. c. 4. p. 438.

cuique ſervare ſuum, auferre cuiquam ſua juſto quomodo poterit convenire? *Docet plenitudine poteſtatis abuti Papam, cum a jurisdictione Epiſcoporum Abbates, a jurisdictione Metropolitanorum Epiſcopos, a jurisdictione Patriarcharum Metropolitanos eximit.* Murmur loquor & querimoniam Eccleſiarum. Subtrahuntur Abbates Epiſcopis, Epiſcopi Archiepiſcopis, Archiepiſcopi Patriarchis ſive Primatibus. Bonane ſpecies hæc? Mirum ſi excuſari queat vel opus. Sic factitando probatis vos habere plenitudinem poteſtatis: ſed juſtitiæ forte non ita. Facitis hoc quia poteſtis: ſed utrum & debeatis, quæſtio eſt. *Docet rem eſſe Summo Pontifice indignam, quod is, qui pleniſſima ſupremaque gaudeat poteſtate, minime ea contentus ſit, niſi ſibi ab Epiſcopis auferat vel ipſas minutiſſimas jurisdictiones.* Quid tam indignum tibi, quam ut totum tenens non ſis contentus toto, niſi MINUTIAS QUASDAM ET EXIGUAS PORTIONES tibi creditæ univerſitatis ſatagas facere tuas? *Docet monſtroſum fieri corpus Eccleſiæ, dum Papa ordinem illum pervertit, illamque perturbat harmoniam, quam ex in-*

inſtitutione Chriſti ſervare inter ſe debent membra ipſius. Monſtrum facis, ſi in Chriſti corpore membra aliter locas, quam diſpoſuit ipſe. *Noviſſime docet, neque Romanam Eccleſiam aliarum Eccleſiarum eſſe Dominam, neque Papam Dominum eſſe Epiſcoporum*. Conſideres ante omnia Sanctam Romanam Eccleſiam, cui Deo auctore præſides, Eccleſiarum Matrem eſſe non Dominam: te vero non Dominum Epiſcoporum, ſed unum ex ipſis. Liv. IV. c. 7. p. 450.

Planum ergo eſt, ſupremam illam Inſpectionem ac Superintendentiam, in qua S. Bernardus eſſentiam Primatus collocat, nihil aliud eſſe, quam inter Antiſtites omnes ſic Romanum Pontificem eminere, ut caput, primumque Præſidem Epiſcoporum: ad quem proinde ex Primatus officio ſpectet toti Eccleſiæ invigilare eo fine, ut munia ac miniſteria gradus ſui perfecte obeat unuſquiſque: hoc eſt, ut Eccleſiæ corpus illam diſpoſitionem harmoniamque conſervet, qua ipſum donarunt Chriſtus & Apoſtoli: ut cuilibet gradui ſua jura cuſtodiantur illæſa; ut liberum ſit cuilibet membro functiones Hierarchiæ ſuæ proprias exercere.

c Con-

Confirmatur egregie hæc Primatus notio, ubi animum adverterimus, quo illum fine inſtituerit Chriſtus. Conſentiunt univerſi Patres, finem alium non fuiſſe, quam ut vitatis diviſionibus unitas ſervaretur. Sanctus Cyprianus in Libro de Cyprian. p. 77. *unitate Eccleſiæ*: Quamvis Apoſtolis omnibus parem poteſtatem tribuat, tamen ut unitatem manifeſtaret, unitatis ejuſdem originem ab uno incipientem ſua auctoritate diſpoſuit. Hoc erant utique & ceteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi honoris & poteſtatis: ſed exordium ab unitate proficiſcitur, ut Eccleſia una monſtretur. *Sanctus Hieronymus in Libro I. contra* Hieron. Tom. IV. P. II. p. 168. *Jovinianum*: Propterea unus eligitur, ut capite conſtituto ſchiſmatis tollatur occaſio. *Sanctus Auguſtinus in Tractatu* Auguſt. Tom. III. p. 801. *LXVIII. in Joannem*: Ideo unus pro omnibus, quia unitas eſt in omnibus. *Ex hoc autem Primatus fine plane agnoſcitur, quæ ſit ejus eſſentia. Quoniam ſi Chriſtus Dominus noſter hujuſmodi Primatem ſeu Caput viſibile ideo inſtituit, ut a myſtico Eccleſiæ corpore ſchiſmata arcerentur, atque inter membra ſingula concordia ſervaretur: planum eſt, officium*

Primatis ſive Capitis hujus non eſſe ſibi proprias facere operationes ceterorum membrorum; ſed tantum ſic in illa influere, ut unumquodque ſuo ſe contineat loco, unumquodque functiones exerceat muneris ſui: omnibus autem pro norma ſit jus divinum & Canonicum.

Confirmatur præterea hæc Primatus notio ex eo, quod cum in exequendis Canonibus, tum in conſervandis ſingulorum juribus, virtutem & amplitudinem characteris ſui maxime elucere ſignificabant antiqui Pontifices: in eo ſupremam poteſtatem atque majeſtatem Primatus ſui collocabant. Sanctus Gelaſius in Epiſtula ad Epiſcopos Dardaniæ: Uniuſcujuſque Synodi conſtitutum, quod univerſalis Eccleſiæ probavit adſenſus, non aliquam magis exequi Sedem præ ceteris oportet, quam primam. *Sanctus Gregorius Magnus in Libro X. Epiſtula LII.* Abſit hoc a me, ut ſtatuta majorum Conſacerdotibus meis in qualibet Eccleſia infringam. QUIA MIHI INJURIAM FACIO, SI FRATRUM MEORUM JURA PERTURBO. *S. Leo IV. apud Gratianum*: Ideo permittente Domino Paſtores hominum ſumus effecti, ut quod Patres noſtri in Sanctis Ca-

Concil. Tom. IV. p. 328.

Gregor. Tom. II. p. 618.

Cauſ. xxv. Quæſt. I. cap. 16.

Canonibus affixere, excedere minime debeamus. *Ubi hos limites tranſgreſſus fuerit Romanus Pontifex, nonniſi ſchiſmata, diſſenſiones, ac diſcordiæ in Dei Eccleſia erunt.*

Probe id agnovit Benedictus Papa IX. cum ad quendam Galliæ Epiſcopum ſcribens ita ajebat: Profiteor omnibus Conſacerdotibus meis, ubique terrarum Adjutorem me & conſolatorem potius eſſe, quam contradictorem. ABSIT ENIM SCHISMA A ME, ET A COEPISCOPIS MEIS. *Rationem multo ante indicavit Sanctus Pontifex Xyſtus III. in Epiſtula X. ad Epiſcopos Illyricos.* Ut omne corpus capite regitur, ita ipſum caput niſi ſuo corpore ſuſtentetur, firmitatem & vigorem ſuum perdit. *Indicavit & Joannes Papa VIII. in Epiſtula ad Imperatores:* Totius familiæ Domini ſtatus & ordo nutabit, ſi quod requiritur in corpore, non ſit in capite; & inde fiet, ut omnis Eccleſiaſtica diſciplina reſolvatur, omnis ordo turbetur.

Concil. Tom. XI. p. 1133.

Collect. Cutantii p. 1272.

Concil. Tom. XI. p. 330.

Hinc etiam eſt, quod antiqui Pontifices in die conſecrationis ſuæ publico ſe jurejurando obſtringebant, ne tranſverſum quidem unguem ab obſervatione recepto-

rum

rum Canonum ſe receſſuros. Ac ſimiliter in die conſecrationis ſuæ jurabant, jurantque adhuc Epiſcopi hodie obedientiam Papæ præſtandam; ſed obedientiam ſecundum Canones, *obedientiam* ſervato ordine ſuo. *Duo hi axes ſunt totius Diſciplinæ: ut Papa Canonibus regatur in præcipiendo, utque Epiſcopi Canonibus regantur in obtemperando. Quare* Eugenius *Papa IV. in eademmet Bulla*, Lætentur cæli, *in qua definivit apud Florentinum Concilium, Romanum Pontificem* Caput eſſe totius Eccleſiæ, Vicarium Chriſti, Patrem, Doctorem, Paſtoremque omnium Chriſtianorum: *id e veſtigio ſubjunxit:* Salvis Privilegiis Patriarcharum & juribus eorum. *Ne quis vero ſibi perſuadeat*, Privilegiorum *nomine intelligendas hic eſſe meras gratias Papæ: obſervandum eſt, Primatum ipſum Sancti Petri a Beato Leone dictum eſſe* Privilegium Petri: *ipſaque Epiſcoporum jura* Privilegia Eccleſiarum *vocata a Concilio Nicæno fuiſſe Canone IV. Atque hæc jura illa ſunt, quæ Synodus Epheſina Actione VII.* Libertates *dixit* a Chriſto Servatore noſtro Eccleſiæ conceſſas.

Eſt ergo Romanus Pontifex Princeps

& Caput totius Eccleſiæ: ſed & Epiſcopi Principes ſunt & Capita Parœciarum ſuarum. Ejus in controverſiis de Fide & Diſciplina præcipuum quidem judicium eſt, ſed non ſolum: ſuum enim eſt & Epiſcopis judicium, atque illud quidem decretorium, non tantum in Synodum coeuntibus, verum etiam toto orbe diſperſis (a). *Poteſt quidem leges ferre & promulgare pro tota Eccleſia: ſed & Epiſcopi ſuas ferre & promulgare poſſunt pro ſuis Parœciis. Poteſt quidem abrogare & reſcindere, quidquid Legum & Conſtitutionum Epiſcopalium Canonibus generatim receptis adverſum & contrarium inveniatur: ſed & ipſis Epiſcopis jus eſt atque auctoritas ad examinandum & librandum, num latæ a Pontifice leges ac conſtitutiones pugnent cum Canonibus Generalium Conciliorum, vel cum moribus, juribus, ac libertatibus in ſingulis Provinciis uſu legitimo invaleſcentibus. Pro certo habet Romanus Pontifex, ſibi aliquod Fidei caput*

rite

Legatur Concil. *Florent. ſeſ. VIII. pag.* 147. *Cuſa Lib.* II. c. 9. 10. 11. *Marca Lib. II. c.* 16. *n.* 8. *Dupinus* de la Poteſt. Eccleſiaſt. *pag.* 544. *Gallicè.*

(*a*) S. Bernardus in Epiſtula CLXXXIX. ad Innocentium Papam II. *Epiſcoporum miniſterii eſt de dogmatibus judicare.* Hinc decantatum illud Gallicanæ Eccleſiæ Axioma: *Epiſcopos judicare de Fide ante Papam, cum Papa, & poſt Papam.*

rite definienti Spiritum Sanctum adeſſe, ne erret. Sed eundem adflatum proportione quadam ab Spiritu Sancto ſperare debent Epiſcopi, dummodo in regendis ovibus ſuis bonorum Paſtorum partes omnes ſtrenue exequantur. Veritas enim eſt Evangelica: Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, illic ſum ego in medio eorum (*a*). *Hanc Dei præſentiam certo ſibi pollicebantur Epiſcopi Africani in ea Epiſtula, quam de Appellationibus ſcripſere ad Cæleſtinum Papam. Hanc omnibus Eccleſiis communem ponebant Patres Octavi Concilii Generalis; cum Actione VI. ita pronuntiabant*: Spiritus Sanctus qui locutus eſt in Sancta Romana Eccleſia, credimus quod & in noſtris Eccleſiis locutus extiterit. *Meminerant enim illud: (quod in hunc ſolum obſervat Illuſtriſſimus Boſſuetus)* Viſum eſt Spiritui San-

Concil. To. X. p. 556. Boſſuetus in Corollar. Def. Cleri Gallic. §. 7. *To. II. p. 308.*

(*a*) S. Cæleſtinus I. in Epiſtula ad Synodum Epheſinam: *Spiritus Sancti præſentiam teſtatur congregatio Sacerdotum*. S. Martinus Archiepiſcopus Bracarenſis, Præſes Concilii Bracarenſis II. *Inſpiratione hoc Dei credimus proveniſſe, Sanctiſſimi Fratres, ut conveniremus in unum, ut non ſolum de viſione alterutra gratulemur, ſed etiam ea, quæ ad ordinationem & diſciplinam Eccleſiaſticam pertinent, pariter conloquamur. Scriptum eſt enim in Evangeliis, dicente Domino*: Ubicumque ſuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ero in medio eorum.

Sancto & nobis. *Ad extremum eſt ſane Romana Eccleſia* Eccleſia Principalis, *quemadmodum eam vocant Sanctus Irenæus, & Sanctus Cyprianus* (a): *ſed non ſola eſt Chriſti Eccleſia. Sunt & Chriſti ceteræ aliæ Eccleſiæ: omneſque ſimul cum Romana unam illam Eccleſiam conſtituunt* Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam, *quam in Symbolo profitemur* (b).

Audiamus in Concilio Florentino Seſſione IX. magnum illum Beſſarionem Archiepiſcopum Nicænum, poſtea vero Romanum Cardinalem. Scimus quidem quæ ſint jura & Prærogativæ Romanæ Eccleſiæ: nihilominus ſcimus etiam, Prærogativæ ejus quos terminos habeant. QUONIAM QUANTACUMQUE FACULTATE POLLEAT ROMANA ECCLESIA, MINUS TAMEN SYNODO ŒCUMENICA ET UNIVERSALI ECCLESIA. *Quorſum igitur illud eſt, quod nos docent, Romanum Pontificem unicum eſſe Judicem cum definiendo-*

Concil. T. XVIII. p. 155.

(*a*) S. Irenæus Libro III. capite III. (de quo loco erudite diſſerit Marca Libro I. *de Concordia*, Cap. II. nu. 6.) S. Cyprianus Epiſtula LV. ad Cornelium: (de quo legendus Baluzius in Notis pag. 459.).

(*b*) S. Auguſtinus in Pſalmum XLIV. num. 23. Tomo IV. pag. 394. *Ecce Roma, ecce Carthago, ecce aliæ & aliæ Civitates filiæ Regum ſunt, & ex his omnibus fit una quædam Regina,*

dorum Dogmatum, tum adminiſtrandæ Diſciplinæ? Quorſum eſt illud, quod nobis perſuadere volunt, nullum aliud in Eccleſia Dei nomen, nullamque etiam poteſtatem eſſe, quam ſolius Papæ? (id quod in uno ex Dictatibus S.Gregorii VII. legimus).

Quam ab ejuſmodi doctrina abhorrebant Galli Epiſcopi ſæculo nono! qui cum audiſſent, Gregorium Papam IV. ex Italia in Galliam venire ad excommunicandum, quotquot a Ludovico Pio Imperatore eſſent contra duos ejus filios perduelles: intrepide illud reſpondiſſe memorantur ab Aimoino Monacho Libro V. capite XIV. Nullo modo ſe velle voluntati ejus ſuccumbere: ſed, ſi excommunicaturus veniret, ipſe excommunicatus abiret: CUM ALITER SE HABEAT ANTIQUORUM AUCTORITAS CANONUM. *Aimoin. pag. 289. Pariſ. 1603.*

Quam ab iiſdem adulationibus abhorrebat Robertus ille Epiſcopus Lincolnienſis! qui cum Innocentius Papa IV. anno MCCLIII. ſibi reſervare conaretur certas quaſdam Præbendas ex Eccleſiis Angliæ, nihil Pontificiis juſſis territus, nobiliſſimam illam & celebratiſſimam ad eundem Innocentium dedit Epiſtulam, quam de-

ſcri-

ſcribit Matthæus Pariſienſis ejuſdem ævi Hiſtoricus, cujus hæc ſumma erat: Sedi Apoſtolicæ eam tantum auctoritatem ineſſe, quæ juſta imperaret, quæque ſacris Canonibus non adverſaretur: porro Reſervationes illas eſſe injuſtas & cum ſacris Canonibus pugnare: non poſſe igitur nec debere ſe Epiſcopum illas admittere. Propter hoc his quæ in prædicta Littera continentur, unice, filialiter, & obedienter non obedio, contradico, rebello. *Ut vero intelligatis, Excellentiſſimi Antiſtites, ſemper in Romana Curia extitiſſe, qui Epiſcoporum expoſtulationibus faverent; narrationem ſuam hoc modo proſequitur idem Scriptor:* Cum hæc inter fratres Cardinales recitarentur, vix compeſcentes impetum Papæ dixerunt ei: Non expediret, Domine, ut aliquid durum contra ipſum Epiſcopum ſtatueremus: ut enim vera fateamur, VERA SUNT QUÆ DICIT. Non poſſumus eum condemnare. Catholicus eſt, imo & ſanctiſſimus, nobis religioſior, nobis & ſanctior: ita ut non credatur inter omnes Prælatos majorem, imo nec parem habere. Novit hæc Gallicana & Anglicana Cleri univerſitas: noſtra

Matth. Pariſ. p. 871. Londini 1640.

ſtra non prævaleret contradictio (*a*).

Quam ab iis item placitis abhorrebat Chriſtianiſſimus Doctor *Joannes Gerſon, cum ita ſcribebat*: Papa non poteſt pervertere Ordinem Hierarchicum univerſalis Eccleſiæ. Quin in multis caſibus liceret eidem reſiſtere in facie & dicere: Cur ita facis? utpote in exemptionibus manifeſte nocivis, & ſi Prælatos & Eccleſias ſibi ſubditos onerare ſumptibus intolerabilibus, & Libertatibus penitus ſpoliare vellet.

Apud Lau noi. Lib. VI. epiſt. 14. To.V. P. II. p. 325.

Tercentis & amplius annis Gerſone antiquior memorabilem hanc ſententiam ſcripſerat Goffridus Vindocinenſis: Romanæ Eccleſiæ poſt Petrum minime licet, quod Petro non licuit. Petro quæ liganda erant ligandi, & quæ ſolvenda ſolvendi eſt a Chriſto data poteſtas: non quæ liganda ſolvendi, vel quæ erant ſolvenda ligandi eſt conceſſa facultas.

Bibl. PP. To. XXI. p. 60.

Maximo ſane dolori eſt, quod cum Chriſtus Dominus noſter ſuos Apoſtolos Epiſcopos

(*a*) Dux omnium pro Roberto orantium Hiſpanus Cardinalis fuiſſe traditur ab eodem Scriptore. Sic enim habet poſt paullo: *Hæc dixerunt Dominus Ægidius Hiſpanus Cardinalis, & alii, quos propria tangebat conſcientia.*

poſ ordinarit ſub hac verborum forma : Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos: ite, docete, prædicate, baptizate: *poſt tredecim demum elapſa ſæcula exortus fuerit Petrus de Palude, qui doceret, non aliam juriſdictionem a Chriſto immediate inſtitutam eſſe, quam Petri. Et hanc tamen Paludani doctrinam adoptat Cardinalis a Turrecremata! & hunc tamen Paludani Tractatum* egregium *vocat Bellarminus* (*a*)!

Augustin. in Pſalm. XLIV. n. 23. Tertul. in Lib. ad Martyres.

Non minori ſcandalo eſſe debet, quod cum Eccleſia ex doctrina Spiritus Sancti ſit Sponſa Chriſti : Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia. *Cum eadem Eccleſia, Auguſtino judice, ſit* ſuprema quædam Regina: *cum ſit, Tertulliano fatente*, Mater & Domina noſtra: *& quod majus quiddam eſt, cum Arbitra illa ſit plane ſuprema, ad cujus Tribunal eos, qui admoniti reſipiſcere nolint, deferre Petrus jubetur a Chriſto* : Si te non audierit, dic Ec-

(*a*) Petrus Aurelius *in Octo Cauſas Spongiæ præambulas* Tomo I. pag. 150. *Atque hæc omnia ex breviſſimo uno Paludani libello, quem* Cardinalis *Bellarminus* Tractatum egregium *non vocaſſet, ſi legiſſet: quod eum non feciſſe, ex aliis ejus locis ſatis deprehenditur.*

Eccleſiæ (*a*). *Extremis hiſce temporibus adveniat Cajetanus Cardinalis, qui illud probandum ſuſcipiat; Eccleſiam reſpectu Papæ ſervam quandam eſſe, & natura quidem ſervam*. Eccleſia ſerva nata Romani Principis. *Et hi tamen libri ſunt, qui Romæ in pretio habentur: hi ſunt, qui in Indicem damnatorum non referuntur: hi ſunt, qui conſtituunt* Bibliothecam Pontificiam *Illuſtriſſimi Rocabertii, quam ego adpellari potius vellem* Armamentarium opinionum Curiæ.

Cajetan. To. XIX. Bibl. Pōtit. p. 494. *conferatur Launojus Lib. IV. Ep. I. & Baluzius in Notis ad S. Cyprianum p. 549.*

Chriſtus Dominus noſter diſerte per Sanctum Lucam nos docet, Eccleſiæ ſuæ regimen longe diverſum eſſe debere a regimine Monarchiarum & Rerumpublicarum mundanarum. Reges gentium dominantur eorum: VOS AUTEM NON SIC. *Apud Sanctos Patres nihil eſt hac doctrina frequentius. Nihilominus quam pauci hodie ſunt apud Curiam & extra Curiam, qui ſibi non ſtatuant, Papam reſpectu cujuslibet Clerici ſic ſe habere, quem-*

Legatur Marca Lib. II. c. 16. n. 6.

(*a*) Sanctus Auguſtinus Libro VII. *de Baptiſmo* cap. II. de Eccleſia loquens Tomo IX. pag. 200. *Quæ Domus etiam accepit claves & poteſtatem ſolvendi & ligandi. Hanc domum ſi quis corrigentem corripientemque contempſerit, ſit tibi tamquam ethnicus & publicanus.*

quemadmodum reſpectu ſuorum ſubditorum ſæcularium ſe habet Princeps quiſpiam ſæcularis! ipſum reſpectu Epiſcoporum talem eſſe, qualis Rex quilibet reſpectu ſuorum Magiſtratuum! Sicut Rex poteſt coarctare & reſtringere pro libitu juriſdictionem Senatorum, ita penes Papam jus eſſe ad coarctandam & reſtringendam arbitratu ſuo juriſdictionem Epiſcoporum! ſicut Rex, quod ad temporale regimen ſpectat, ſuperiorem in terris alium non agnoſcit quam Deum; ita Papam, quod ſpectat ad Eccleſiæ regimen, adeo ſupremum eſſe, adeo abſolutum, adeo nulli ſubjectum; ut (quemadmodum docet Gloſſa capitis Quanto perſonam, de Translatione Epiſcopi) *nemo ei dicere poſſit*, Cur ita facis? *Quam Gloſſam magnus Gerſon alibi vocat* priſcæ adulationis virus letiferum: *alibi* monſtruoſum horrendumque offendiculum poſitum in itinere mandatorum Dei. *Hinc proculdubio profectum eſt, ut Gerſonis ipſius ætate perinde ſe habere viderentur Epiſcopi*, *ac* ſimulacra depicta: *vel ut in Concilio Tridentino conquerebantur Hiſpani*, ad nihilum redacta *eſſet Epiſcopalis auctoritas*.

Gerſon Tom. II. pag. 247. & 275.

Quis

Quis igitur tantam in cogitando corruptionem non lamentetur? quis tantam Epiſcopalis Ordinis non doleat imminutionem? tam multam Eccleſiaſticæ Hierarchiæ jacturam? tam multos ſenſus Antiquitati contrarios? Nempe ſolus is, qui fuerit in ipſa Antiquitate plane hoſpes: ſolus is, qui nihil fuerit in Sanctorum Patrum lectione verſatus.

Ego ſane candide profiteor apud vos, Excellentiſſimi Antiſtites: hanc Epiſcopalis Jurisdictionis labem, tum qua Epiſcopis dedecori eſt, tum qua ſubditis damnoſa; unam mihi cauſam fuiſſe, cur ad exarandum hunc Librum, quem vobis dedico, calamum adripuerim. Qui licet de impedimentis Matrimonii ſpeciatim agat, illius tamen Principia ejuſmodi ſunt, ut ex iis pariter intelligi poſſit, quantum ad alia etiam Diſciplinæ capita ſe extendere valeat auctoritas Epiſcoporum. Tentaminis *titulo illum donavi, non quod de doctrinis dubitem, quas ego Cenſoreſque mei pro indubitatis habemus: ſed quod noſtrorum hominum præjudicatis opinionibus conſulendum duxerim, quibus ita vigentibus, certus victoriæ eſſe nemo poteſt.*

In

In hoc igitur Libro viſuri eſtis, Excellentiſſimi Antiſtites, me ea quæ doceo, non captioſis ſpeculationibus, non vanis declamationibus fulcire. Scripturæ, Patres, Concilia, Hiſtoria, Theologi majorum gentium, fundamenta illa ſunt, quibus ſuperſtruuntur doctrinæ meæ omnes. Aculeatis cenſuris, dicteriis ad rem nihil facientibus, ſemper abſtinui: mihi enim unum illud propoſitum eſt, certare ratione, veritate vincere. Si vobis ſe, Excellentiſſimi Antiſtites, doctrinæ iſtæ probaverint: maxima ea Libri commendatio erit. Sin minus, ipſa me conſolabitur conſcientia rectæ intentionis, qua & ſcripſi & prælo ſubmiſi. Fieri autem poterit, ut quæ modo abjiciuntur, ea amplexura poſteritas ſit, non ſapientior illa quidem, ſed a partium ſtudiis liberior. Mihi tamen ego perſuadere non poſſum, Excellentiſſimi Antiſtites, fore ut a vobis improbetur is Liber, cujus honor alius non eſt quam Epiſcoporum, & cujus doctrina damnari non poteſt ſine injuria Epiſcopatus. Et maxime id quidem, cum vos latere non poſſit, Canone XIV. Octavi Concilii Generalis, indicta ſuſpenſionis pœna juberi Epiſcopos ea auctoritate ſe gerere erga

Concil. Tom. X. p. 640.

Sæ-

Sæculares Proceres, ut ab illis etiam in politicis bonorari ſe & obſervari curent: æque item ad Religionis, atque ad Status gloriam pertinere, quod integra ſua jura Epiſcopis conſerventur. Quoniam ut jam ſcripſit Beatus Franciſcus Saleſius Epiſcopus Gebernenſis: Id erit Deo glorioſum maxime, ut Epiſcopalis Ordo pro eo, quomodo inſtitutus eſt ac valet, agnoſcatur. *Atque ante annos nongentos monuit Carolus Magnus Imperator, ab eo quod Epiſcopis ſua jura illibata conſtent, Regnorum auctoritatem & ſecuritatem pendere.* Præcipimus atque jubemus, ne forte, quod abſit, aliquis circa Epiſcopos leviter aut graviter agat: QUOD AD PERICULUM TOTIUS IMPERII NOSTRI ATTINET. Et ut omnes cognoſcant nomen, poteſtatem, vigorem, & dignitatem Sacerdotalem. *Oliſipone, XIV. Julii, anno MDCCLXVI.*

Libr. I. epiſt. 30.

Libr. V. Capitularium, *cap. 314. pag. 888. edit. Baluz.*

Excellentiarum Veſtrarum

Humillimus ac Reverendiſs. Servus
Antonius Pereria.

P R O Œ M I U M.

I. ANno MDCCLX. menſe Auguſto ineunte, Decreto ſuo cavit ac ſub graviſſimis pœnis edixit Rex Fideliſſimus, nequis Luſitanorum cum Romana Curia ullum haberet commercium, ſive ſacrarum, ſive civilium rerum cauſa. Scilicet ea Regum & Principum Catholicorum conſuetudo eſt, (ſalvis quidem tum religione tum Pontificis dignitate) cum majeſtatem & auctoritatem ſuam vindicare volunt ab injuriis Romanorum. Ut antiquiora alia prætermittamus exempla, ita apud Gallos fecit in Xiſtum IV. anno MCDLXXVIII. Ludovicus XI., in Julium II. anno MDX. Ludovicus XII., in Julium III. anno MDLI. Henricus II., in Clementem VIII. anno MDXCII. Henricus IV. Ita apud Hiſpanos in Clementem VII. anno MDXXVI. Imperator Carolus V., item in Paulum IV. anno MDLVI. ejus filius Philippus II., tum in Clementem XI. anno MDCCIX. Philippus V. Apud Luſitanos ſimiliter in Benedictum XIII. an. MDCCXXVIII. Dominus Rex Joannes V., cujus exemplum produxit & ſequi ſe proteſtatus eſt Auguſtiſſimus Rex noſter ejus Filius, quem Deus conſervet.

Eſt in hoc genere in primis memorandum & ſingulare illud vindictæ exemplum, quod anno MDLXIII. in Pium IV. edidiſſe traditur Chriſtianiſſimus Rex Carolus IX. tum cum illius Pontificis juſſu potior locus Hiſpano Oratori apud Tridentinam Synodum eſt datus. In mandatis dedit Legato ſuo Carolus, ut poſt expoſitam & exaggeratam forti & aculeata oratione injuriam, qua Regem Filium Eccleſiæ natu maximum adfeciſſet Pontifex; ſermonem his verbis, clauderet, tanto ſane amarioribus, quanto exquiſitioribus: *Sedem Apoſtolicam, Sanctos*

Goldaſt. Tom. IV. Conſtit. Imper. p. 573. *ctos Pontifices, Sanctam Eccleſiam, pro cujus dignitate augenda majores noſtri ſanguinem ſuderunt, veneramur, reveremur, ſuſpicimus. Pii autem IV. imperium detractamus: quæcumque ſint ejus judicia & ſententiæ, rejicimus, reſpuimus, & contemnimus.*

II. Cauſam vero, quamobrem pro juſtis atque honeſtis haberi debeant ejuſmodi vindictæ, ante annos quadringentos quinquaginta ſcriptam reliquit laudatiſſimus ille Dominicanus Joannes de Pariſiis, cum in Libello *de Poteſtate Regia & Papali* cap. 20. ita diſſerit: Pariſ. p. 128. ex edit. Riberii. *Eſt licitum Principi abuſum gladii ſpiritualis repellere eo modo quo poteſt, etiam per gladium materialem: præcipue ubi abuſus gladii ſpiritualis vergit in malum Reipublicæ, cujus cura Regi incumbit: aliter enim ſine cauſa gladium portaret.* Anno poſt centeſimo vigeſimo eandem doctrinam tradidit magnus ille piuſque Gerſon in ſuis *Regulis Moralibus*, Tit. *de Præceptis Decalogi*, ubi ita ſcribit: Gerſon. Tom. III. p. 97. ex edit. Dupinii. *Jure naturali vim vi repellere licet: ſic quod impetitus aliquis a qualicumque perſona cujuſcumque dignitatis etiam Papalis via facti, & non habens juris remedium, ſas habet injurianti ſe de facto reſiſtere ſecundum qualitatem injuriæ, ſcilicet quantum requiritur & ſufficit contra illud ad ſui tutamentum ab hac via facti.* -- Et mox e veſtigio: -- *Caſus multi eſſe poſſunt, in quibus aliquis ſe gerens pro Papa, & pro tali habitus ab Eccleſia, poterit a ſubdito licite vel occidi vel incarcerari, vel per modum quendam appellationis ab eo vel ſubtractionis a ſua obedientia declinari: niſi forte obſtare monſtraretur conſtitutio aliqua non humana ſolum, ſed divina atque revelata, huic naturali juri præjudicans.* -- Hoc ſenſu intelligenda eſt concinna illa narratio, ubi argutus Galliæ Hiſtoricus Thuanus diſſidium deſcribit inter Carolum V. & Clementem VII. *Cæſar Carolus*, inquit,

ut

ut injuriam ſibi a Clemente VII. illatam ulciſceretur, nominis Pontificii auctoritatem per omnem Hiſpaniam abolet: exemplo ab Hiſpanis poſteritati relicto, poſſe Eccleſiaſticam Diſciplinam citra nominis Pontificii auctoritatem ad tempus conſervari. *Thuan. lib. I. p. 33. noviſſimæ editionis.*

III. Theologi qui ſub Rege noſtro Joanne IV. annis abhinc centum & quindecim hoc argumentum tractarunt; multo adhuc explicatius & nervoſius mentem ſuam aperuere in eo Libro cui titulus eſt, *Balatus ovium Luſitaniæ*, Pariſiis edito Latine & Luſitanice an. MDCLI. Quippe qui ita poſuere: *Principi temporali eſſe poteſtatem juriſdictionis in ſuos tum directivæ, tum punitivæ; erga externos, pro ſuis protectionis ac defenſionis; apud exemptos (cujuſmodi Eccleſiaſtici ſunt) œconomicæ & conſervativæ, quæ plerumque conjungitur cum protectiva & defenſiva, etiam contra eoſdem Eccleſiaſticos. Quæ ſane poteſtas protectionis eo nomine ad Principes pertinet, quia hi ſunt Protectores ac Tutores Regni, ſervando jus, removendo injuriam ſibi & ſubditis factam vel faciendam: atque adeo cum dignitatem ſuam tum Rempublicam tueri poſſe ac debere.* Ex eo autem principio confecere noſtri ad unum omnes, ſuffragante optimo quoque externorum Doctorum: *Suppoſito quod tam manifeſta Regi & Regno inferretur injuria, licere omnino Regi & expedire poteſtate œconomica uti, & injurias hujuſmodi propulſare. Primum jubendo, ut quicumque Luſitani Romæ eſſent morarenturve, Beneficiis Eccleſiaſticis gaudentes, ii omnes Roma exirent, & in patriam remearent; ſin minus, fructus Beneficiorum interciperentur. Deinde ſubtrahendo Penſiones, quæ Romæ ſolvuntur, tum naturalibus, tum externis. Præterea præcipiendo, ne ullum emolumenti & pecuniæ genus ob cauſarum expeditiones Romam mittatur, vetando ne eo negotia deferantur.* Balatus ovium p. 186. Latinæ editionis, cui in ſumma conſentit Luſitana.

Quandoquidem imperitis potius quam ſapientibus

tibus ſcribo, placet adhuc aliquantulum immorari in exponenda doctrina celeberrimi illius Cardinalis e Dominicano Ordine Thomæ de Vio, vulgo *Cajetani* nuncupati, a patria *Cajeta*, quæ urbs eſt Regni Neapolitani. Hic Theologorum Tranſmontanorum Princeps, in Commentariis in Secundam Secundæ B. Thomæ, cum ad mentem Doctoris Angelici explicare contendat, quid ſit ſchiſma, in hunc modum ſcribit: *In reſponſione ad ſecundum, adverte diligenter, quod recuſare præceptum vel judicium Papæ contingit tripliciter. Primo ex parte rei judicatæ ſeu præceptæ: ſecundo ex parte perſonæ judicantis; tertio ex parte officii ipſius Judicis. Si quis enim etiam pertinaciter contemnat ſententiam Papæ, quia ſcilicet non vult exequi quæ mandavit: licet graviſſime erret, non tamen eſt ex hoc ſchiſmaticus. Contingit namque & ſæpe, nolle exequi præcepta ſuperioris, retenta tamen recognitione ipſius in ſuperiorem.* SIQUIS VERO PERSONAM PAPÆ SUSPECTAM RATIONABILITER HABET, ET PROPTEREA NON SOLUM PRÆSENTIAM EJUS, SED ETIAM IMMEDIATUM JUDICIUM RECUSAT, PARATUS AD NON SUSPECTOS JUDICES AB EODEM SUSCIPIENDOS, NEC SCHISMATIS NEC ALTERIUS VITII CRIMEN INCURRIT. NAMQUE POTEST PERSONA PAPÆ TYRANNICE GUBERNARE: ET TANTO FACILIUS, QUANTO POTENTIOR EST, ET NEMINEM IN TERRIS TIMET ULTOREM. *Cum quis autem Papæ præceptum vel judicium ex parte ſui officii recuſat, non recognoſcens eum ut Superiorem, tunc proprie ſchiſmaticus eſt. Et juxta hunc ſenſum intelligenda verba Litteræ hujus & ſimilium:* INOBEDIENTIA ENIM QUANTACUMQUE PERTINAX, NON CONSTITUIT SCHISMA, NISI SIT REBELLIO AD OFFICIUM PAPÆ VEL ECCLESIÆ, *itaut renuat illi ſubeſſe, illum recognoſcere ut Superiorem, &c.* Doctrinæ a Cardinale Cajetano traditæ hæc ſum-

Cajetan. in 2.2. Qu. XXXIX. Art. 1. ad 2. Tom. XI. P. II. fol. 100. verſ. Romæ 1578.

ſumma eſt: non peccare eum, nec ſchiſma facere, qui ſe ea ratione a Pontifice ſubtrahit, ut quamvis injuſtis & tyrannicis mandatis ejus obtemperare nolit, paratus tamen eſt ejuſdem auctoritatem tamquam legitimam agnoſcere in rebus ſpiritualibus & juſtis.

IV. Intercluſo autem commercio cum Romanis, quemadmodum grave eſſe Luſitanis mox cœpit carere Reſcriptis & Diſpenſationibus, ita etiam de poteſtate Epiſcoporum pro ea rerum difficultate diſputare mox cœperunt noſtri Theologi. Ac Luſitanis quidem Proceribus bene multis dolentibus, jam tot annos eo in ſtatu eſſe res ſuas, ut quando interea nullas gratias ambire liceret a Romana Curia, ſibi prorſus neceſſe eſſet vel parum dignas uxores ducere, vel nullas ducere, idque maximo cum diſcrimine tot Domorum & Titulorum: fuere de Profeſſoribus Theologiæ, qui dicerent poſſe Epiſcopos eo in caſu illa impedimenta tollere, quæ ex conſanguinitate & affinitate oriuntur. Ea enim potiſſima fere habentur apud Luſitanos, ubi Optimatum plerique propinquitatis ceu vinculo colligati, arctiſſime inter ſe cohærent. Sed harum ſententiarum ſicut nulla id, in quo fundus quæſtionis erat, attigerat; (poteſtatem ſcilicet Epiſcoporum uno Summi Pontificis arbitrio metientibus ſingulis) ita nulla, quod ſciam, alicui ſe probavit Epiſcopo. Revera enim, niſi quis prius animum advertat, quam ſint ingentes vires, quas ab inſtitutione ſua habeat Epiſcopalis Ordo: niſi exponat, quænam Eccleſiæ conſuetudo fuerit prioribus ſæculis: niſi aperiat quem ortum habuerint Reſervationes Pontificiæ: niſi oſtendat, ſine ipſorummet adſenſu non potuiſſe Romanum Pontificem in perpetuum exturbare Epiſcopos poſſeſſione & exercitio illorum munerum, quæ divina inſtitutione ſunt ipſorum Epiſcoporum ma-

maxime propria: niſi denique examinet, quæ conditiones juſtam, quæ item circumſtantiæ neceſſariam diſpenſationem faciant. Niſi hæc, inquam, aliaque Principia quis ante ſtabiliat: profecto nec ſine difficultate & ſalebris procedere, nec a meticuloſis animis habere optatum adſenſum poteſt ratiocinatio Theologorum.

V. Atque ego ſane neque ea ſapientia, neque ea auctoritate me eſſe arbitror; ut putem in eo argumento ſentire mecum debere tot tamquam egregios Antiſtites, quot hodie Eccleſiis noſtris præſident. Spero tamen aliquid lucis, aliquid etiam novorum monumentorum a me allatum iri: quod expoſitam doctrinam non modo valde probabilem, verum etiam practice tutam reddat. Eapropter opus hoc meum *Tentamen Theologicum* dico. Eſto enim voluntatem forte non moveat: certe legentium mentes poterit illuſtrare. Quo autem bene diſtributa & plana ſint omnia, illud in duas Partes dividam. Quarum prima Fundamenta jaciet, quibus innixus conficiam: ubi adiri Roma non poſſit, ſive Principibus prohibentibus, ſive ingruentibus bellis, ſive pertinaci aliquo ſchiſmate perdurante; devolvi ad Epiſcopos poteſtatem diſpenſandi in omnibus caſibus, qui alioquin Papæ reſervati erant. Altera oſtendet, cujuſmodi doctrinas & exempla de hoc argumento nobis reliquerint Doctores, Academiæ, & Antiſtites aliorum Regnorum.

TEN-

TENTAMINIS THEOLOGICI

PARS PRIMA

Continens Principia unde conficitur, ſub hodierno rerum ſtatu poſſe Epiſcopos providere & diſpenſare in omnibus caſibus, qui non patiuntur moram.

PRINCIPIUM PRIMUM.

Juriſdictio Epiſcopalis in ſemet ſpectata, hoc eſt, in ſua inſtitutione a Chriſto facta; præſciſſiſque vel lege, vel conſuetudine, vel reſervatione in contrarium: juriſdictio quædam eſt abſoluta, & quæ nullos limites habeat, reſpectu ſingularum Diœceſium.

Doctrina Evangelii de inſtitutione Epiſcoporum. Loca S. Cypriani: Canones Niceni, Conſtantinopolitani, Chalcedonenſes.

Quam grave vulnus inflixerint Eccleſiaſticæ tum Diſciplinæ tum Hierarchiæ, a ſæculo nono ſpuriæ Decretales Iſidori Mercatoris, a ſæculo duodecimo Decretum Gratiani. Teſtimonia Bernardi, Durandi Epiſcopi Mimatenſis, Cardinalis Cuſani, Joannis Gerſonis, & Petri Aurelii.

PROBATIONES.

I. APud Matthæum Capite XXVIII. 18. poſt Reſurrectionem ſuam Apoſtolos ita adlocutus eſt Chriſtus: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra: Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti:*

ſti : docentes eos ſervare omnia quæcumque mandavi vobis. Apud Joannem Cap.XX. 21. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritum Sanctum : quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis ; & quorum retinueritis, retenta ſunt*. Ex his locis certum habemus primo: virtute hujus miſſionis Apoſtolorum a Chriſto factæ, conſtitutos illos fuiſſe Miniſtros Novi Teſtamenti, (ſic enim Paulus loquitur) hoc eſt, Paſtores Eccleſiæ ſuæ, Adminiſtratoreſque ſive Diſpenſatores omnium Sacramentorum quæ idem Dominus inſtituerat : ex quibus ſolum Baptiſmum & Pœnitentiam ideo expreſſit Chriſtus, quod ad hominum ſalutem hæc erant potiſſima.

Certum habemus ſecundo : in hac Sacramentorum adminiſtratione contineri non ſolum poteſtatem Ordinis, ſed etiam Juriſdictionis : hoc eſt, non ſolum poteſtatem conſecrandi Corpus Chriſti, & remittendi peccata, ſed etiam ipſum exercitium horum & ceterorum Sacramentorum, ipſam electionem & miſſionem novorum Miniſtrorum, ipſam facultatem ferendi novas leges ad eandem Sacramentorum adminiſtrationem pertinentes., adeoque facultatem eas relaxandi, quoties id ſuaderet utilitas aut neceſſitas Fidelium. Ideo S. Paulus Act. XX. 28. officium Epiſcoporum explicat per actus regendi vel gubernandi Eccleſiam Dei. *Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit regere Eccleſiam Dei.* Planum eſt autem, ab hoc regimine ſeparari non poſſe facultatem condendarum legum, ac proinde etiam relaxandarum.

Atque hinc profecto eſt, quod in illis Provinciis, quas ſinguli regendas ſuſcipiebant, diverſas conſtitutiones edere ſolebant Apoſtoli, utpote Supremi quidam apud greges ſuos Legumlatores. Has proinde *Apoſtolicas* conſtitu-

tutiones hodieque dicimus: quales illæ ſunt de jejunio Quadrageſimæ, de celebrando Paſchate, aliiſque Feſtis Chriſti ſtatis diebus; de ritibus item & cæremoniis, quibus Baptiſmus & alia Sacramenta conſtant. Atque de legibus quidem ejus generis agit procul dubio S. Paulus, cum in priori ad Corinthios Epiſtula XI. 34. ait: *Cetera autem, cum venero, diſponam*. Nonnullas pro arcendis ab Epiſcopatu & Sacerdotio certis hominibus, quas *Irregularitates* vocant, idem Apoſtolus promulgavit in Epiſtula ad Timotheum & ad Titum. In altera vero ad Corinthios Cap. II. 10. ſcribit idem Paulus, ſe ut Chriſti Vicarium ſubdito cuidam remiſiſſe partem pœnarum, quas ille utpote pollutus inceſto pati meruerat: tum hominis miſericordia motum effeciſſe, ut ille reſtitueretur fratrum cœtui, a quo excommunicationis lege depulſus antehac fuerat. Quod illuſtre quidem exemplum eſt poteſtatis ad diſpenſandum.

Certum habemus tertio: hanc poteſtatem a Chriſto Apoſtolis collatam ad regendas Eccleſias ſive Diœceſes, quæ ſingulis ſorte obtingerent, vel quas ipſi divino inſtinctu ſibi deligerent; poteſtatem quandam fuiſſe abſolutam, & quæ nullos haberet limites, ſed cauſarum genera omnia complecteretur. Patet: nam forma verborum, qua uſus eſt Chriſtus in mittendis Apoſtolis, poteſtatem quandam præ ſe fert nullis limitibus, nulla exceptione circumſcriptam: *Data eſt mihi omnis poteſtas: euntes ergo docete &c. Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos &c.* Revera autem homines illi, quos Chriſtus in tot & tam longinquas Regiones mittebat, ceu totidem Legatos ſuos a latere (ſecundum illud Pauli, *pro Chriſto Legatione fungimur:*) homines illi, quos idem Chriſtus conſtituebat Patres naſcentis Eccleſiæ,

Principes populi Chriſtiani, Deoſque fortes orbis, quemadmodum ſcripſit David: (*Pro patribus tuis nati ſunt tibi filii: Principes populorum congregati ſunt: Dii fortes terræ vehementer elevati ſunt*): Illi homines, inquam, non alii eſſe debebant, quam Summi quidam & veluti Omnipotentes Chriſti Oratores, quibus omnia licerent, omnia permitterentur reſpectu illarum Diœceſium, quibus unuſquiſque præfectus erat. Hoc ex eo confirmatur: quod nobis pro certo conſtat, omnes & ſingulos Apoſtolos pro ea poteſtate qua gaudebant, multos in illis Provinciis quas adminiſtrabant, per ſemet ordinaſſe Epiſcopos, iiſque poteſtatem impartitos eſſe aliorum ordinandorum. Hoc S. Joannes fecit in Proconſulari Aſia, ubi Smyrnæ Epiſcopum conſtituit S. Polycarpum, ut notum eſt cum ex Tertulliani Libro de *Præſcriptionibus* Cap. 32. tum ex Libro Hieronymi de *Scriptoribus Eccleſiaſticis*, num. 17. Hoc S. Paulus fecit in Creta, ubi Archiepiſcopum Gortynæ conſtituit S. Titum, communicata etiam cum eo poteſtate novorum Epiſcopatuum per eandem inſulam creandorum: ut in Epiſtula ad Titum legimus Cap. I. 5. Si ergo Apoſtoli ea auctoritate muniti, qua Chriſtus Epiſcopalem ordinem decoraverat, tot Epiſcoporum ordinationes in ſuis Diœceſibus celebrabant, quod maximum ſane munus eſt Eccleſiaſticæ Hierarchiæ: quid, quæſo, eſſe vel contingere poſſet in his & aliis Diœceſibus, quod ipſorum Apoſtolorum regimini & curæ non ſubeſſet?

II. Jam ſi quæramus, quinam illi ſint, qui in hac poteſtate & juriſdictione Apoſtolis ſucceſſerint: hos Epiſcopos eſſe univerſi Patres conſentiunt: S. Firmilianus Cappadox in epiſtula 75. ad Cyprianum: idem Cyprianus in epiſtula ad Cornelium, quæ eſt quadrageſima

ſima quinta in editione Felli, qua utimur: S. Pacianus Barcinonenſis in epiſtula I. S.Hieronymus in epiſtula (*a*) ad Evangelum, & in epiſtula ad Marcellam. Ne omnes deſcribamus, ſufficiat audire locum S. Firmiliani, qui eſt elegantiſſimus. Poſtquam retuliſſet formam, qua Chriſtus apud S. Joannem Epiſcopos ordinavit Apoſtolos, ita pergit: *Poteſtas ergo remittendorum peccatorum Apoſtolis data eſt, & Eccleſiis quas illi a Chriſto miſſi conſtituerunt, & Epiſcopis qui eis ordinatione vicaria ſucceſſerunt.* Cypr. p. 324. Nec minus inſigne illud eſt Auguſtini in Pſalmum XLIV. num. 32. *Pro Apoſtolis conſtituti ſunt Epiſcopi. Non ergo te putes deſertam*, (Eccleſiam adloquitur) *quia non vides Petrum, quia non vides Paulum, quia non vides illos, per quos nata es: de prole tua tibi crevit paternitas.* Auguſt. Tom. IV. p. 398. Sed quid opus eſt in ea veritate demonſtranda laborare, quam Synodus Tridentina Seſſ. XXIII. Cap. 4. pro comperta & indubitata habuit?

Hinc duo conficio maximi momenti. Primum: juriſdictionem Epiſcoporum eſſe immediate a Chriſto, non vero a Papa. Demonſtratur. Nam qui Petro dixit, *Tu es Petrus, &c.* &, *Paſce oves meas*: idem ceteris Apoſtolis dixit, *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*: *Euntes ergo docete, &c.* Sicut ergo ex prioribus locis colligitur, Succeſſorem Petri

(*a*) Non *ad Evagrium*, ut in priori editione Luſitana mendoſe poſitum eſt. Quem tamen errorem ante nos etiam erravere Richerius, Launoius, Thomaſſinus, Maiburgus, Febronius, aliiqui ſummi viri: decepti, credo, falſa inſcriptione capitis *Legimus* apud Gratianum Diſt. XCIII. ubi Hieronymi locus citatur ex epiſtula *ad Evagrium*, cum tamen in correctis editionibus nulla ad Evagrium inveniatur.

eſſe jure divino Primatem Eccleſiæ, habereque immediate a Chriſto præfecturam & adminiſtrationem ſuper Eccleſiam univerſalem: ita ex locis aliis confici debet, Succeſſores Apoſtolorum jure divino eſſe Paſtores & Rectores ſuarum Diœceſium, habereque immediate a Chriſto poteſtatem eas regendi & adminiſtrandi. Perſtat in hac doctrina ex omni memoria etiamnum tota Sacra Facultas Pariſienſis: perſtitit etiam conſtanter per duodecim ſæcula tota Eccleſia Catholica: uſque dum ignorantia vel antiquitatis contemptus (quod Illuſtriſſimus Boſſuetus obſervat Libro VIII. Cap. XI.) in Scholas invexit huic repugnantem alteram, quæ juriſdictionem Epiſcoporum a Papa repetit immediate. Quæ doctrina ut falſa haberetur, ſatis erat animadvertere, novam eſſe eam & inauditam uſque ad ſæculum XIII., cum ex adverſo prioris illius graviſſima atque luculentiſſima argumenta extent in Scriptura & Traditione. Quid enim aliud ſignificare nobis voluit Chriſtus, quando Apoſtolis ſuis dixit, *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos:* niſi unum eſſe Chriſtum, non vero Petrum, qui tam Apoſtolis quam Epiſcopis Apoſtolorum Succeſſoribus, adnexam ipſorum caracteri juriſdictionem tribuit & auctoritatem? Quid aliud perſuadere nobis voluere ipſi Apoſtoli, cum in Concilio Jeroſolymitano ita definiere, *Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis:* niſi Epiſcopalium Decretorum ſive in Conciliis Generalibus, ſive in Particularibus editorum, vim omnem immediate eſſe a Chriſto, non a Papa? Quid aliud intellexit B. Paulus, cum Aſiæ Epiſcopis dicebat: *Vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei:* niſi Epiſcopalis poteſtatis unum Spiritum Sanctum Auctorem eſſe, non vero Chriſti Vicarium? Quid aliud manifeſtare intenderunt antiqui Epiſcopi,

cum

cum in Conciliis ita ſcribebant: *Ego judicans, ego definiens ſubſcripſi:* niſi in condendis Fidei & Diſciplinæ Decretis eadem auctoritate apud Synodos pollere Epiſcoporum ſententias, qua nixus in Jeroſolymitana dicebat Jacobus Apoſtolus: *Propter quod ego judico*, *&c.* Denique quid aliud arbitrati ſunt ſive Patres Quinti Concilii Generalis, cum abſente, imo etiam repugnante Romano Pontifice famoſa illa tria Capitula Neſtoriana condemnavere: ſive Patres Octavi Concilii itidem Generalis, cum nulla expectata confirmatione Apoſtolicæ Sedis, talem ſententiam in Phocium protulere: *Nos eum inobedientem & reſiſtentem Sanctæ huic & univerſali Synodo repulimus & anathematizavimus, per datam nobis poteſtatem in Spiritu Sancto a primo & magno Pontifice noſtro, Liberatore ac Salvatore cunctorum*: niſi latis a Corpore Epiſcoporum Judiciis, etiam ante confirmationem Papæ divinam quandam vim ineſſe, immediate a Chriſto acceptam, qui unicus Auctor eſt omnium Sacramentorum, unicus Fons totius juriſdictionis Eccleſiaſticæ?

III. Alterum conſectarium eſt: hanc poteſtatem a Chriſto datam Epiſcopis ex ſe eſſe poteſtatem quandam abſolutam & incircumſcriptam, reſpectu uniuſcujuſque Diœceſeos gubernandæ. Demonſtratur ex iiſdem Principiis. Nam ſicut dicens Petro, *Tu es Petrus*, & *Paſce oves meas*; Succeſſores Petri, qui Romani Pontifices ſunt, Chriſtus conſtituit Paſtores univerſalis Eccleſiæ, ſalvis omnino Juribus Epiſcoporum: ita cum dixit Apoſtolis, *Sicut miſit me Pater*, *& ego mitto vos*: Succeſſores Apoſtolorum, qui ſunt Epiſcopi, idem creavit Paſtores cujuſque Eccleſiæ particularis, ſalvo etiam Primatu Papæ: qui in nullo alio conſiſtit, quam in Adminiſtratione & inſpectione ſuper totam Eccleſiam Catholicam; eo fine

videlicet, ut miniſter quilibet pro gradu ordinis ſui proprio munere & officio recte fungatur, utens ad id tamquam norma quadam divino jure, iiſque canonibus, qui communi conſenſu conſtituti ſunt & recepti ab univerſa Eccleſia. Utraque enim auctoritas, & Papalis & Epiſcopalis, ejuſdem ordinis eſt, atque ad unum idemque genus pertinet: in eoque tantum una ab alia differt, quod Papa reſpectu totius Eccleſiæ perinde ſe habet, ac Metropolitanus reſpectu totius Provinciæ, ſalvis omnino Juribus Suffraganeorum (a). S.Thomas in IV. Sententiarum, Diſt. XXIV. Quæſt. III. art. 2.

S. Thom. Tom.VII. P.II. fol. 145. *Poteſtas Sacerdotis exceditur a poteſtate Epiſcopi, quaſi a poteſtate alterius generis. Sed poteſtas Epiſcopi exceditur a poteſtate Papæ, quaſi a poteſtate ejuſdem generis. Unde omnem actum hierarchicum quem poteſt facere Papa, poteſt facere Epiſcopus.* Quod quidem brevius complexus eſt Cardinalis de Cuſa Libro II. de *Concordantia Catholica* Cap. 13. *Hoc ſolum ſingularitatis in* Pe-

(a) Acute id quidem ſignificabat Petrus Guerrerius Archiepiſcopus Granatenſis, cum in Concilio Tridentino ſic ajebat: *Ego ſum Granatæ Epiſcopus, Papa autem Archiepiſcopus*. Vide Hiſtoriam Pauli Sarpii Libro VII. pag. 672. Italicæ editionis. Optime item ante annos quadringentos de hoc argumento diſſeruit Joannes Pariſienſis in Libro de *Auctoritate Regia & Papali*. Capite X. ſic enim habet: *In collatione hujuſmodi poteſtatis Chriſtus non poſuit aliquam reſtrictionem reſpectu aliorum a Petro: licet ex modo loquendi appareat, quod vellet Petrum Eccleſiæ principaliorem & caput Eccleſiæ eſſe propter unitatem conſervandam. Et intelligendum eſt ita ſe habere: quod ſicut in Apoſtolis tunc quidquid potuit unus ſicut Petrus, potuit & alius: ita & nunc de Jure communi, quidquid poteſt Papa, poteſt quilibet Epiſcopus,* NISI QUOD PAPA POTEST UBIQUE, ALII VERO EPISCOPI IN SUIS DIŒCESIBUS TANTUM.

Petro fuit, quod ipſe fuit major in adminiſtratione. Et Cap. 17. *Superioritas in Archiepiſcopo, Primate, & Papa, in adminiſtratione conſiſtit*. *Cuſa p. 728. & 735. Baſil. 1565.*

IV. Nihil hac veritate conſtantius traditur ab antiquis Patribus. Conſentiunt omnes, id quod Chriſtus ſingulariter Petro dixit, *Paſce oves meas*, ratione ſui officii ſingulis Epiſcopis competere: atque ad Petrum ſingulariter orationem ſuam Chriſtum propterea convertiſſe, non quod unum illum conſtitutum vellet Paſtorem; ſed ut omnes intelligeremus, tot Greges, & Paſtores, quot componunt Eccleſiam, ſic Petro tamquam capiti vel centro Catholicæ unitatis ſubdi & cohærere debere; ut tam multæ Diœceſes, tam multi Epiſcopi, una illa eſſe Eccleſia monſtraretur. Videantur teſtimonia S.Baſilii Conſtitutionum Monaſticarum cap. 22. S. Hieronymi medio Libro I. contra Jovinianum: S. Joannis Chryſoſtomi Homilia 79. in Matthæum: S. Auguſtini Libro *De Agone Chriſtiano* Cap. 30. & Sermone 108. *De Diverſis* Cap. 4. S.Cyrilli Alexandrini Libro XIII. *De Adoratione in Spiritu*: Venerabilis Bedæ Commentariis in Caput XXI. Joannis: aliaque aliorum quæ deſcribit Launojus Epiſtula ad Hadrianum Vallantium, quæ eſt quinta Libri II. item Dupinus Diſſertatione IV. quæ eſt *de Primatu Romani Pontificis*, Cap. I. §. I. Ego nonnulla tantum adferam S. Cypriani, qui inter Sanctos Patres is eſt, quo nemo ſive frequentius ſive validius depinxit adnexam a Chriſto Epiſcopatui poteſtatem. *Launoy. T.V. P.I. pag.215. Dupin.p. 308.*

V. In Epiſtula XXXIII. *ad Lapſos* Cyprianus adfirmat, divinæ inſtitutionis eſſe a Chriſto profectæ, ut nova Eccleſia quam ipſe condebat, ſuper Epiſcopos ſtabiliretur & firmaretur: utque omnium actuum & munerum ceu Supremi quidam Arbitri & Adminiſtratores apud ipſam Eccleſiam eſſent Epiſcopi. *Divina*

lege

Cypr. p. 216. *lege fundatum eſt, ut Eccleſia ſuper Epiſcopos conſtituatur*, ET OMNIS ACTUS ECCLESIÆ PER EOSDEM PRÆPOSITOS GUBERNETUR. In Epiſtula LXXII. ad S. Stephanum Papam ſcribit idem Cyprianus, unumquemque Epiſcopum in ſua Diœceſi Supremum Præfectum eſſe, qui in adminiſtrandis Sacramentis & interno ejus regimine nullum Superiorem agnoſcat, niſi Chriſtum. Ibid. p. 306. *Qua in re nec nos vim cuiquam facimus aut legem damus:* CUM HABEAT IN ECCLESIÆ ADMINISTRATIONE VOLUNTATIS SUÆ ARBITRIUM LIBERUM UNUSQUISQUE PRÆPOSITUS, *rationem actus ſui Domino redditurus*. In oratione a qua idem Cyprianus anno CCLVI. auſpicatus eſt quoddam Concilium, cui intererant Epiſcopi 87. multo adhuc luculentius loquitur Sanctus Doctor. Aperte enim ait, pro his quæ pertinent ad gubernationem & adminiſtrationem uniuſcujuſque Diœceſeos, neminem eſſe in Eccleſia Dei, qui Epiſcopus Epiſcoporum haberi debeat: ſed unumquemque gregis ſui Supremum eſſe Paſtorem, qui omnia poſſit, & qui a ſolo Chriſto ſit judicandus. Ibid. p. 138. *Supereſt ut de hac ipſa re ſinguli quid ſentiamus, proferamus: neminem judicantes, aut a jure communionis aliquem, ſi diverſum ſenſerit, amoventes. Neque enim quiſquam noſtrum Epiſcopum ſe Epiſcoporum conſtituit, aut tyrannico terrore ad obſequendi neceſſitatem collegas ſuos adigit:* QUANDO HABEAT OMNIS EPISCOPUS PRO LICENTIA LIBERTATIS ET POTESTATIS SUÆ ARBITRIUM PROPRIUM: *tamque judicari is ab alio non poſſit, quam nec ipſe poteſt judicare. Sed expectemus univerſi judicium Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui unus & ſolus habet poteſtatem & præponendi nos in Eccleſiæ ſuæ gubernatione, & de actu noſtro judicandi.*

VI. Nequis autem exiſtimet, Cyprianum ideo tam magnifice locutum eſſe de auctoritate

Epiſcopali, quoniam foret Papæ Stephano ſubiratus: ſufficiat obſervare, Epiſtulam XXXIII. *ad Lapſos*, quam priori loco deſcripſimus, datam a Cypriano eſſe anno CCL. hoc eſt, quarto aut quinto anno ante excitatam controverſiam de Rebaptizatione. Adde quod in plurimis aliis operibus editis ſub Cornelio, Stephani Prædeceſſore, eandem illam doctrinam pari claritate & adſeveratione tradidit Cyprianus. Veluti cum in Epiſtula LV. ad Antonianum ſcripta anno CCLII. ita inquit: *Manente concordiæ vinculo, & perſeverante Catholicæ Eccleſiæ individuo Sacramento, actum ſuum diſponit & dirigit unuſquiſque Epiſcopus, rationem propoſiti ſui Domino redditurus.* Judice ergo Cypriano, dummodo quilibet Epiſcopus pacem & unitatem Catholicam ſervet, non diſcedens a Diſciplina generaliter recepta; Supremus ille eſt quoad cetera omnia Diœceſis ſuæ Rector, qui ſolum Deum judicem agnoſcat actus ſui. Ibid. p. 248.

In Epiſtula LIX. ad Cornelium data anno CCLII. docet Cyprianus, duobus Reis Fortunato & Feliciſſimo, a Synodo Provinciali judicatis & damnatis, nullam a Cornelio ſpem eſſe debere ſuorum graduum recuperandorum; neque prodeſſe iis poſſe ad eludenda Decreta Conciliorum Africanorum, quod uterque Romanæ Sedis auctoritatem imploraſſet. In ſuis quippe Synodis eſſe Epiſcopos cauſarum uniuſcujuſque Provinciæ Supremos Arbitros, qui ſoli Deo ſubeſſent. Eſſe rationi conſentaneum, ut ibi cauſæ judicarentur, ubi crimina perpatrata eſſent. Non alio quam perditorum & deſperatorum numero habendos, ſi qui in animum induxiſſent, intra Provincias minorem eſſe juriſdictionem Africanorum quam Romanorum. *Cum ſtatutum ſit omnibus nobis, & æquum ſit pariter ac juſtum, ut uniuſcujuſque cauſa illic audiatur, ubi eſt crimen admiſſum: & ſin-* Ibid. p. 266.

ſingulis paſtoribus portio gregis ſit adſcripta, quam regat unuſquiſque & gubernet, rationem ſui actus Domino redditurus: oportet utique eos quibus præſumus, non circumcurſare, ſed agere illic cauſam ſuam, ubi & accuſatores habere & teſtes ſui criminis poſſint: niſi ſi paucis deſperatis & perditis minor videtur eſſe auctoritas Epiſcoporum in Africa conſtitutorum, qui jam de illis judicaverunt.

Ad extremum in Libro *de Unitate Eccleſiæ* anno CCLI. elucubrato, graviſſimum illud & in primis memorandum Axioma nobis reliquit
Ib. p.78. Cyprianus: *Epiſcopatus unus eſt, cujus a ſingulis in ſolidum pars tenetur.* Quaſi diceret, Epiſcopatum quidem unum eſſe, ſed ita a Chriſto diviſum, ut unus Epiſcopus ſeorſim tota ea poteſtate in ſolidum potiatur, qua potitur alius Epiſcopus. Non potirentur autem ſinguli ſolido Epiſcopatu, ſi intra Diœceſim ſuam major hujus eſſet auctoritas quam illius. Eſt ergo omnibus æqualis poteſtas, omnibus una atque eadem poteſtas.

Id ipſum aperte ſignificaverat idem Cypria-
Ib. p.77. nus paullo ante in eodem Libro dicens: *Hoc erant utique & ceteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi honoris & poteſtatis: ſed exordium ab unitate proficiſcitur, ut Eccleſia una monſtretur.* Quod enim Cyprianus loquatur non tantum de poteſtate ordinis, ſed etiam & potiſſimum de poteſtate juriſdictionis, aperte conſtat ex verbis illis Chriſti ad Petrum; *Tu es Petrus &c. Paſce oves meas:* & ex illis ad ceteros Apoſtolos, *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos:* quæ quidem Cyprianus præmiſerat. Verba autem Chriſti & poteſtatem juriſdictionis & exercitium illius plane deſignant. Ergo Epiſcopatus totam illam poteſtatem complectitur, quam Chriſtus in Eccleſia reliquit. Ergo in ſingulis Epiſcopis poteſtas hæc abſoluta eſt, ſuprema, & incircumſcripta.

Qua-

Quare in Epiſtula LXVI. ad Florentium, cum velit Cyprianus Eccleſiam definire, ipſam conſiſtere adfirmat in congregatione plebis Epiſcopo adhærentis: ita ut idem ſit animo concipere plebem quamlibet Chriſtianam ſuo Epiſcopo adhærentem, ac concipere Eccleſiam Chriſti. *Illi ſunt Eccleſia, Plebs Sacerdoti adunata, & Paſtori ſuo grex adhærens. Unde ſcire debes, Epiſcopum eſſe in Eccleſia, & Eccleſiam in Epiſcopo.* Ergo cum in omni Eccleſia inveniri debet omnis poteſtas, conſequens eſt, ut quia Epiſcopus una cum plebe Eccleſiam conſtituit, omnem poteſtatem habere debeat idem Epiſcopus. Ib.p.286.

Id egregie confirmatur ex eo, quod ipſe S. Petrus Apoſtolus volens uno quaſi tractu atque uno verbo ſignificare, quantus & qualis foret Chriſti influxus in Eccleſiam, ipſum Epiſcopum nominavit animarum noſtrarum. *Converſi eſtis nunc ad Paſtorem & Epiſcopum animarum veſtrarum.* Confirmatur præterea ex more naſcentis Eccleſiæ, quæ obſervante Theodoreto in I. Epiſtulam ad Timotheum Cap. 3. Apoſtolos vocabat Epiſcopos. *Qui nunc vocantur Epiſcopi, Apoſtolos nominabant.*

Id ipſum ſe de Epiſcopatu ſentire oſtendebant antiqui Patres, cum Epiſcopos decorabant amplo illo & magnifico titulo *Vicariorum Chriſti*. Veluti cum ita dicunt Patres Concilii Meldenſis anno DCCCXLV. *Nos omnes licet indigni, Chriſti tamen Vicarii*. Et Patres Concilii Cariſiacenſis anno DCCCXLVIII. *Paſtores Eccleſiarum ut Patres & Chriſti Vicarios colite*. Hos enim allegaſſe ſatis erit, prætermiſſis teſtimoniis S. Gregorii Papæ VII., duorum item Epiſcoporum Carnotenſium SS. Fulberti & Ivonis: & alia aliorum, quæ deſcribit Launoyus Libro II. Epiſtula 2. num. 21. 22. 23. 24. Atque hinc diſces, quam immerito conetur Bellarmi-

minus proprium facere Romani Pontificis nomen *Vicarii Chriſti*: eo enim donatum eſſe Papam adfirmat a Secundo Concilio Lugdunenſi Generali. Atqui ante Binghamum obſervarat Baluzius, & ante Baluzium obſervarat Rigaltius, jam tum Cypriani ætate *Chriſti Vicarios* appellari & haberi ſolitos fuiſſe Epiſcopos. *Ecce autem Epiſcopos ævo jam Cypriani Vicarios Chriſti*, inquit Rigaltius in Epiſtulam LV. Cypriani ad Cornelium, quæ quinquageſimanona eſt Fello. Verum quia Baronius contendit, hunc Cypriani locum de Papa intelligendum eſſe; alium citat Binghamus ex Epiſtula LXIII. ad Cæcilium, ubi Cyprianus ita ſcribit: *Ille Sacerdos vice Chriſti vere fungitur, qui id quod Chriſtus fecit imitatur*. Citat Conſtitutiones Apoſtolicas, (opus jam ſæculo quarto notum) quæ Libro II. Cap. 26. hæc habent: *Qui Epiſcopus eſt, hic poſt Deum Deus terrenus, Epiſcopus vobis præſideat, ut dignitate Dei cohoneſtatus*. Citat Quæſtionum in Vetus & Novum Teſtamentum veterem Auctorem, qui inter Scripta Auguſtini extat, quique Cap. 127. ſcribit in hunc modum: *Antiſtitem Dei puriorem ceteris eſſe oportet: eſt enim Vicarius ejus*: Citat Baſilium, qui Conſtitutionum Monaſticarum Cap. 22. ſic ſcribit: *Nihil aliud Antiſtes, quam is qui perſonam Chriſti ſuſtinet*. Itaque titulum *Vicarii Chriſti*, quem Bellarminus Papæ ceu caracterem eſſe volebat, ex adlegatis exemplis conſtat, ipſis etiam purioribus Eccleſiæ ſæculis communem extitiſſe omnibus Epiſcopis. Unde conficit Thomaſſinus in Prima Parte immortalis Operis *De Beneficiis*, Libro I. Cap. 50. num. 13. quod nunc ſolus Romanus Pontifex *Vicarius Chriſti* per antonomaſiam vocitetur, id minime quidem ex eo eſſe profectum, quod ejuſmodi titulo Epiſcopos ſpoliaſſet lex aliqua; ſed ex tacita quadam conſenſione

Binghamus T. I. p. 82.

Thom. T. I. p. 179. latinæ editionis.

ſione fidelium populorum, qui cum animadverterent Romanum Epiſcopum, ſicut Princeps in Eccleſia eſt, ita potiori jure potiorique ratione vicem Chriſti gerere in Eccleſia; ſenſim ſine ſenſu titulo illo, quaſi proprio caractere, ipſum Pontificem decorarunt.

VII. Quandoquidem vero ipſe Thomaſſinus nobis auctor eſt, de hac Epiſcoporum auctoritate & excellentia neminem ſolidius aut enucleatius egiſſe, quam magnus inter Pariſienſes Theologus Petrus Aurelius: poſtulat inſtituti ratio expromi hic a nobis ſplendiſſimos ſenſus maximi hujus viri, cujus Opera Luſitanis noſtris ſunt fere incognita, cum ipſa tamen digniſſima exiſtant quæ in Bibliothecis Epiſcoporum illuſtrem locum occupent. In *Vindiciis* ergo *Cenſuræ Sorbonicæ* ita differit Petrus Aurelius: *Chriſtus Epiſcopalem ſtatum, non mancum quippiam mutilumve inſtituit; ſed plenum, integrum, perfectum, & Sacerdotii ſui ſummi ac perfectiſſimi ſummam perfectiſſimamque imaginem. Chriſtum enim refert Epiſcopus, & vicem ejus in terris gerit, ut ſæpe docent SS. Patres. Sicut ergo Chriſti Sacerdotium vim omnem Sacerdotalem perfectamque paſcendi gregis poteſtatem complectitur, ita ut varias in ea plenitudine & perfectione concluſas poteſtates diſtinguere quidem diſcernereque liceat, diſſociare vero & inter ſe quodammodo diſcindere, ſit piaculum: ſic Epiſcopatus plenitudinem Sacerdotii & Paſtoralis muneris perfectionem natura ſua continet, & in hanc ſtatus dignitatem a Chriſto conditus fuit, ut qui ſummas illas muneris tanti poteſtates ſeparare ac dilacerare conetur, ſimiliter faciat, ac ſi Sacerdotii Chriſti divinæque ipſius naturæ proprietates dirumpat, & Chriſti in terris præcellentiſſimam imaginem oblitteret. Chriſtus enim perfectionem Sacerdotii a Patre accepit, quando ab illo miſſus eſt. Perfectionem deinde ejuſdem Sacerdotii,*

Thom. T. I. pag. 7.

Aurel. T. II. p. 87. Pariſi. 1646.

tii, ſeu Epiſcopalem utramque poteſtatem ſimul dedit Apoſtolis, quando miſit eos ſicut ipſe a Patre miſſus fuerat. Eandem denique perfectionem ipſi tradiderunt Epiſcopis, mittentes eos ſicut ipſi miſſi fuerant a Chriſto. Quam eandem deinceps Epiſcopi ad poſteros tranſmiſerunt, eos mittentes, ſicut ipſos Apoſtoli miſerant.

Hac oratione altiſſima ſane & elegantiſſima complexus eſt Petrus Aurelius ſuccum omnem illius doctrinæ, quam ipſe in hoc & aliis Operibus nobis reliquit de immenſa illa & abſoluta poteſtate, quam Chriſtus Epiſcopali ordini adnexam voluit. Hac ſapientiſſimus iſte Theologus impugnat evertitque quidquid cavillorum & fallaciarum a Jeſuitis, pertinaciſſimis illis Epiſcoporum hoſtibus congeſtum ea tempeſtate erat in Gallia & Anglia, ad minuendam, imo vero funditus tollendam auctoritatem & juriſdictionem, quæ divino jure pertineret ad illos Eccleſiæ Principes & Sanctorum Apoſtolorum Succeſſores. Hac oſtendit, ex eo quod in Epiſcopis diſtinctæ ſint inter ſe poteſtas ordinis & poteſtas juriſdictionis, non recte confici, poſſe ad alicujus arbitrium divelli has poteſtates. Hac oſtendit, aliud eſſe poſſe a Papa ſua juriſdictione privari unum Epiſcopum; aliud poſſe ſua juriſdictione privari Epiſcopatum. Hac oſtendit, ex Chriſti inſtitutione eſſe poteſtatem juriſdictionis tam intrinſecam poteſtati ordinis; ut apud antiquam Eccleſiam idem eſſet ſpoliari juriſdictione Epiſcoporum, ac laicum haberi. Hac denique oſtendit, erraſſe Patrem Suarium, ſeque in vera doctrina Patrum & Conciliorum hoſpitem declaraſſe, cum ſcripſit, *Epiſcopum nomen potius eſſe ordinis quam juriſdictionis*. Cum ex adverſo notio, quam de Epiſcopatu Chriſtus & antiqua Eccleſia nobis reliquerit, notio quædam ſit, quæ utramque poteſtatem directe & expreſ-

expreſſe complectitur. Imo *Epiſcopi* nomen, quatenus advigilationem ſonat & curam, jurisdictionem expreſſius denotare, quam ordinem. Proinde hodiernis etiam moribus in Eccleſia receptum eſſe, ut nullus creetur Epiſcopus, quin eidem grex adſignetur ſaltem poſſibilis: ut accidit Epiſcopis Titularibus, quorum unus Conſtantinæ, alius Lacedæmoni, quidam Martyriæ, quidam Tipaſſæ præficitur.

Accepi ab Scriptoribus multis, nomen *Petri Aurelii* perſonam fuiſſe, ſub qua occultare ſe voluit *Joannes Vergerius Haurannius*, vulgo dictus *Abbas Sancti Cyrani*: nomen Romanæ urbi odioſiſſimum, propter ſingularem amicitiam, quam Theologus iſte perpetuo coluiſſe traditur cum celeberrimo Epiſcopo Iprenſi Cornelio Janſenio. Adeo odioſum eſt Curiæ illud nomen, ut apud Benedictum Papam XIV. me legiſſe meminerim, tum cum de Beatificatione S. Patriarchæ Vincentii a Paulo agebatur, objeciſſe inter cetera Promotorem Fidei, Vincentium a Paulo amicum in paucis fuiſſe Abbatis Sancti Cyrani. Sed fuerit vel non fuerit Petrus Aurelius idem, qui Joannes Vergerius Haurannius: explorata ſane res eſt, Opera de quibus loquimur, in ſummo fuiſſe & eſſe pretio apud Gallos: nec ulla, quod ſciam, cenſura confixa Romæ. Thomaſſinus numquam eorum meminit ſine egregia honoris præfatione: meminit autem perſæpe. Clerus Gallicanus eadem magnifice imprimi juſſit charta maxima anno MDCXLVI., cujus etiam mandato, ſingulis Epiſcopis duo exemplaria data ſunt, cetera viris aliis eruditis diſtributa. In fronte poſita ſunt Acta Conventus, quæ de his Operibus tam honorifice loquuntur, ut magnificentioribus elogiis atque adprobationibus nullus poſt hominum memoriam liber ſit ornatus.

Ut Jeſuitæ infamia adſpergerent Petrum Au-

relium, ſatis erat meminiſſe, ab hoc Theologo non ſolum egregie vindicatam fuiſſe ab illorum petulantiis & convitiis, ſacroſanctam auctoritatem Epiſcoporum, ſed etiam detectam & confutatam eſſe invictis argumentis, idque toto orbe plaudente, inſcitiam *Joannis Fluidi* ſodalis ſui ex Anglia, qui ſub nomine *Danielis a Jeſu* multos eoſque petulantiſſimos libellos ediderat adverſus omnes Galliæ Epiſcopos & Doctores Pariſienſes. Satis erat adfirmaſſe eundem Aurelium, in tota Societate Jeſuitarum nullum reperiri Theologum, qui conferri poſſet cum magno illo Gerſone Pariſienſi Cancellario, ſive fama per totam Eccleſiam Catholicam diffuſa, ſive meritis in eandem Eccleſiam, & in eandem Sedem Apoſtolicam. *Depone igitur*, inquit, *in poſterum æmulationem iſtam Jeſuiticam in Gerſonem*, CUI TOTA TUA SOCIETAS NON HABET QUEM CONFERAT, *non ſolum doctrina famaque per Eccleſiam Catholicam maxima, ſed etiam meritis in eandem illam Eccleſiam & in ipſam Sedem Apoſtolicam, cum qua eum fruſtra committere conaris, eximiis & graviſſimis*. Sed tempus jam eſt, ut antiquis exemplis demonſtrare pergamus id, quod huc uſque teſtimoniis Patrum & Theologorum probavimus.

VIII. Ut igitur plene agnoſceretur, quanta eſſet hæc Epiſcoporum auctoritas; ſatis erat animadvertere, quanta illi majeſtate Diœceſes ſuas per octo ſæcula & amplius adminiſtrarint. Exceptis enim illis cauſis, quas Jus Canonicum *Majores* vocat; quæ ante adornatam ſæculo XIII. Gregorianam Collectionem raræ erant: ante receptas Carolo Magno imperante falſas & ſpurias Decretales Iſidori Mercatoris, erant rariſſimæ: Exceptis, inquam, paucis ejuſmodi cauſis, de quibus præterito ſæculo exeunte eruditam Lucubrationem compoſuit Joannes

annes Gerbaſius Doctor Sorbonicus, juſſu Gallicani Cleri Pariſiis editam an. MDCLXXIX. in 4. uni Epiſcopi erant, qui nullo interventu, nullo influxu Apoſtolicæ Sedis, ampliſſima ipſi præditi poteſtate omnia gubernabant, adminiſtrabant, diſponebant, ac decidebant; ut qui ſubditorum ſuorum ſupremi & abſoluti Paſtores eſſent.

Canonibus Nicænis IV. & VI. Antiochæno XIX. Laodiceno XII. aliiſque plurimis cum orientalibus tum occidentalibus, Metropolitanis competebat jus Suffraganeorum confirmandorum: iique nullis aliis Bullis muniti, quam quas a ſuo Archiepiſcopo haberent, recipi mox & conſecrari ſolebant. Adhuc Jure novo Decretalium Gregorii IX. Metropolitanis conſervatus eſt ejuſmodi honos: ut colligitur ex Cap. *Innotuit*, 20. *de Electione*: & ex Cap. *Cum dilectus*, 32. eodem Titulo: idque cum aliis Canoniſtis etiam obſervat magnus Petrus de Marca Libro VI. Cap. 3. num. 12., & Van-Eſpenius Tit. XIV. Quare ſummus ille Theologus, idemque ſæculo decimoſexto ineunte celebratiſſimus Lutheri Impugnator in Germania Joannes Eckius, Libro III. *de Primatu Papæ* Cap. 40. mirari ſe dicit, quod Epiſcopi obliti eorum quæ ſibi Jus commune permittit, confirmationem pro ſua conſecratione a Papa flagitent. Nempe recentibus Decretis noviſque Cancellariæ Regulis comparatum erat, ut electiones & confirmationes Epiſcoporum Apoſtolicæ Sedi reſervarentur.

IX. Confirmati a Metropolitanis Epiſcopi jus habebant invehendi in ſuas Eccleſias Symbolum Fidei, quod ſibi optimum videretur, modo nihil a Catholicis dogmatis diſſentiret. Hinc eſt, quod aliud erat Romanum Symbolum, aliud Aquileenſe, aliud Jeroſolymitanum, aliud Neocæſarienſe, aliud Alexandrinum, alia

aliarum Diœceſeon. Cum Theodorus Mopſueſtenus Epiſcopus ſub initia quinti ſæculi Symbolum a ſe compoſitum edidiſſet, idque parum catholicum inventum eſſet; tale Symbolum reprobavit & proſcripſit Sancta Synodus Epheſina Actione VI. De ſingulis exacte agunt Joſephus Binghamus Tomo IV. *Originum Eccleſiaſticarum*, Libro X. Cap. 4. & Jacobus Uſſerius Diſſertatione *de Symbolis*, quæ ad calcem Chronologiæ ejus extat.

Si qua hæreſis vel ſuſpecta doctrina emergeret, Epiſcopi erant, qui apud ſuas Synodos & hæreſim condemnabant, & hæreticos ad palinodiam compellebant. Ita cum Sabellio & Ario egere Epiſcopi Ægyptii: ita cum Eutyche & Severo Thracii: ita cum Pelagio Africani: ita cum Priſcilliano Hiſpani. Obſervat autem recte Petrus Aurelius in doctiſſima Defenſione Epiſtulæ Antiſtitum Gallorum adverſus Libellos quoſdam Jeſuitarum: idque citato Aurelio etiam obſervat Thomaſſinus Diſſertatione in Synodum Gangrenſem, num. 26. neminem prioribus illis ſæculis auſum eſſe declinare vel eludere vim horum judiciorum Epiſcopalium, eo ſolo prætextu, quod judicia illa non eſſent infallibilia: ſed e contrario ineluctabilem vim quandam in ejuſmodi judiciis agnoviſſe ipſos hæreticos, ut qui ad illam vim declinandam non alio ſubterfugio uterentur, quam obreptionis vel impoſturæ: cauſantes nimirum, falſo ſe erroris inſimultatos eſſe, utpote prorſum ab illis doctrinis abhorrentes, quæ ſibi imputabantur a Synodis. Ubi vero excuſationes hujuſmodi deeſſent, omnes pro legitimo ac decretorio habuiſſe judicium Epiſcoporum: omnes paruiſſe: omnes anathema dixiſſe ſcriptis & perſonis, quas anathematizaſſent Epiſcopi.

Aurelius Tom. I. pag. 33.

Thom. ad calcem T. III. Theolog. Dogmat. p. 33.

Epiſcopis quoque ipſis ſubjacebant non ſolum

lum Clerici, ſed etiam Monachi, quotquot per ſingulas Paræcias degebant. Itaque ante obtentam ab Epiſcopo facultatem & adprobationem, nulli prorſus licebat officio aliquo defungi Eccleſiaſtico, vel Hyerarchico, non prædicare ad populum, non Sacramentum adminiſtrare. Sufficiat laudare quartum Canonem Synodi Chalcedonenſis, vel Epiſtulam Hieronymi ad Pammachium contra errores Joannis Archiepiſcopi Jeroſolymitani.

Adminiſtratio bonorum Eccleſiaſticorum prioribus ſæculis etiam omnino ab Epiſcopo dependebat. Liquet ex Chalcedonenſi Canone XXVI. Gangrenſibus VII. & VIII. Antiochenis XXIV. & XXV. Apoſtolico XLI.

X. Nulla tunc erat, nulla diu poſtea fuit reſervatio vel excommunicationum vel ſcelerum. Abſolvere omnia Epiſcopi poterant, vel qui eorum Pœnitentiarii erant, ne publica quidem hæreſi excepta, vel idololatria eorum, qui perſecutionibus ſævientibus ſuccubuerant. De hæreſi conſtat ex Canonibus Nicæno VIII. Laodicænis VII. & VIII. Conſtantinopolitano VII. Agathenſi LX. Epaonenſi XXVIII. Aurelianenſis quartæ Synodi VIII. Martini Bracarenſis XXXVI. Perrandi Diaconi L, item ex Epiſtula Athanaſii ad Rufinianum. De idololatria conſtat ex Cypriani Epiſtula XV. ad Martyres & Confeſſores, & Epiſtula XVI. ad Presbyteros & Diaconos: ex Canone Ancyrano II. ex plurimis Synodi Eliberitanæ, nec non X. Secundæ Synodi Arelatenſis.

Patres Concilii Provincialis Salegunſtadienſis anno MXXII. in Germania celebrati, Capite XVIII. ſubditis ſuis declarant, invalidas & illicitas eſſe abſolutiones, ſiquas ipſi inconſultis vel invitis Epiſcopis ſuis ab Roma impetraſſent. Id ipſum Seſſione II. adfirmavere Patres Concilii Lemovicenſis in Gallia celebrati *Concil. T. XI. edit. Coletinæ p. 1133.* *Ib. pag. 1250.*

 brati

brati anno MXXXIV. Quod egregio argumento eſt, ordinarii juris eſſe Epiſcoporum abſolutiones quaſcumque dare vel negare. Anno MCXLI. juxta calculos Matthæi Pariſienſis, qui ſæculo mox ſecuto floruit: vel an. MCXLIII. juxta Chronologiam Davidis Wilkinſii in Collectione Conciliorum Angliæ, a Londinenſi Synodo conſtitutum eſt, ut in poſterum Papæ reſervata eſſet abſolutio eorum, qui Clerico manus violentas injicerent. Quod ſignum eſt, abſolvi antehac ab Anglis Epiſcopis potuiſſe peccatum hoc, quod eſt hodie in reſervatiſſimis.

Matthæ. Pariſ. p. 79. Concil. Angl. To. I. p. 422.

Hanc Epiſcopalis ordinis eminentiam agnoſcebant & fatebantur ii, qui apud Nicæam Canone XII., in Africa vero Canonibus XLIX. & L. e Collectione Ferrandi ſtatuebant, ut penes Epiſcopos eſſet tempus deſignare tum publicæ pœnitentiæ agendæ, tum veniæ pœnitentibus dandæ. Canone etiam Antiocheno IX. pleno jure intra Parœciam gaudebat Epiſcopus, ut fori contentioſi cauſis exceptis, omnia pro arbitrio regeret & adminiſtraret.

XI. Ad extremum quiſquis legerit Petrum de Marca Libro VI. *de Concordia Sacerdotii & Imperii* Cap. 3. 4. 8. & 9., Thomaſſinum de Diſciplina Beneficiorum Parte II. Libro II., Gerbaſium Libro ſuperius memorato *de Cauſis Majoribus*, Art. I., Gibertum Tom II. Tit. VII. *de Prælatis*: is antiquis Hiſtoriæ & Conciliorum Monumentis fuſe demonſtratum inveniet, electiones & confirmationes Epiſcoporum, inſtitutiones novorum Epiſcopatuum, deſignationes Coadjutorum & futurorum Succeſſorum, renuntiationes & depoſitiones eorumdem Epiſcoporum, translationes ab una Parœcia ad aliam: hæc aliaque id genus negotia, quantumvis ex ſe graviſſima, multis ſæculis in Eccleſia legitime factitata eſſe, nullo Romani Pontificis requiſito aut expectato conſenſu:

Me-

Metropolitanis interea omnia intra Provincias moderantibus ſive in Synodis, ſive extra Synodos: idque more procul dubio ab Apoſtolis accepto, & Canonibus confirmato, Nicæno videlicet VI. & Conſtantinopolitano II., in quibus ſtatuitur, ut ſecundum mores ubique locorum in Eccleſia receptos, Ægyptii Epiſcopi ea quæ ſunt in Ægypto pleno jure gubernent & adminiſtrent: Orientales ſimiliter quæ in Oriente: Aſiani quæ in Aſia: Pontici quæ in Ponto: Thraces denique quæ in Thracia: atque ita adminiſtrent, ut quemadmodum ſe habet Primas reſpectu totius Diœceſeos, ita ſe habeat Metropolitanus una cum Suffraganeis reſpectu uniuſcujuſque Provinciæ. Unde tametſi ad hanc Eccleſiarum & Diœceſeon deſignationem ſive diſtributionem ſuo conſenſu & adprobatione concurrerit Pontifex: non propterea a ſolo ejus conſenſu vim & robur accepit illa diviſio; quæ dubio procul ortum habebat a diviſione illa Diœceſeon, quam una cum Petro inſtituerant Apoſtoli, & in quam ſucceſſive deinde conſenſerat totum Corpus Epiſcoporum: quod Corpus ut ſuo conſenſu canonibus ſupremum addebat robur, ita ejuſdem adſenſu, non vero ſolius Papæ arbitratu reſcindi aut immutari iidem Canones poterant. Nam vel ipſius Romani Pontificis privilegia aliqua conſenſioni ac decreto Eccleſiæ accepta retulit Chalcedonenſis Synodus Can. XXVIII. *Throno antiquæ Romæ*, inquit, *quod urbs illa imperaret, jure Patres privilegia tribuerunt.* Quod & multo ante profeſſus fuerat ipſe Zoſimus Papa I. dicens: *Apoſtolicæ Sedi in honorem Beatiſſimi Petri Patrum decreta peculiarem quandam ſanxere reverentiam.*

Concil. Tom. IV. p. 1691.

Cutantius pag. 943.

XII. Equidem ſi diviſio & deſignatio Diœceſeon Papæ jure divino reſervata eſſet, vel ſi ab uno Papa ejuſmodi diviſio & deſignatio

dependeret : cur, quæſo, Nicæni Patres Canone VI. ubi de limitibus & adminiſtratione Diœceſeon Ægypti, Orientis, & ceterarum Chriſtianarum agunt; non ad jus divinum, non ad auctoritatem Romani Pontificis provocant, ſed tantummodo ad conſuetudinem vulgo receptam? Sic enim ajunt: *Antiqua conſuetudo ſervetur per Ægyptum, &c. Similiter & apud Antiochiam, ceteraſque Provincias, ſuis privilegia ſerventur Eccleſiis*. Cur item Patres Conſtantinopolitani Canone II. ubi eandem diviſionem confirmant, non alio niſi Canonum jure utuntur? *Juxta Canones* (inquiunt) *Alexandrinus Antiſtes quæ ſunt in Ægypto regat ſolummodo, & Orientis Epiſcopi Orientem tantum gubernent, &c.*

Concil. Tom. II. pag. 44.

Ibid. p. 1131.

Si ab uno Papa dependebat deſignatio & diſtributio Provinciarum Eccleſiaſticarum, vel ſi jus illud privilegium erat ejuſmodi, ut a Primatu ſeparari non poſſet: qua religione, amabo te, ſtatuerunt Patres centum quinquaginta ejuſdem Concilii Conſtantinopolitani eodem Canone II. (ſequor numeros Dionyſii Exigui) ut Epiſcopus hujus urbis ſecundo poſt Romanum honoris loco in poſterum gauderet? *Conſtantinopolitanus Epiſcopus habeat honoris primatum poſt Romanum*. Qua religione Legati S.Leonis Papæ apud Chalcedonenſem Synodum Actione I. Dioſcoro crimini vertere, quod S.Flavianum Conſtantinopolitanum quinto loco ſedere juſſiſſet, cum juxta memoratum Canonem primus ei deberetur poſt Romanum? Scire interim oportet, hujus Canonis auctores fuiſſe multos Sanctos Epiſcopos, qui illi Concilio interfuere, non minus ſanctitate quam doctrina illuſtres. Qua item religione, qui deinceps ſecuti ſunt Archiepiſcopi Conſtantinopolitani, (e quorum numero fuit Chryſoſtomus, ejuſque Succeſſor Atticus, uterque ſanctimo-

ſtimonia clariſſimus) cœperunt ſibi adrogare adminiſtrationem non ſolius Thraciæ Diœceſeos, (in qua illi antehac meri extiterant Suffraganei Archiepiſcopi Heracleenſis) ſed etiam Aſianæ, & Ponticæ, quarum utraque ante illa tempora tam fuerat autocephala & independens, quam nunc erat & diu poſtea manſit Diœceſis Ægyptia, Orientalis, & Romana? Qua denique religione Patres Concilii Chalcedonenſis Can. XXVIII. Archiepiſcopo Conſtantinopolitano hujuſmodi prærogativam ſive primatum confirmavere, inſtituentes eum Patriarcham ſive Exarcum duarum Diœceſeon vaſtiſſimarum, Aſianæ & Ponticæ: idque acerrime obluctantibus Legatis S. Leonis Papæ? Nemo etiam ignorat, huic Chalcedonenſi Canoni XXVIII. perpetuo repugnaſſe Apoſtolicam Sedem: ſed fruſtra repugnaſſe: nam conceſſo ſibi a Patribus Conſtantinopolitanis honore conſtanter uſi ſunt Archiepiſcopi Regiæ Urbis: in his S. Euphemius, S. Macedonius, S. Menas, S. Euthychius, S. Ignatius, aliique plures Sancti Patriarchæ.

Negari ergo non poteſt, in his aliiſque rebus ad Diſciplinam ſpectantibus, potiorem ſemper eſſe judicio Eccleſiæ & Epiſcoporum vim corporis totius, quam ſolius capitis (a): hoc

(a) Huc ſpectat illud Auguſtini in Libris de Baptiſmo: *Univerſum partibus ſemper optimo jure præponitur*. Et illud Baſileenſium Patrum in Reſponſione Synodica, quæ incipit *Cogitanti*, Tom. XVII. Concil. pag. 458. *Nec dicat quis, quod ipſa pars principalis potentior eſt ac dignior reliquo toto corpore & ceteris membris, & per conſequens illi potius obediendum: quia ratio, experientia, & auctoritas dictant contrarium*. Lege ibi reliqua quæ ſequuntur; Sunt enim ſane egregia. Nec prætermittenda eſt doctrina Sacræ Facultatis Pariſienſis adverſus Adſertiones

hoc eſt, Politiam & Œconomiam Diœceſium non tam a Romano Pontifice, quam ab Eccleſiarum conſenſione vigorem habere: atque ab hac conſenſione ortam eſſe diviſionem & diſtributionem Diœceſium & Provinciarum Eccleſiaſticarum. Neque enim aliquo argumento conſtat, his conſtituendis ab initio naſcentis Eccleſiæ ſolam Petri auctoritatem fuiſſe adhibitam aut adhibendam. Scimus enim, Paulum ſua auctoritate Timotheum Epheſi, Cretæ Titum Epiſcopos creaſſe: atque id ipſum aliis in Provinciis a ceteris Apoſtolis factitatum. Scimus priorum ſæculorum moribus conſtanter receptum eſſe, ut creationes novarum Provinciarum & Paræciarum nullo Romani Pontificis interventu fierent: atque ipſis Provincialibus Epiſcopis ad ſuas Paræcias dividundas, ad novos ibi creandos Epiſcopos, ad deſignandum territorium, unum Metropolitarum adſenſum ſatis fuiſſe.

XIII. Nullus hodie eruditorum eſt qui neſciat, invectas ſæculo IX. opera Nicolai Papæ I. ſpurias Decretales Iſidori Mercatoris in cauſa fuiſſe, cur labare ſenſim Diſciplina primæva, pervertique totus Ordo Hierarchicus cœperit, cum maximo ſane damno Jurium Epiſcopalium, parique detrimento Provincialium Syno-

---

nes Joannis Sarrazini anno MCCCCXXIX. *Quarta veritas: Quandocumque in aliquo Concilio aliqua inſtituuntur, tota auctoritas dans vigorem ſtatutis, reſidet non in ſolo Summo Pontifice, ſed principaliter in Spiritu Sancto & Catholica Eccleſia.* Apud Richerium *De Eccleſ. & Polit. Poteſt.* in Demonſtratione Capitis II. pag. 12. Similiter Cardinalis Cuſanus Libro II. *de Concordantia Catholica*, Cap. 8. p. 722. *Ex qua re ſequitur, juxta ſubſcriptiones Patrum, vigorem ſtatutorum Canonum in Concilio, non ex Papa nec capite Concilii, ſed ex unico concordanti ſenſu vigorem habere.*

Synodorum: id quod recte obſervat Joannes Gerbaſius in Diſſertatione *De Cauſis Majoribus* Art. IX. §. 2. & Stephanus Baluzius in Præfatione Notarum in Dialogos Antonii Auguſtini, num. II. (*a*). Ex his falſis Decretalibus graviſſimæ illæ contentiones & diſſenſiones profectæ ſunt, quæ ſub Carolo Calvo Imperatore Sedem Apoſtolicam & Gallicos Antiſtites fœde inter ſe commiſere, cauſa duorum Epiſcoporum exauctoratorum, Rothadi Sueſſionenſis & Hincmari Laudunenſis: quos contra ſententias Provincialium Synodorum Sueſſionenſis & Duziacenſis reſtituere conabatur Nicolaus Papa I. ejuſque Succeſſor Hadrianus II. Ex his profecti magna ex parte *Dictatus*, quos vocant S. Gregorii VII., quos deſcribit Baronius ad annum MLXXVI. num. 31. Sunt autem

Gerbaſ. p. 224.
Baluz. p. 613.
Baron. To. XVII. noviſſimæ edit. pag. 430.

(*a*) Ea Nicolai de Cuſa Cardinalis gloria fuit, ut primus vel inter primos (erat enim peracri judicio, & in genuinis veterum ſcriptis apprime verſatus) Iſidori impoſturas fuerit ſubodoratus. Sic enim ille ſcribebat anno Chriſti MCCCCXXXIII. in Libro III. *de Concordantia Catholica*. Capite II. pag. 782. *Sunt meo judicio illa de Conſtantino apocrypha, ſicut fortaſſis etiam quædam alia longa & magna ſcripta, Sanctis Clementi & Anacleto Papæ attributa: in quibus volentes Romanam Sedem omni laude dignam*, PLUS QUAM ECCLESIÆ SANCTÆ EXPEDIT ET DECET *exaltare, ſe penitus aut quaſi fundant. Si quis illas omnes Scripturas illis Sanctis attributas diligenter perlegeret, & eorum tempora ad illa ſcripta applicaret, ac deinde in opuſculis omnium Sanctorum Patrum qui uſque ad Auguſtinum, Hieronymum, & Ambroſium fuere, ac etiam de geſtis Conciliorum, ubi authentica ſcripta allegantur, uſum & memoriam haberet, hoc inveniret verum, quia nec in illis omnibus ſcripturis de illis præfatis Epiſtolis mentio habetur, & etiam ipſæ Epiſtolæ applicatæ ad tempus eorum Sanctorum ſe ipſas produnt*. Et reliqua quæ ibi videre eſt.

tem Privilegia Romani Pontificis viginti ſeptem, quæ velut totidem divina Jura nobis ſcripta reliquit ille Pontifex: cum horum nonnulla tamen ejuſmodi videantur, ut ipſa legiſſe idem omnino ſit ac refutaſſe: quemadmodum poſt Gerbaſium & Boſſuetum obſervavere Fleurius & Vaneſpenius. Ex his magnam partem conflatæ ſunt ſæculo XI. Collectiones Burchardi Wormatienſis & Ivonis Carnotenſis Epiſcopi: conflata etiam ſæculo XII. illa altera Gratiani, quod *Decretum* vulgo audit. Quæ Collectio, cum a ſimplici Monacho Benedictino quamvis non prorſus imperito, & quidem privata auctoritate fuiſſet adornata: cum ſpuriis Decretalibus & confictis Conciliis referta eſſet: referta item teſtimoniis peſſime intellectis: (quale verbi gratia illud eſt Auguſtini ex Libro II. *de Doctrina Chriſtiana* Cap. 8., quo probare contendit Gratianus Cap. *In Canonicis*, Diſt. XIX. invito quidem Sancto ipſo Doctore, Pontificia Decreta paris auctoritatis eſſe ac Scripturas Canonicas): Cum tot erroribus, inquam, eſſet hæc collectio inquinata, quot poſt Romanos Correctores indicavit magnus Archiepiſcopus Tarraconenſis Antonius Auguſtinus in Dialogis *De Emendatione Gratiani*: ea tamen fuit temporum barbaries, ea auctoritas Academiæ Bononienſis, ubi ſummo in pretio haberi mox cœpit iſta Collectio, ut lento gradu ad id tandem dignitatis faſtigium fuerit evecta, ubi tamquam Corpus quoddam Juris Publici, ſive tamquam Authenticum Promptuarium Canonum Eccleſiaſticorum haberetur ipſum Decretum Gratiani, ab illoque proinde mutuarentur Canoniſtæ, quidquid e Conciliis & Patribus citatum ab illis invenias totos quingentos annos.

XIV. Ex hoc igitur Decreto prodiit Caput *Nunc autem*, & inde celebratiſſimum illud Axio-

xioma, *Prima Sedes non judicabitur a quoquam*: *Diſt.*
quod quamvis deſumptum ſit de fictitio Con- *XXI.*
cilio Sinueſſano, in ore tamen eſt omnibus *Cap. 7.*
Canoniſtis, tamquam Definitio quædam dogmatica. Atque inde profecta eſt illa Gloſſa, quæ legitur Libro I. Decretalium Gregorianarum, Tit. 7. Cap. 3. *In his quæ vult Papa, ei eſt pro ratione voluntas. Nec eſt qui ei dicat, cur ita facis?*

Hinc etiam prodiere Caput *Synodum*, & *Diſt.*
Caput *Regula veſtra*, deſumpta ex falſis De- *XVIII.*
cretalibus Marcelli I. & Julii I., unde Gra- *Cap. 1.*
tianus colligit, deficiente confirmatione Apo- *& 2.*
ſtolicæ Sedis, vi legum pollere haud poſſe Decreta Epiſcoporum: *Epiſcoporum Concilia*, inquit, *ut ex præmiſſis apparet, ſunt invalida ad definiendum & conſtituendum*. Atque eademmet doctrina nixi, quamvis tota Eccleſiaſtica Antiquitate invita, & ipſo Concilio Tridentino repugnante, ſequentem Deciſionem promulgarunt Cardinales Concilii Interpretes anno MDXCIV. *Decreta quæ in Conciliis Provincialibus conduntur, publicari non debent inconſulto Romano Pontifice*. Adeatur Petrus de Marca Libro VI. *de Concordia* Cap. 14. num. 13.

Hinc etiam prodiit caput *Qui ſe ſcit*, anti- *Cauſ. II.*
quiſſimum ſane omnium Monumentorum, ubi *Quæſt.*
celeberrimum aliud Curiæ Axioma occurrit, *VI. Cap.*
quod ſic habet: *Solus Papa habet plenitudinem* *12.*
poteſtatis: ceteri vero ab eo vocati ſunt in partem ſollicitudinis. Quo Fagnanus conatur evincere, *Fagnan.*
ſolum Papam juriſdictionem habere immedia- *in Cap.*
te a Chriſto, Epiſcopos vero a ſolo Papa. Perni-
Unde etiam alii colligunt, *Papam eſſe Epiſco-* cioſa, De
pum Epiſcoporum, & Ordinarium Ordinariorum; Offic. &
qui proinde ubique locorum Epiſcopalia mu Poteſt.
nia obire valeat, tamquam qui pro Parœcia Jud. Ord.
habeat Eccleſiam univerſam. Notari autem debet, memoratam ſententiam deſumptam eſ-

ſe

ſe ex Epiſtula quadam Vigilii Papæ non ad Eleutherium, (ut Romani Correctores Decreti emendavere) ſed ad Profuturum Archiepiſcopum Bracarenſem ſcripta an. DXXXVIII. (ut animadvertit Baluzius) ævo adhuc nimirum maxime venerando, & in quo caſtior adhuc diſciplina vigeret. Verum in Notis ad illam Epiſtulam, quam & ſuæ Conciliorum Collectioni inſeruit, obſervat idem Baluzius, totam illam pericopen abeſſe a tribus antiquiſſimis Codicibus manu exaratis, uno Lugdunenſi, & duobus Colbertinis (a). Unde cum Baluzio ſcite conjectat Gibertus, talem pericopen unam ex iis additionibus eſſe, quas Iſidorus Mercator pro legitimis fœtibus antiquorum Pontificum venditare voluerit: & quam ille forte deſumpſerit ex alia epiſtula S. Leonis Magni ad Anaſtaſium Archiepiſcopum Theſſalonicenſem, ubi ſuum illum in Illyrico Vicarium adloquens ita ſcribit Leo: *Vices noſtras ita tuæ credidimus caritati, ut in partem ſis vocatus ſollicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis*. Nempe is fuit Iſidorus, ut ex variis centonibus hinc inde collectis octoginta & amplius Decretales conſarcinaverit, quæ pro apocryphis & adulterinis hodie ab omnibus habentur. Quando ergo ita apertæ ſunt Iſidorianæ

Collect. Baluz. p. 1468.

Gibertus Tom. I. p. 262.

(a) Candorem hic deſidero in ſapientiſſimo & religioſiſſimo Cardinale Aguirrio, qui in Notis ad Epiſtulam Vigilii a ſe editam Tomo III. Conciliorum Hiſpaniæ pag. 165. novæ editionis Romanæ: ex tribus Mss. a Baluzio viſis & memoratis unum tantum ſibi opponit. Nempe Cardinalis intererat diſſimulare, quidquid Ultramontanis placitis poſſet officere. Ceterum quo ſenſu vere dicatur Papa *habere plenitudinem poteſtatis*. Epiſcopi vero dicantur *vocati in partem ſollicitudinis*: docte explicat Cardinalis Cuſanus Lib. II. *de Concord. Cathol.* Cap: XIII.

næ impoſturæ, & quando ita ſilent tres memorati Codices Mss. admodum probabile eſt, Iſidorum ea, quæ a S.Leone ut Patriarcha quarumdam Provinciarum Vicarium ſuum alloquente audierat, Vigilio ſuppoſuiſſe in ea Epiſtula, ubi ille tamquam Papa Epiſcopos omnes adloquitur. Ex quo profectum etiam fuerit, ut Formula illa loquendi, ceu Formula antiquæ Eccleſiæ, uſi ſint Innocentius III. & alii Pontifices.

Denique, (ne longiores ſimus in eo argumento, quod hodie vulgare & tritum eſt apud optimos quoſque Scriptores) ex hoc Decreto prodiit Caput *Alius*, deſumptum ex Epiſtulis S.Gregorii VII., quo antiqui Canoniſtæ omnes probatum eunt poteſtatem Papæ in temporalia Regum & Principum Supremorum. Tam alte vero Xiſto V. inſederat illa opinio, eſſe ſe Dominum univerſorum Regnorum Chriſtianorum, ut (ſi Antonio Arnaldo fidem habemus) in Indicem damnatorum Librorum referri juſſerit Opus Bellarmini *de Romano Pontifice*, propterea quod ibi Papæ negaretur dominium directum, & unum indirectum concederetur (*a*). *Cauſa XV. Qu. VI. cap. 3.* *Arnaldus in opere Gallico*, Eclairciſſemens ſur l'Autoritè des Conciles Generaux. *Cap. IV, p. 52.*

XV. Tanta vis autem falſarum Decretalium & ſpuriorum ſcriptorum, quanta a ſæculo IX. ad

(*a*) Arnaldo ſuffragatur Goebelius ad Conrigium in *Hiſtoria Electionis Alexandri VII.* Tom. V. pag. 615. lit. D. ubi ita ſcribit: *Bellarminus Lib. V.* de Romano Pontifice *aſſeruerat dominium Papæ indirectum in temporalia. Id vero minus Xiſto V., nimium Gallis videbatur. Quare non modo Xiſtus opera ejus in Catalogum librorum prohibitorum retulit, ſed etiam Galli ad rogum damnarunt librum ejus contra Barclajum, &c.* Confer quæ narrat ipſe Barclajus in Libro *De Poteſtate Papæ* Cap. 13. apud Goldaſtum Tomo III. *Monarch.* pag. 645.

ad XII. in Eccleſiam invaſerat, prohibere minime potuit, quominus a multis viris ſapientibus & zelo flagrantibus animadverteretur nova Diſciplinæ labes. Extabant enimvero adhuc incorrupta Acta & Canones antiquorum Conciliorum: extabant etiam Opera Sanctorum Patrum plurima. Itaque Epiſcopalium Jurium ruinam & jacturam acerbe deflebant. Ex horum numero erant duo Epiſcopi Carnotenſes Ivo in Epiſtula CX. ad Paſchalem Papam II., & Joannes Sariſberienſis Libro VII. Polycratici Cap. 21. Item Arnulphus Lexovienſis in Epiſtula LXXI. ad Alexandrum Papam III. Hildebertus primum Cenomanenſis Epiſcopus, dein Archiepiſcopus Turonenſis in Epiſtula XLVII. ad alium etiam Summum Pontificem: Robertus Lincolnienſis Epiſcopus in Reſponſione ad Innocentium Papam IV., quam deſcribit Matthæus Pariſienſis in Hiſtoria Anglorum ad annum MCCLIII. Loco omnium audiatur Bernardus Claravallenſis Abbas, adloquens Eugenium Papam III. Libro III. *de Conſideratione* Cap. 4. *Murmur loquor & querimoniam Eccleſiarum. Truncari ſe clamitant ac demembrari. Vel nullæ Eccleſiæ vel paucæ admodum ſunt, quæ plagam iſtam aut non doleant aut non timeant. Quæris quam? ſubtrahuntur Abbates Epiſcopis, Epiſcopi Archiepiſcopis, Archiepiſcopi Patriarchis ſive Primatibus. Bonane ſpecies hæc? Mirum ſi excuſari queat vel opus. Sic factitando probatis vos habere plenitudinem poteſtatis, ſed juſtitiæ forte non ita. Honorum ac dignitatum gradus & ordines quibuſque ſervare poſiti eſtis, non invidere.* Et infra: *Tune denique licitum cenſeas ſuis Eccleſiam mutilare membris, confundere ordinem, perturbare terminos quos poſuerunt Patres tui? Si juſtitia eſt jus cuique ſervare ſuum, auferre cuiquam propria juſto quomodo poterit convenire? Erras ſi ut ſummam, ita & ſo-*

Bernardus Tom. I. p. 437.

Ibid. p. 439.

& ſolam inſtitutam a Deo veſtram Apoſtolicam poteſtatem exiſtimas. Si hoc ſentis, diſſentis ab eo qui ait: Non eſt poteſtas niſi a Deo. Denique idem ait: Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non ait ſublimiori, tamquam in uno: ſed ſublimioribus, tamquam in multis. Non ergo tua ſola poteſtas a Domino; ſunt & mediocres, ſunt & inferiores. Et mox: *Monſtrum facis, ſi manu ſubmovens digitum, facis pendere de capite: ſuperiorem manui, brachio collateralem. Tale eſt ſi in Chriſti corpore membra aliter locas, quam diſpoſuit ipſe Dominus.*

Qui ita loquebatur, is plane ſignificabat in ea ſe eſſe ſententia ut crederet, juriſdictionem Epiſcoporum tam eſſe immediate a Deo, quam Papæ: atque ipſa plenitudine poteſtatis non ad hoc donatum eſſe Pontificem, ut Epiſcopos ſpoliaret juribus & muneribus hujus ordinis propriis; ſed potius ut ipſa jura Epiſcopis conſervaret, niſi reus haberi vellet & illatæ injuriæ & uſurpatæ juriſdictionis. Namque ut tanto poſt docuit Cardinalis Cuſanus Lib. II. *de Concordantia Catholica* Cap. 13. *Papa non habet a Canone, quo lædere poſſit juriſdictionem Epiſcoporum. Nec legitur antiquos Pontifices ſe de his intromiſiſſe.* Cuſa. p. 728.

XVI. Anno fere centeſimo, cum Gratiani Decretum publici juris factum erat, novam Collectionem Decretalium emiſit Gregorius Papa IX. Harum pars maxima deſumpta eſt ex Epiſtulis & Reſcriptis Innocentii III. Fuit is Pontifex ſane doctiſſimus, ſed nimium tamen deditus novis Prærogativis inveniendis, quas ille ſibi perinde adſerebat, ac ſi divino jure ſibi deberentur, eſſentque Apoſtolicæ Sedi inſolubili vinculo adnexæ. Quod Matthæum Pariſienſem movit, ut Innocentium appellaret *audacem juriſperitum*. Tales ſunt, quas Innocentius ipſe deſcribit in Cap. *Inter corpo-*

ralia, *De Tranſlatione Epiſcopi*, ubi aperte affirmat, Tranſlationem, Ceſſionem, & Depoſitionem Epiſcoporum eſſe jure divino ſoli Romano Pontifici reſervata. *Tria hæc*, inquit, *non tam inſtitutione Canonica, quam inſtitutione Divina, ſoli ſunt Romano Pontifici reſervata.* Quam doctrinam Illuſtriſſimus Marca & cum illo Gerbaſius vocant *inauditam ante hoc ſeculum*, *& a veterum moribus alienam*.

Marca Lib. VII. Cap. 26. P. II. p. 371. Gerbaſ. pag. 373.

Auxere nimium quantum Reſervationes hujuſmodi Bonifacius VIII. publicato Libro Sexto, Clemens V. publicato Septimo, quas Clementinas vocant; Joannes XXII. publicatis cum Extravagantibus, tum Regulis Cancellariæ: auxere & alii Pontifices innumeris Bullis ad noſtra uſque tempora editis, quibus vel legendis impar unius hominis vita fuerit.

His ita imminuta eſt antiqua Epiſcoporum auctoritas, ut jam illo ævo *ſimulacra depicta* eos vocaret Pariſienſis Cancellarius. Luſitani dicerent, *humas ſombras de Biſpos*. Locus digniſſimus eſt qui omnino heic deſcribatur. Sic autem habet: *Creſcente Clericorum avaritia & Papæ cupiditate, poteſtas & auctoritas Epiſcoporum quaſi videtur exhauſta & totaliter diruta: ita ut* QUI IN PRIMITIVA ECCLESIA ÆQUALIS POTESTATIS CUM PAPA ERANT, *jam in Eccleſia non videantur eſſe niſi ſimulacra depicta, & quaſi fruſtra. Jam enim Papa Romanus reſervavit omnia Beneficia, jam advocavit omnes cauſas ad Curiam ſuam, &c.* (a).

Gerſon Tom. II. pag. 174.

Hu-

(a) Superiori Gerſonis teſtimonio adfine eſt illud, quod ex Commentariis Æneæ Sylvii de Geſtis Concilii Baſileenſis laudat Gerbaſius Art. III. pag. 54. *Nec forſan abſonum fuerit dicere nullam umquam fuiſſe Synodum, quæ magis quam iſta poteſtatem Epiſcoporum ampliaverit: Etenim quid hodie erant Epiſcopi, niſi*

Hujuſmodi dedecus ſeu potius everſionem Epiſcopatus centeſimo ante Gerſonem anno defleverat laudatiſſimus Durandus Epiſcopus Mimatenſis, alius ab eo quem *Speculatorem* vocant, in Libro juſſu Clementis Papæ V. ante celebratam Generalem Synodum Viennenſem edito anno MCCCVII. cum hoc titulo : *De modo quo celebrari debet Concilium Generale*. Heic oſtendit Durandus ; *Quod Papa non poteſt nec debet novas leges aut nova jura condere , contra ea quæ aperte Dominus , vel ejus Apoſtoli , & eos ſequentes Sancti Patres ſententialiter definierunt : quia aliter errare probaretur*. Et infra ; *Quod Epiſcopi poteſtatem & honorem ſuum receperunt a Deo , a quo ordo prælationis eſt inſtitutus , & a quo Epiſcopi in loco Apoſtolorum conſtituti ſunt in ſingulis Civitatibus & Diœceſibus*. Quo ex loco ille conficit, intra Paræciam jure omnia Epiſcopis ſubeſſe oportere : neque tot exceptiones *locis Eccleſiaſticis & Religioſis perſonis , abſque cauſa neceſſitatis vel evidentis utilitatis , concedi a Pontifice potuiſſe aut debuiſſe*. Illud etiam in votis ſe habere ſignificat, nempe ut provideretur ; *Quod Romana Eccleſia ultra & contra prædicta non poſſet , abſque Generali Concilio , habenas extendere plenitudinis poteſtatis*. Item : *Quod Dominus Papa non vocaretur univerſalis Eccleſiæ Pontifex , cum hoc prohibeat Gregorius*. His Durandus minime intendebat tollere vel imminuere auctoritatem & poteſtatem Papæ : hunc enim in Eccleſia pri-

Durand. P. I. Tit. V. p. 34.

Ibid. P. III. Tit. XXVII. p. 282.

C 2 mum,

---

niſi umbra quædam ? Quid plus eis reſtabat , quam baculus & mitra ? Numquid Paſtores ſine ovibus dici poterant , cum nihil in ſubditos ſtatuere poſſent ? Nempe cum eſſet in Eccleſia primitiva Epiſcoporum ſumma poteſtas , hodie ad id venerant , ut ſolo habitu & reditibus ſuperarent Preſbyteros.

Digitized by Google

mum, ejuſque ſummam & univerſalem auctoritatem eſſe, ipſe toto Opere cum Catholicis omnibus plane agnoſcit. Ea ergo Durandi mens erat & votum, ne univerſalis Pontificis nomine omnia ad ſe traheret Papa, jure ſuo Epiſcopis ſpoliatis. Quare alio in loco memorandum illud dictum jam ſcripſerat idem Durandus: *Proverbium vulgare eſt: qui totum vult, totum perdit. Eccleſia Romana ſibi vindicat univerſa: unde timendum eſt, ne univerſa perdat.*

Ibi.P.II. Tit.VII. p.69.

Ita ſenſus ſuos ſcribebat & manifeſtabat Epiſcopus doctiſſimus & piiſſimus, Clementi Papæ V. in paucis carus, & qui propter egregium doctrinæ & zeli nomen, quo inclaruerat, Generalis Concilii Viennenſis velut anima fuit. Extat autem hoc ejus Opus cum ſeorſim editum Pariſiis anno MDCLXXI. in 4. tum una cum aliis in maxima Collectione Gregorii XIII. dicata ſub titulo, *Tractatus Tractatuum*, Tom. XIII. Parte I. fol. 154.

Loca S.Gregorii Magni de nomine *Epiſcopi univerſalis*, quæ Durandus ſubindicat, ſunt ex Epiſtulis decima octava & quadrageſima tertia Libri V., & ex Epiſtula trigeſima Libri VII. In priori ita ſcribit magnus ille Pontifex: *Epiſcopus univerſalis vocari nullus præſumpſit, qui veraciter Sanctus fuit. Nullus Apoſtolicæ Sedis Antiſtes ſibi hoc temerarium nomen arripuit* (*a*)*: ne ſi ſibi in Pontificatus gradu gloriam ſingularitatis arriperet, hanc omnibus fratribus denegaſſe videretur.* In altera ſic: *Nullus unquam Deceſſorum*

Gregor. Tom. II. p. 743. Maurinæ editionis.

Ibid. p. 771.

(*a*) Ex hoc & ſequentibus Gregorii locis haud inepte colligit Launojus Libro I. Epiſtula 4. ad Franciſcum Bonum pag. 33. numquam ſe *univerſalis ſeu Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopum* inſcripſiſſe Leonem Magnum: adeoque mendoſas eſſe illas inſcriptiones nonnullarum ejus Epiſtularum, quas exhibent editio Peri

rum meorum hoc tam profano vocabulo uti conſenſit: quia videlicet ſi unus Patriarcha univerſalis dicitur, Patriarcharum nomen ceteris denegatur. In tertia ſic: *Univerſalem me Papam veſtra ſanctitas dicens, negat ſe hoc eſſe quod me ſatetur univerſum. Sed abſit hoc: recedant verba quæ vanitatem inflant, & caritatem vulnerant.* Et rurſus in eadem Epiſtula: *Nec honorem eſſe deputo, in quo fratres meos honorem ſuum perdere cognoſco. Meus namque honor eſt honor univerſalis Eccleſiæ. Meus honor eſt fratrum meorum ſolidus vigor.* *Ibid. p. 919.*

Erat ergo in ea ſententia magnus Gregorius, vel eo ſolo gravi injuria a Romano Pontifice adfectum iri Epiſcopos, ſi ſe ipſe *univerſalem Epiſcopum* adpellaſſet. Quid, ſi in eo ſtatu Epiſcopos vidiſſet Gregorius, in quo poſt annos octingentos videbat Gerſon tum, cum illos dicebat *depicta ſimulacra*? Quid, ſi vidiſſet Gerſon ipſe, Epiſcopis Luſitanis religioni eſſe, ſi Pontificiam Conſtitutionem quamlibet, nec ad ſe quidem tranſmiſſam, nec ipſorum etiam opera in Provinciis promulgatam, (quod & fieri præcipiunt antiqui Canones moreſque Eccleſiæ, & in ſuis ferendis legibus obſervant ipſi Principes laici) aut ipſi non obſervarent, aut non curarent a ſuis ſubditis obſervandam: idque non alia de cauſa, quam quod ſibi conſtaret vel privatim, ejuſmodi Conſtitutionem Romæ adfixam eſſe valvis Apoſtolorum, & in Campo Floræ publicatam? Quid, ſi vidiſſet, iiſdem Epiſcopis negotium ſæpe faceſſere Declaratio-

 nes

tri Caniſii de anno MDXLVI., eamque ſecutæ recentiores aliæ. Nempe: *Leo Romanæ & univerſalis Eccleſiæ Epiſcopus, Eudochiæ Auguſtæ ſalutem.* Atque ita ſimiliter in aliis ad Martianum Imperatorem, & Maximum Antiochenum: cum nihil tale habeant vel Codices Mss. vel antiquiores editiones. Vide & Queſnelli Notas Tom. II. 483. & 497. & 501.

nes Cardinalium Concilii Interpretum, vel Decreta Congregationis Indicis; ex eo ſolum, quod ea apud Barboſam vel Lacroixium deſcripta repererint? Quid, ſi vidiſſet, ab iiſdem Epiſcopis efflagitari de Roma facultatem quorumdam Librorum legendorum, quos non aliunde ſciunt eſſe proſcriptos, quam ex Indice huc identidem allato a librariis? Quid denique ſi vidiſſet, Romanos Theologos ſtudio opinionum ſuarum, quaſi totidem Catholicorum dogmatum abreptos, amarulentiſſimis cenſuris in eos omnes animadvertere, qui ab illis diſſentiunt, adeoque ne ipſis quidem parcere Sanctis Patribus primi ſubſellii (*a*)? Veluti cum Chriſtianus Lupus in Notis ad Concilium Sardicenſe contractæ ex jejuniis iracundiæ illud tribuit, quod Baſilius in Epiſtula CCXXXIX. ſcripſit de Romanis: *Quale nobis auxilium ab Occidentalium ſupercilio, & faſtu adarie, qui veritatem neque norunt, neque diſcere ſuſtinent?* Quod ita mordet Lupus: *In iram frequentiè jejunio ſtudentium more pronior Baſilius clamabat, &c.*

Totam doctrinam hujus Principii multo ſane ſplendidiorem illa reddet, quam infra tradituri ſumus in Probationibus Quinti. Interim Cuſanum Cardinalem auſcultemus, Libro II. Cap. 13. ita diſſerentem: *Scimus quod Petrus nihil plus poteſtatis a Chriſto recepit aliis Apoſtolis. Nihil enim dictum eſt ad Petrum, quod etiam aliis dictum non ſit. Nonne ſicut Petro dictum eſt, Quod-*

Cuſa p. 726.

(*a*) Ante annos centum ſexaginta de hoc cum Romanis Theologis expoſtulabat ſummus ille Venetæ gentis Theologus, Paulus Sarpius, dum in *Apologia Gerſonis adverſus Bellarminum* §. IV. pag. 76. ita ſcribebat: *Infelicità poſſiamo dir quella de' tempi noſtri, quando non vi è Padre dell' antica Chieſa, che non ſia cenſurato, & quando s' ardiſce dire, che ſe fuſſero in' queſti tempi, non parlarebbono, come hanno parlato.*

Quodcumque ligaveris ſuper terram : ita aliis, Quodcumque ligaveritis? Et quamquam Petro dictum eſt, Tu es Petrus & ſuper hanc petram : tamen per petram Chriſtum quem confeſſus eſt intelligimus .... Et ſi Petro dictum eſt : Paſce oves meas : tamen manifeſtum eſt, quod illa paſcentia eſt verbo & exemplo. Ita etiam ſecundum Auguſtinum omnibus idem præceptum eſt ... Nil reperitur Petro aliud dictum, quod poteſtatem importet aliquam : Ideo recte dicimus omnes Apoſtolos in poteſtate cum Petro æquales .... QUARE HOC SOLUM SINGULARITATIS IN PETRO INVENIEMUS, QUOD IPSE FUIT MAJOR IN ADMINISTRATIONE.

PRINCIPIUM II.

Antequam in Eccleſia extaret Corpus aliquod Legum vel Canonum, quod veluti Jus commune quoddam capita omnia Diſciplinæ generatim moderaretur, Epiſcopi ſane erant, qui in ſuis Synodis Provincialibus conſtituebant impedimenta Matrimonii, alii quidem citius, alii vero ſerius, prout Paræciarum ſuarum neceſſitas aut utilitas poſtulabat.

Corpus Canonum apud Orientales : Epiſtulæ Canonicæ S. Baſilii : Collectio Dionyſii Exigui : Decretales Siricii & Innocentii I. Canones Gallici, Hiſpanici, Africani, in medium adferuntur.

PROBATIONES.

I. QUod ad Orientem ſpectat, res certiſſima eſt & notiſſima ex Actis Concilii Chalcedonenſis, Codicem ſive Collectionem legum, quæ medio ſæculo quinto in uſu erat Græcis Eccleſiis, non pluribus quam CLXV. Canonibus conſtitiſſe : nempe Nicænis, Ancyranis, Neocæſarienſibus, Gangrenſibus, Antiochenis, Laodicenis, & Conſtantinopolitanis.

nis. Atqui ex horum numero vix tres inveniuntur, qui de impedimentis agant Matrimonii. Sunt autem undecimus Provincialis Concilii Ancyrani, anno CCCXIV. celebrati; ubi inſtituitur impedimentum *Raptus*: ſecundus Provincialis Concilii Neocæſarienſis eodem anno CCCXIV. habiti, ubi inſtituitur impedimentum *Adfinitatis*, quo ejus Matrimonium dirimatur, quæ duobus fratribus ſucceſſive nupſerit: & decimus Provincialis Concilii Laodiceni, anno CCCLXIV. congregati, ubi inſtituitur impedimentum *Disparis religionis*, ne cum hæreticis feminis contrahere poſſint filii Clericorum.

Hinc ergo conficitur, qui prioribus ſæculis impedimenta matrimonii pro temporum neceſſitate conſtituerint, alios non fuiſſe, quam Epiſcopos in ſuis Synodis particularibus. Quod firmatur ex Canonibus *Apoſtolicis* nuncupatis, quos tertio ſæculo conditos arbitratur doctiſſimus quisque: Canone enim XXVII. *Ordinis* impedimentum ſtatuitur, quo a nuptiis arceantur, qui in Clero ſuperiores eſſent Lectoribus & Cantoribus.

II. Revera S. Baſilius Archiepiſcopus Cæſarienſis in Cappadocia, qui anno circiter CCCLXX. florebat; in Epiſtula CLX. alias CXLVII. ad Diodorum ſcripta, ſermonem inſtituens de certo quodam adfinitatis impedimento plane ſignificat, hæc aliaque id genus non aliunde viguiſſe, quam a lege vel conſuetudine, quam in eam Provinciam invexerant Sancti Epiſcopi. *Principio igitur*, inquit, *quod in ejuſmodi rebus maximi momenti eſt, morem qui apud nos eſt objicere poſſumus, quod is legis vim habeat, propterea quod Sanctiones iſtæ a Sanctis nobis ſunt viris traditæ. Eſt autem hic mos talis: ſiquis affectu immundo correptus ad illicitam duarum ſororum communicationem exorbitaverit, id neque conjugium*

Baſil. Tomo III. pag. 249. Maurinæ editionis.

eſſe

eſſe cenſendum, neque talem ad Eccleſiaſticum cœtum admittendum, priuſquam a ſe invicem dirimantur. Sic habet verſio a Gerbaſio deſcripta: quam tamen nequis temere a me allatam putet, cum Pariſienſi illa Monachorum Benedictinorum contuli, & quod ad rei ſummam attinet, concordem inveni.

Ab eodem Baſilio S. Amphilochius Iconienſis Epiſcopus multa quæſivit de certis quibuſdam Diſciplinæ capitibus, quorum nonnulla ad impedimenta ipſa matrimonii pertinebant. Ex his vero Amphilochii quæſitis rurſus ſplendeſcit, nullum adhuc quarto ſæculo exeunte commune Jus ubique obtinuiſſe, unde plane agnoſci poſſent ſingula hæc impedimenta: ſed unamquamque Provinciam ſuis moribus ſuiſque privatis canonibus conſtitiſſe.

Amphilochii quæſtionibus reſponſurus Baſilius binas ad eum litteras dedit, ubi exponit, quinam mores, quænamve leges fuerint ab antiquioribus Epiſcopis ſtabilitæ quoad illa Diſciplinæ capita. *Canonicæ* vocari ſolent hæ litteræ propterea, quod tot præſcribunt Canones, quot Amphilochii quæſita erant. Itaque Canone VI. a Synodis Provinciarum inſtitutum commemorat Baſilius impedimentum *Voti*: Canone XXII. impedimentum *Raptus*: Canone XXIII. impedimentum *Adfinitatis*: Canone XL. impedimentum *Qualitatis*: Canone XLII. impedimentum illud, quod nullum reddebat matrimonium filiorum familias invitis parentibus contractum: Canonibus denique LXVIII. & LXXVIII. impedimentum *conſanguinitatis*.

III. Jam in Occidentem pergentibus æque nobis compertum eſt, in Romana Eccleſia ad initia uſque quinti ſæculi nullos alios Canones publicæ auctoritatis arcem conſcendiſſe, quam Nicænos, quorum nullus tamen de matrimonio agit. Totidem id verbis adfirmat Innocen-

centius I. in Epiſtula ad Clerum Conſtantinopolitanum, & in altera illa ad Theophilum Alexandrinum. Ex Ambroſii quin etiam Epiſtula LX. ad Paternum ſcripta quarto ſæculo exeunte, meridiana luce fit clarius, nondum ea tempeſtate lege aliqua Eccleſiaſtica generali inſtitutum eſſe impedimentum conſanguinitatis: ſed hæc moderari ſolitos eſſe Epiſcopos vel ad imperialium legum præſcriptum, vel ad prudentiæ leges. Prima pars adſertionis meæ conſtat ex argumento illius Epiſtulæ, ubi Paternus ex Ambroſio ſciſcitatur, num liceret neptem ex filia filio uxorem dare. Negat vero ſanctus Doctor, idque ex duplici capite: primum quod divina lege a nuptiis arceantur vel ipſi patrueles ſive conſobrini: deinde quod ipſorum conſobrinorum nuptias nuper vetuerit Imperator Theodoſius. *Quid enim eſt*, inquit, *quod dubitari queat, cum lex divina etiam patrueles fratres prohibeat convenire in conjugalem copulam, qui ſibi quarto ſociantur gradu. Hic autem gradus tertius eſt. Sed ſi divina te prætereunt, ſaltem Imperatorum præcepta haudquaquam præterire te debuerunt. Nam Theodoſius Imperator etiam patrueles fratres & conſobrinos vetuit inter ſe conjugii convenire nomine.* Quænam divina illa lex ſit ab Ambroſio intellecta, quæ conſobrinorum nuptias damnet, fatetur ſe neſcire doctiſſimus ejus editor de Benedictino Ordine: atque id ego etiam me neſcire fateor. Sufficit animadvertere, Ambroſium ad nullam legem canonicam provocare: quod ſignum eſt, nullam extitiſſe adhuc ſua ætate.

Ambroſ. Tom. II. p. 1018. & 1019.

Secunda pars patet ex eadem Epiſtula, in qua adfirmat Paternus, reſponſum ab Ambroſio ſe quæſiiſſe juſſu Epiſcopi ſui, utpote qui ſe tanti Doctoris ſententiæ obtemperaturum polliceretur: *Super hoc meam a ſancto viro Epiſcopo veſtro expectari ſententiam dicis.*

Poſt

Poſt medium ſexti ſæculi eſſe apud Occidentales in uſu cœpit Collectio Dionyſii Exigui, quæ partim ex Canonibus Orientis, partim ex variis Epiſtulis Pontificum Romanorum ad particulares quaſdam Eccleſias datis conflata erat. Inter has Epiſtulas celebris eſt illa Siricii Papæ ſcripta ad Himerium Tarraconenſem, qui multa ab illo quæſierat: ex qua plane confirmatur, nondum ſub finem quarti ſæculi publicatum aut receptum eſſe generatim Corpus aliquod Canonum aut Legum Eccleſiaſticarum, unde impedimenta matrimonii innoteſcerent. Alioquin haud ignoraſſet Himerius, oriri ex ſponſalibus impedimentum *Publicæ honeſtatis*: nec ignoraſſent item ejus Clerici, ex voto caſtitatis ordinibus adnexo oriri impedimentum *Voti*. Ex verbis autem Siricii colligitur, id eos ignoraſſe. *Collect. Cutanſii p.628. & ſeq.*

Idem argumentum fieri poteſt ex alia æque celebri Epiſtula ejuſdem ætatis, cujus auctor fuit S. Innocentius Papa I. reſpondens ad conſulta Victricii Rothomagenſis Archiepiſcopi, Capite X. & XII. Item ex Canonibus ab eodem Pontifice (ut Sirmondus & Labbæus conjectant) miſſis ad Epiſcopos Galliæ: quorum duodecimus & decimus quartus totus eſt in explicando impedimento *Adfinitatis*. Unde manifeſte conficitur, primis ſæculis non alia impedimenta valuiſſe, quam quæ Epiſcopi vel in Synodis cujuſque Provinciæ inſtituebant, vel a Romana Eccleſia ceterarum magiſtra accipiebant. *Ibid. p. 753. & ſeq.* *Ibid. p. 628. & ſeq.*

IV. Equidem centum fere anni ante Siricium, hoc eſt, anno CCCV. ſtabiliere Hiſpanici Epiſcopi in Eliberitana Synodo impedimenta *Voti*, *Diſparis cultus*, *Ordinis*, *& Adfinitatis*: ut patet ex Canonibus XIII. XV. XVI. XVII. XXXIII. LXI. LXVI. Eadem auctoritate muniti, & id quidem ante Pontificatum Inno- *Concil. Tomo I. Coletinæ edit. p. 994. & ſeq.*

Ibid. Tomo II. p. 1401. *Ibid. p.* 1402. Innocentii, nempe anno CCCXCVII. ſtatuerunt Patres tertii Concilii Carthaginenſis Canone XII. ne Clericorum filii vel filiæ matrimonium inirent cum ethnicis, hæreticis, vel ſchiſmaticis. Canone vero XIX. decreverunt, eos qui in gradu Lectorum eſſent, ubi ad pubertatis annos perveniſſent, cogendos eſſe vel uxores ducere, vel cœlibatum profiteri. Anno ſequenti, quo Carthaginenſe Concilium quartum celebravere, declararunt iidem Patres, viduarum antea caſtitatem profeſſarum conjugia pro adulteriis habenda.

Inter Canones a S. Patritio Hiberniæ Primate in Synodo ſtabilitos anno CCCCLVI. decimus ſeptimus is eſt, quo damnatur conjugium puellarum poſt emiſſum caſtitatis votum deſponſarum. Canone autem XXV. alterius Synodi inſtitutum eſt ab eodem Patritio impedimentum *Adfinitatis*, quo cavetur, ne vir duabus ſororibus, neve mulier duobus fratribus conjugio miſceatur.

V. Hæc Epiſcoporum auctoritas non minus elucet in Synodis Hiſpaniæ & Galliæ. Concilium Toletanum quartum, quo cum multis aliis convenere anno DCXXXIII. octo Epiſcopi Luſitani: Canone XLIV. ſtatuit, *Clericos qui ſine conſultu Epiſcopi ſui, aut viduam, vel repudiatam, vel meretricem in conjugio acceperint, ſeparari eos a proprio Epiſcopo oportere*. Concilium Toletanum decimum tertium, quo itidem coiere anno DCLXXXIII. novem e noſtris, Canone quinto ſub graviſſimis pœnis novum quoddam *Qualitatis* impedimentum inſtituit. Nam graviſſima quæque interminans decernit, *ne Rege defuncto, relictam ejus conjugem in conjugio ſibi quiſque audeat copulare. Non hoc ſequuturis Regibus licitum, non cuiquam hominum licebit eſſe permiſſum*. Rerum apud Hiſpanos temporibus illis potiebantur Gothi. Canonem autem

Tom. III. Concil. Hiſp. ex nova edit. Aguirrii p. 374.

Ibid. Tomo IV. p. 282.

autem ejuſmodi ipſe qui tunc imperitabat, Rex Ervigius confirmavit, ut patet ex ejus Decreto Concilii Actis ſubnexo.

Concilium Cæſarauguſtanum, quod anno DCXCI. congregatum eſt, Canone quinto, & Toletanum de viduis Reginis Canonem inſtaurat, & illud inſuper decernit: *Relicta Principis ſuperiorem ſententiam illibato animo pudice ſervans, ſtatim arceſſito ab hoc ſæculo Principe, veſtem ſæcularem deponat, & alacri curioſitate Religionis habitum aſſumat. Quam etiam & confeſtim in cœnobio virginum mancipandam eſſe cenſemus.* Ibid. p. 319.

Arauſicana prima Synodus anno CCCCXLI. Canone XXII. ſtatuit, *ut deinceps non ordinentur diacones conjugati, niſi qui prius converſionis propoſito profeſſi fuerint caſtitatem.* Statuit & anno DXLI. Synodus Aurelianenſis quarta Canone XXIV. *Quæcumque mancipia ſub ſpecie conjugii ad Eccleſiæ ſepta confugerint, ut per hoc credant poſſe fieri conjugium, minime eis licentia tribuatur, nec talis conjunctio a Clericis defenſetur.* Tom. I. Concil. Gall. p. 73. edit. Sirmond. Ibid. p. 265.

Synodus Turonenſis ſecunda anno DLXVII. Canone XXI. inceſtas eſſe declarat, & excommunicationis pœna damnat nuptias omnes conſanguineorum & adfinium inter ſe ſe. Fundamenta autem quibus innititur, non ſunt Canones aliqui Romanæ vel univerſalis Eccleſiæ, ſed Lex Levitici Capite XVIII. Leges Theodoſiani Codicis, & antiquiora Decreta Eccleſiæ Gallicanæ. Ut hinc diſcamus, nullis etiam exiſtentibus legibus ſive univerſalis Eccleſiæ, ſive Apoſtolicæ Sedis, fuiſſe penes Epiſcopos facultatem horum impedimentorum ſtatuendorum. Ibid. p. 338.

Adhuc medio ſæculo XII. quo Summus Pontifex erat Alexander III. illa apud Gallos conſuetudo vigebat, ut illorum conjugium ſolveretur, qui ægritudinis cauſa coire non poterant: cum interim in Romana Eccleſia contrariam

pror-

prorſus diſciplinam obtinuiſſe conſtet ex quadam Epiſtula ejuſdem Pontificis ad Epiſcopum Ambianenſem, quam Launojus commemorat in Opuſculis de Matrimonio, Tom. IV. Parte II. pag. 142.

VI. Claudo hoc Principium animadvertens, eadem auctoritate cetera Diſciplinæ capita moderari ſolitos fuiſſe Epiſcopos, qua impedimenta Matrimonii. Singulæ Provinciæ ſuis Canonibus regebantur. Si quæ vero iis carebant, externos adoptare moris erat. Hinc originem ſumpſit quinto ſæculo Collectio Canonum Eccleſiarum Africanarum. Sæculo ſexto illa Dionyſii Exigui, illa Martini Bracarenſis, illa Ferrandi Carthaginenſis. Sæculo nono Benedicti Levitæ & Anſegiſi Abbatis, a quibus collecta ſunt Capitularia Caroli Magni, Ludovici Pii, & Caroli Calvi. Nempe omnium animis inſederat ſententia illa Auguſtini: *In his rebus de quibus nihil certo ſtatuit ſcriptura divina, mos populi Dei, vel inſtituta majorum pro lege tenenda ſunt.*

PRIN-

PRINCIPIUM III.

Per multa ſæcula perſtitere Epiſcopi in ea poſſeſſione, ut leges omnes etiam Conciliorum Generalium & Romanorum Pontificum, proindeque ipſa impedimenta Matrimonii relaxarent.
Egregia teſtimonia S. Baſilii Cæſarienſis, Syneſii e Ptolemaida, Fulberti Carnotenſis, Concilii Carthaginenſis IV. & Turonenſis I.
Fagnani argumenta ſolvuntur. Quid de poteſtate diſpenſandi docuerit S. Bernardus, Cardinalis de Cuſa, Joannes Gerſon, Thomaſſinus, & alii.
Sæcularium Principum quanta auctoritas ſit in impedimenta Matrimonii. Diſpenſationes a Theodorico & Recaredo impertitæ. Sententia Petri Soti.

PROBATIONES.

I. EXploratum eſt apud optimos quoſque Canoniſtarum & Theologorum, ubi ſupremus Legiſlator ſibi ſpeciatim non reſervat poteſtatem diſpenſandi, poſſe Epiſcopum diſpenſare in legibus Papæ & Concilii Generalis, quoties id publica ſubditorum neceſſitas aut utilitas poſtularit. Ita docet Cardinalis de Cuſa Libro II. *de Concordantia Catholica* Cap. 20. Silveſter Prieras Sacri Palatii Magiſter in Summa, V. *Diſpenſatio*, §. 7. Vaneſpenius Tractatu *de Diſpenſationibus* Capite I. §. 7. Barthelius Additionum ad Jus Canonicum Libro III. Tit. 33. Febronius *de Statu Eccleſiæ* Cap. VI. §. I. num. 7. & Gibertus Tractatu *De Eccleſia*, Tit. VII. *de Prælatis*. Qui omnes ducem ſequuntur auctorem Gloſſæ Capitis *Nuper* 29. *de Sentent. Excommunicat.* Is enim ad illa verba Innocentii III. *ſibi ſpecialiter non retinuit*, in hunc modum ſcribit: *Eſt hic argumentum*, *Epi-*

Epiſcopos poſſe diſpenſare, ubi ſpecialiter diſpenſatio non eſt inhibita (*a*).

Ex hac poteſtate Epiſcoporum profectum eſſe obſervat cum iiſdem Canoniſtis eximius Theologus Ludovicus Thomaſſinus Parte II. *de Diſciplina circa Beneficia*, Libro III. Cap. 24. num. 14. & Cap. 25. num. 15. ut per multa ſæcula moris fuerit Epiſcoporum relaxare Canonicas leges quaſcumque etiam Conciliorum Generalium.

Thomaſſ. Tomo II. pag. 317. & 322.

Audiamus Vaneſpenium: *Cum præcipuas in regimine Eccleſiæ partes Epiſcopi ſuſtineant, conſequens apparet, quod ſepoſita omni poſitiva reſervatione, Epiſcopali auctoritati cohæreat plenaria rigorem Canonum relaxandi poteſtas, quoties neceſſitas aut utilitas gregis ſibi crediti relaxationem poſtulavit. Quæ Epiſcoporum in diſpenſando libertas inde non parum confirmatur: quod conſtet penes Epiſcopos plurimis ſæculis fuiſſe diſpenſandi facultatem in omnibus illis diſciplinæ articulis, quorum hodie relaxatio privative Sedi Apoſtolicæ competere noſcitur.*

Audiamus item Thomaſſinum in priori loco: *Ne ambigi quidem illud a quoquam poteſt, quin primi & ſecundi adeoque & tertii etiam ſæculi Epiſcopi Canones Apoſtolicos & Decreta ejus cui*

(*a*) Horum doctrinæ patrocinantur ex ipſo Purpuratorum Patrum cœtu Cajetanus & Pallavicinus: Ille in Primam Secundæ Quæſt. XCVII. Art. 4. ſic ſcribit: *Videtur autem mihi, quod secluſa conſuetudine, quæ auctoritatem diſpenſandi inferioribus rectoribus committit & adimit; ex hoc ipſo quod aliquis conſtitutus eſt rector multitudinis, commiſſa quoque eſt ſibi auctoritas diſpenſandi in Lege ſuperioris quoad tria: ſcilicet quoad levia, quoad frequentia, quoad propria, &c.* Hic in Hiſtoria Concilii Tridentini Libro XXI. Cap. 6. *Variis in rebus*, inquit, *quas docte Cajetanus enumerat, fas eſt inferiori relaxare functiones ſuperioris.*

Cajet. in S. Thom. Tom. XI. P. I. fol. 211.

Pallavic. P. III. p. 188.

ævi omnia relaxarint, ubi publica id jubebat neceſſitas, nullo Pontifice Romano, nullo interveniente Concilio Provinciali. Rurſus poſteriori loco, ubi agit de quinto, ſexto, & ſeptimo ſæculo: *Fruebantur ſane eodem tempore Epiſcopi, maxime in Conciliis Provincialibus aggregati, eximia ipſi quoque & vaſtiſſima diſpenſandi facultate, ut ex iis omnibus ſupra capitibus emicuit*.

Ratio autem ſive fundamentum, quo innititur hæc doctrina, illud eſt: quod juriſdictio & auctoritas Epiſcopalis (ut in primo Principio oſtendimus) ex ſe atque ex inſtitutione ſua perfectiſſima eſt atque abſolutiſſima; utpote quæ poteſtatem eam omnem complectatur, quæ ad perfectum regimen ſubditorum eſt neceſſaria. Ad hoc autem regimen (ut ibidem docuimus) prorſus neceſſaria eſt poteſtas relaxandi leges, quoties id e re ſubditorum viſum fuerit.

II. Huic Theologorum & Canoniſtarum regulæ patrocinatur conſuetudo totius Eccleſiaſticæ antiquitatis: patrocinatur etiam cum ceteris Patribus magnus ille Eccleſiæ Doctor S. Baſilius Archiepiſcopus Cæſareæ, idemque totius Ponticæ Diœceſeos Exarchus.

Lege Eccleſiaſtica cautum erat apud Nicænam Synodum Canone XV. apud Sardicenſem Canone I. apud Antiochenam Canone XXI. (idque, ut alia monumenta deficerent, ſatis colligi poſſet tum ex eo quod ſcribit Hieronymus in Epiſtula ad Oceanum, tum ex eo quod de oppugnata mutatione Epiſcopatus ſui teſtatur Gregorius Nazianzenus, tum ex eo quod Euſebius narrat Libro III. *de Vita Conſtantini*, Cap. 62., ubi lex hæc a Conſtantino dicitur *Apoſtolica*, hoc eſt, de Apoſtolis promulgata). Lege Eccleſiaſtica, inquam, generaliter in Eccleſia cautum erat, quam & Chalcedonenſis Synodus Canone V. antiquam legem eſſe confirmat; nequis Epiſcopus ab una Parœcia in

aliam transferretur. Nihilominus tamen, cum Nicopolitanæ Eccleſiæ calamitati & orbitati ſubveniendum eſſe cenſerent Armenii Antiſtites, Euphronium qui Coloniæ erat Epiſcopus, Nicopoli præfecere. Ægre ferebat Colonienſis Clerus eripi ſibi Euphronium Epiſcopum: ac ne is Nicopolim abduceretur, auctoritatem Magiſtratus interpellabat. His ſedandis querimoniis duas Epiſtulas ſcribit Baſilius, (quippe qui omnium illarum Provinciarum Primas eſſet) unam ad Clerum, alteram ad Magiſtratum Colonienſem: ſunt autem Benedictinis editoribus ducenteſima vigeſima ſeptima, & ducenteſima vigeſima octava. Hic utroſque Baſilius hortatur, ut decreto Epiſcoporum, pro conceſſa ſibi a Deo facultate Eccleſiarum commodis inſervientium acquieſcant; pro certo nimium habentes, œconomiæ ab illis adhibitæ auctorem eſſe Spiritum Sanctum; ut idem propterea ſit Epiſcopis reſiſtere, ac Deo reſiſtere. *Præclara œconomia erga religioſiſſimum fratrem noſtrum Euphronium ab his, quibus Eccleſiæ commiſſæ ſunt gubernandæ, facta eſt, neceſſaria tempori, perutilis & Eccleſiæ, ad quam translatus eſt. Hanc ne exiſtimetis humanam: ſed eos quibus Eccleſiarum ſollicitudo incumbit, ex conſuetudine & conjunctione, quam habent cum Spiritu, id feciſſe perſuaſum habete: habentes pro certo eos, qui res a Dei electis conſtitutas non admittunt, Dei ordinationi reſiſtere*. Hæc Baſilius in Epiſtula CCXXVII. In ſequenti autem ita ſcribit: *Igitur & temporis difficultatem conſiderantes, & œconomiæ neceſſitatem prudenter intelligentes, Epiſcopis ignoſcite, qui hanc viam ad conſtituendum D.N.J.C. Eccleſiarum ordinem inierunt.*

Baſil. Tomo III. pag. 350. Maurinæ edition.

Ibid. p. 351.

III. Iiſdem principiis inſiſtentes Africani Patres, Canone XXVII. Concilii Carthaginenſis IV. anno CCCXCVIII. ſtatuunt, ut ſi id Eccleſiis profuturum videatur, poſſint a Synodis

Pro-

Provincialibus translationes fieri Epiſcoporum. *Sane ſi utilitas Eccleſiæ id faciendum popoſcerit, in præſentia transferatur*. Quamvis ergo lege Apoſtolica a Conciliis Generalibus confirmata alio transferri prohiberentur Epiſcopi, non propterea relaxandæ legis hujus facultatem ſibi ereptam arbitrabantur Africani, modo relaxationem poſtulaſſet utilitas aut neceſſitas Eccleſiæ. *Concil. Tom. I. p. 1439.*

Itaque apud Syneſium (Ptolemaidæ is fuit Epiſcopus ſæculo quinto) legimus in Epiſtula LXVII. a Sancto Athanaſio Alexandrino Ptolemaidæ Metropolitam creatum eſſe Siderium Palebiſcæ Epiſcopum, quem Nicæno Canone quarto repugnante unus tantum Epiſcopus ordinarat. Atque hic habemus Ægyptios Epiſcopos duplicem generalem legem relaxantes. *Syneſ. p. 210. ex edit. Petavii.*

Nam ut ibidem Syneſius obſervat, *formidoloſis temporibus ſummum jus prætermitti neceſſe eſt*. Legimus item apud Socratem Libro VII. Cap. 37. ab Attico Conſtantinopolitano translatum eſſe de Troade ad Philipopolim Epiſcopum Silvanum. Cui exemplo tredecim alia ejuſdem generis paullo ante præmiſerat idem Socrates. Ex tot autem translationibus una tantum ab eo profertur, quæ Romani Pontificis arbitrio commiſſa fuerit: nempe illa Perigenis, qui a Patrenſi Eccleſia tranſiit in Metropolim Corinthum. Verum nemo eſt qui ignoret, Papæ jure Patriarchico obnoxium præ reliquis Diœceſibus extitiſſe Illyricum. Ceteras omnes translationes jure ſuo ſtatuerunt & executi ſunt Provinciales Epiſcopi. *Socrates p. 309. Valeſ. edit.*

Sæculo adhuc XI. in hujus poſſeſſione juris perſtitiſſe Siculos Epiſcopos, ut inconſulta Sede Apoſtolica alio transferrentur, plane colligitur ex Cap. 4. *de Electione*, quod eſt Paſchalis II. Itaque nemo mirabitur, ſub finem ſeptimi ſæculi amoto Sisberto Archiepiſcopo Toletano, auctores fuiſſe Patres Toletani Conci- *Concil. Hiſpan. Tom. IV. pag. 332.*

lii decimi ſexti, ut ad regendam Toletanam Eccleſiam tranſmigraret Felix Archiepiſcopus Hiſpalenſis, ad Hiſpalenſem Fauſtinus Bracarenſis, ad Bracarenſem vero Felix Portucalenſis (*a*).

Marca P. II. p. 371. Gerbaſ. p. 271.

Ex his aliiſque plurimis exemplis argumentatur Petrus de Marca Libro VII. Cap. 26. num. 8. & Joannes Gerbaſius Libro *de Cauſis Majoribus* Art. X. §. I. deceptum fuiſſe Innocentium III. dum Capite 2. *de Translatione Epiſcopi* adfirmavit, translationes Epiſcoporum eſſe jure divino Papæ reſervatas. Revera fundamenta, quibus uſus eſt Innocentius, rem minime conficiunt.

IV. Lege etiam Apoſtolica cautum erat, quam & Paulus commemorat in priori ad Timotheum Cap. 3. & deinde confirmarunt Nicænus Canon II.

(*a*) Quo melius innoteſcat, qua & quanta auctoritate hæc omnia tunc temporis perfecerint Epiſcopi, diligenter obſervanda eſt forma Toletani Decreti, quæ ita ſe habet Canone XII. *Ob id nos cum conſenſu Cleri & populi, prædictum venerabilem fratrem noſtrum Felicem de Hiſpalenſi Sede, quam uſque hactenus rexit, in Toletanam Sedem Canonice tranſducimus, & in eadem Hiſpalenſi Cathedra Fratrem noſtrum Fauſtinum Bracarenſis Sedis Epiſcopum, nec non & Felicem Portucalenſis Eccleſiæ Antiſtitem in præfata Bracarenſi Sede, ſimiliter Pontifices ſubrogamus, ac perpetua ſanctione unumquemque eorum in privatis Sedibus confirmamus, &c.* Quod videlicet Collegii noſtri Decretum Geſtis Synodalibus ſociandum decernimus, & locorum illic debitum ut obtineat, definimus. Mox Canone XIII. Rex Egica: *Synodalis conventus,* inquit, *& numeroſa adunatio Sacerdotum, eo venerabilior cunctis perpenditur, eo nihilominus terribilis cernitur, quod in medio cœtus eorum præſentia individuæ Trinitatis adeſſe nequaquam ambigitur. Sancto proteſtante Evangelio*: Ubicumque fuerint duo vel tres in nomine meo collecti, ibi ſum & ego in medio eorum.

II. Sardicenſis XIII. Laodicenus III., ejuſque Siricius quoque Papa meminit in Epiſtula ad Himerium Tarrocenſem : ut qui adhuc eſſet neophytus vel laicus, is creari non poſſet Epiſcopus. Atqui hanc legem ſua auctoritate ſæpiſſime relaxarunt Epiſcopi. Relaxarunt Cappadoces in gratiam Euſebii Cæſarienſis Archiepiſcopi, ut Gregorius Nazianzenus adfirmat in Oratione XIX. Relaxarunt Thraces in gratiam Thalaſſii Cæſarienſis item Archiepiſcopi, ut auctor eſt Socrates Libro VII. Cap. 48. (a). Relaxarunt Galliæ in gratiam Germani Epiſcopi Antiſſiodorenſis, ut legimus apud Fulbertum Carnotenſem Epiſtula XXXVIII. Atque eadem gratia uſi antea fuerant Afri in S. Cyprianum, Antiochenſes in S. Philogonium. Quin etiam Galli ſæculo undecimo ineunte adhuc ejuſmodi auctoritate gaudebant. Nam Romani Pontificis nulla requiſita venia, Remenſem Archiepiſcopum ordinarunt neophytum vel laicum. Erat illorum unus S. Fulbertus ſupra memoratus, qui in eadem Epiſtula XXXVIII. in qua neophyti hujus ordinationem refert Provincialem quendam Epiſcopum ea de re hæſitantem, ſibique timentem a Summo Pontifice ita monet: *Dominus Papa non habebit quod tibi merito debeat ſuccenſere, ſi te graviter collapſæ Sanctæ Remenſi Eccleſiæ aliquam ſpem reſurrectionis audierit providiſſe*.

Nazianz. Tom. I. p. 348. *Socrates p. 317.* *Fulbertus To. XVIII. Bibl. PP. p. 15.*

Similiter bigamia omnibus temporibus & locis inhabiles reddebat quoſcumque ad ſuſcipiendos ordines Sacros & Epiſcopatum : ut conſtat ex eodem Pauli in priori ad Timotheum Cap.

(a) In Luſitana editione pro Thalaſſio *Firmus* mendoſe legitur. Porro neophytorum Epiſcoporum plura exempla qui deſideret, legat Binghamum Tomo I. *Originum Eccleſiaſticarum* Libro II. Cap. X. §. 7. pag. 152.

III. & ex Epiſtula ad Titum Cap.I., eamque legem cum Apoſtolico Canone XVI. contentam, tum ab antiquis Patribus Conciliiſque paſſim & ubique inculcatam, confirmarunt Romani Pontifices Siricius, Innocentius, & Leo Magnus. Nihilominus ex Epiſtula CX. Theodoreti Cyri Epiſcopi diſcimus, a quamplurimis eruditione & ſanctitate claris Epiſcopis legem hanc Apoſtolicam ſæpe numero relaxatam eſſe: nempe ab Alexandro Antiocheno, Acacio Berœenſi, Praylio Jeroſolymitano, Proclo Conſtantinopolitano, & aliis: quorum exemplo idem Theodoretus ſe tuetur ab illorum cenſura, qui Irenæum digamum Metropolitanæ Eccleſiæ Tyrienſi a ſe præfectum Epiſcopum nimis ægre ferebant.

Theod. Tom.III. p. 980.

In hoc genere nihil æque admirationem movet, quam quod cum Siricii Papæ decreto XI. & Innocentii XII. a Clericatu prorſus arcerentur, & a ſuis gradibus dejicerentur tum bigami, tum qui viduas uxores habuiſſent: utraque Synodus tamen, & Toletana I. Canone III. & Arauſicana I. Canone XXV. ſic harum Legum Pontificiarum rigorem emollivit, ut Toletano Canone inter Lectores aut Subdiaconos permanere ſinantur, qui viduas uxores accepiſſent, Canone vero Arauſicano ad Subdiaconatum provehi, qui duplici matrimonio gaviſi eſſent.

Tom.III. Concil. Hiſp. p. 21. Tom.I. Concil. Gall. p. 70.

Illud etiam obſervat Socrates Libro V. Cap. 22. *In urbe Alexandrina Lectores & Pſaltas abſque ullo diſcrimine fieri tam catechumenos quam fideles; cum tamen omnes ubique Eccleſiæ nonniſi fideles ad hunc gradum promoveant.*

Socrates p. 235.

Erat etiam lex Eccleſiaſtica ubique inſtituta & recepta, ut qui ad Epiſcopatum eſſet provehendus, ante in gradu ſaltem Diaconatus conſtitutus eſſet. Conſtat ex Epiſtula Cypriani LV. ad Antonianum, ex oratione Gregorii Nazianzeni

zeni XX. ex Canone Sardicenſi X. ex epiſtula ſæpius memorata Siricii, necnon ex octogeſima quarta Leonis Magni. Nihilominus Auguſtinus, quo melius ſubditorum commodis proſpiceret, Fuſſalæ quod Hipponenſis Parœciæ Caſtellum erat, Epiſcopum præficiendum curavit Antonium quendam, quem idemmet Auguſtinus in Epiſtula CCIX. teſtatur non alio in Clero gradu tum temporis eſſe potitum, quam Lectoris.

V. Canone Nicæno VIII., cujus meminit & Sozomenus Libro IV. Cap. 15. & Theodoretus Libro II. Cap. 17. cautum pariter erat, ne uni civitati duo præeſſent Epiſcopi. Attamen S. Meletius Antiochenus, vitandarum diſcordiarum & ſciſſurarum cauſa, cum Paulino competitore ſuo pactus eſt, ut diviſis ovibus unum eundemque gregem ambo paſcerent. Res notiſſima eſt, quam cum ceteris Hiſtoricis memoriæ prodidit Theodoretus Libro V. Cap. 3. & quam ſuis calculis comprobarunt S. Baſilius, duoque Gregorii, Nazianzenus & Niſſenus, cum toto fere Oriente. *Sozom. p. 454. Theod. p. 96. Theod. p. 202.*

Denique per totam Eccleſiam lex immobilis habebatur, quæ cavebat, nequis Epiſcopus extra Parœciam ordinationes celebraret. Scimus tamen Auctore Socrate Libro II. Cap. 24. extra Alexandrinam Diœceſim multos a S. Athanaſio fuiſſe ordinatos. Scimus Auctore Theodoreto Libro IV. Cap. 13. idem extra Provinciam Euphratenſem ſæpius factitatum eſſe a S. Euſebio Samoſatenſi Epiſcopo, quo tempore Orientis Eccleſias impie vaſtabat Valens Imperator. Nam cum ut Theodoretus ſcribit, *multas Paſtoribus viduatas eſſe comperiſſet, militarem habitum ſumens, & tiara capiti impoſita, Syriam, Phœnicen, ac Palæſtinam peragravit, Presbyteros ordinans ac Diaconos, aliosque Eccleſiæ ordines ſupplens. Ac ſi quando Epiſcopos eandem cum ipſo doctrinam fidei profitentes reperiiſſet, eos Anti-* *Socrates p. 95. Theod. p. 166.*

tiſtites Eccleſiis indigentibus præficiebat.

Jam ut ad Diſpenſationes Matrimoniales ſermonem convertamus, certum eſt primo: qua auctoritate uti ſolebant Epiſcopi ad impedimenta conſtituenda, (maxima autem uſos eſſe ſupra oſtendimus) eadem uti eos potuiſſe ad ſolvenda. Sic enim habet vulgata Regula: *Cujus eſt ligare, ejus eſt ſolvere*. Certum eſt ſecundo: primis decem vel duodecim ſæculis nonniſi rariſſime ac difficillime factas eſſe hujuſmodi relaxationes: id quod addiſcere harum rerum ſtudioſi poſſunt a Vaneſpenio, Parte II. Tit. XIII. Cap. 5. Certum eſt tertio: etſi admodum rara, aliqua tamen harum relaxationum ab Epiſcopis factarum illuſtria exempla exſtare, & quidem antiquiſſima. Nam & dudum obſervavit Baſilius Pontius Lib. VI. Cap. I. per multa ſæcula penes Epiſcopos fuiſſe poteſtatem tum inſtituendorum, tum auferendorum impedimentorum.

Horum unum notiſſimum eſt Sacer Ordo Presbyterorum, Diaconorum, & Subdiaconorum: quod quidem impedimentum, prout ex antiquis Patribus & Conciliis demonſtrat Natalis Alexander Diſſertatione XIX. in Hiſtoriam quarti ſæculi, tam antiquum eſt in Eccleſia, quam eſt ipſa Eccleſia. Quandoquidem ergo quammundiſſimos eſſe oportet, qui divinis miniſteriis ſunt addicti; rectiſſime ab Eccleſia inſtitutum eſt, ut Sacro Ordine ſuſcepto prohibeantur Clerici non ſolum uxores ducere, ſed etiam maritale commercium habere cum illis, quas ante legitime duxiſſent. Quæſtio ſane apud Theologos eſt, an Ordo Matrimonium dirimat vi Legis Eccleſiaſticæ Matrimonium in Clerico damnantis, an vi voti quod Ordini ſit adnexum. Tridentina Synodus, Theologorum quæſtione in medium relicta, illud unum declaravit Seſſione XXIV. Canone 9. Sacris

cris Ordinibus dirimi Matrimonium. Utcumque res ſe habet, illud negari non poteſt: quando tota fere Eccleſia vigebat Canon Apoſtolicus XXVII. quo ſolis Clericis inferiorum graduum permittebatur uxores ducere; ſanxiſſe Epiſcopos Galatas in Ancyrana Synodo Canone X. ut *Diaconi quicumque ordinantur, ſi in ipſa ordinatione proteſtati ſunt & dixerunt, oportere ſe uxores ducere, cum non poſſint ſic manere: hi ſi poſtmodum uxores duxerint, ſint in miniſterio*, EO QUOD EIS EPISCOPUS HOC CONCESSERIT. *Siqui autem tacuerint, & poſtea ad nuptias venerint, ii a diaconatu ceſſent*. Sive hoc fuerit relaxaſſe votum continentiæ quo Clerici erant obſtricti, ſive relaxaſſe Legem Eccleſiaſticam, quæ continentiam imperabat: certum omnino eſt, diſpenſationem hanc fuiſſe vel relaxationem præcepti ubique vigentis, & cujus originem Theologi omnes, imo ipſi Sancti Patres ab Apoſtolis repetunt. Illud etiam meminiſſe debemus, Ancyranos Canones magnam partem conſtituiſſe illius Codicis, quo Orientales Eccleſiæ Sæculo quinto regebantur. Quo ergo tempore in Occidente cum Decretis Siricii & Innocentii I. tum Canonibus Africanis, Gallicis, & Hiſpanis, cœlibes eſſe ſub depoſitionis pœna debebant majores Clerici: eodem per Ancyranos Canones licebat Diaconis in Oriente uxores ducere poſt ordinationem, licebat & in gradu ſuo permanere.

Collect. Juſtelli Tomo I. p. 37.

Septimo Sæculo declararunt Patres Trullanæ Synodi Conſtantinopoli celebratæ Canone XIII. (erant autem ſupra ducentos) ſacros Ordines impedimento eſſe non debere Presbyteris, vel Diaconibus, vel Suddiaconibus, quominus uxoribus uterentur quas ante habuiſſent. *Hominum qui ſunt in ſacris legitima conjugia deinceps quoque firma & ſtabilia eſſe volumus, nequaquam eorum cum uxoribus conjunctionem diſſolventes*, vel

Concil. To. VII. p. 1351.

vel eos mutua tempore convenienti conſuetudine privantes.

VII. Canone hocce Græci hodiedum reguntur, non ſolum ſchiſmatici, ſed etiam Catholici. Illum ſane nunquam admiſit Occidentalis Eccleſia: ſed vel inde tamen elucet, quanta Epiſcoporum auctoritas fuerit ſuper impedimenta & irregularitates. Adde quod invictis argumentis demonſtrari poteſt, in ipſo Occidente etiam tum, cum Lex continentiæ maxime obſtringebat Clericos, (obſtringebat autem maxime quarto & quinto ſæculo) non defuiſſe alicubi Epiſcopos, qui Canonum rigorem aliqua ex parte emollirent, ipſiſque Conſtitutionibus Pontificiis modum quendam imponerent: quatenus ipſis vel conniventibus vel diſſimulantibus, conſueſcere cum uxoribus ſinerentur Presbyteri & Diacones, quin propterea gradus ſuos in Clero amitterent.

Data ad Himerium Tarraconenſem Epiſtula univerſis Galliæ & Hiſpaniæ Epiſcopis ſignificarat Siricius Capite VII. depoſitionis pœna multandos eſſe, ab omnique Eccleſiaſtico miniſterio arcendos, ſi qui de Presbyteris vel Diaconibus convicti eſſent ſeſe cum uxoribus commiſcuiſſe. Id ipſum paullo poſt ſanxerat Innocentius I. in Epiſtula ad Exuperium Toloſatem Capite I.

Juſtellus p. 192.

Ibid. p. 199.

Nihilominus tamen Patres Concilii Toletani primi, quod anno CCCC. collectum eſt, Siricii Conſtitutionem ex parte mitigantes, ſanxerunt Canone I. ut qui ex Presbyteris & Diaconibus incontinentiæ rei forent, ii non alia pœna adficerentur, quam irregularitatis ad altiores gradus. *Placuit ut Diacones, ſi qui incontinenter cum uxoribus vixerint, Presbyterii honore non cumulentur. Si quis vero ex Presbyteris filios ſuſceperit, de Presbyterio ad Epiſcopatum non admittatur.* Patres vero Concilii Arauſicani I. anno

Tom. III. Concil. Hiſp. p. 21.

anno CCCCXLI. pœnas ab Innocentio impoſitas temperantes, Canone XXIV. idem ſanxerunt, quod Toletani, citato etiam ea de re Canone Synodi Taurienſis: *De his qui prius ordinati in hoc ipſum inciderunt, Taurinatis Synodi ſequendam eſſe ſententiam, qua jubentur non ulterius promoveri.* *Tom. I. Concil. Gall. p. 70.*

Qui anno CCCCLXI. primum Concilium Turonenſe celebrarunt, ubi Canone II. de hoc argumento verba faciunt, ii aperte monent, emolliri a ſe rigorem legum. Sic enim ajunt: *Licet a Patribus noſtris emiſſa auctoritate id fuerit conſtitutum, ut quicumque Sacerdos vel Levita filiorum procreationi operam dare fuiſſet convictus, a communione Dominica abſtineretur: nos tamen huic diſtrictioni moderationem adhibentes, & juſtam Conſtitutionem mollientes, id decrevimus, ut Sacerdos vel Levita conjugali concupiſcentiæ inhærens ad altiorem gradum non aſcendat. Sufficiat his tantum, ut a communione non efficiantur alieni.* *Ibid. p. 121.*

Pridem jam obſervavit Ludovicus Dupinus in *Probationibus Declarationis Cleri Gallicani*, Canone hocce Turonenſi modum quendam a Gallis Epiſcopis adhiberi Decretis Siricii & Innocentii de cœlibatu Presbyterorum & Diaconorum. Atque illud ipſum temperamentum præ ſe ferunt Canones ceteri ſuperius deſcripti e Gallia & Hiſpania: a quibus nimirum una illa pœna multantur violati cœlibatus rei, ne ad ſuperiores ordines provehantur. Meminiſſe autem nos oportet, temporibus illis in more poſitum eſſe; ut qui Presbyteri vel Diaconi ordinandi erant, prius coram Epiſcopo cœlibatum profiterentur. Id enim præcipiebat Arauſicana prima Synodus Canone XXII. & ſecunda Arelatenſis Canone II. Quod & obſervavit Natalis Alexander in Diſſertatione ſupra laudata. Attamen ſi qui forte de Presbyteris vel Diaconis *Concil. Gall. To. I. p. 73. & 103.*

nis cœlibatum violaſſent, non eos propterea a muneribus ſuorum graduum obeundis prohibebant Epiſcopi; ſive ea legis ſive voti relaxatio fuerit ab Epiſcopis facta œconomiæ ergo.

VIII. Hinc ad impedimenta *Conſanguinitatis & Adfinitatis* jam progrediamur. Dudum & Chriſtianus Lupus & Joannes Gerbaſius obſervavit Sæculo adhuc XII. nonniſi ægre admodum ab Apoſtolica Sede impetrari ſolitas fuiſſe diſpenſationes hujuſmodi. Imo teſtatur Thomaſſinus, primum extitiſſe Martinum V. qui ſupremo cuidam Comiti permiſerit ſibi in matrimonium copulare eam, quæ ſoror eſſet prioris uxoris. Libro tamen XV. *de Civitate Dei*, Capite 16. ſcribit Auguſtinus, quandoquidem civilibus legibus nondum conſobrinorum nuptiæ vetarentur, licuiſſe interdum per Epiſcopos illa tempeſtate hujuſmodi conjugia celebrari. *Experti ſumus*, inquit, *in connubiis conſobrinorum etiam noſtris temporibus, propter gradum propinquitatis fraterno gradui proximum, quam raro per mores fiebat, quod fieri per leges licebat: quia id nec divina prohibuit, & nondum prohibuerat lex humana.*

Auguſt. To. *VII.* p. 398.

Nempe lege lata conſobrinorum nuptias damnavit Imperator Theodoſius I., cujus quidem Conſtitutio hodie nuſquam extat: ſed illius meminere cum S. Ambroſius in Epiſtula LX. ad Paternum, tum Caſſiodorus Lib. VII. *Variarum*, Cap. 46. Nec aliam ſuperiori loco intelligit S. Auguſtinus. Theodoſio vita functo anno CCCXCV. patris legem antiquavit Arcadius, conſobrinos inter ſe copulari permittens celeberrima illa Conſtitutione, *Celebrandis* 19. *C. de Nuptiis*. Obiit Arcadius anno Chriſti CCCCVIII. Auguſtinus autem nonniſi diu poſt ſcripſit Librum XV. *de Civitate Dei*, ut inter Criticos convenit. Atqui paullo inferius eodem ipſo loco teſtatur Auguſtinus, tum cum

cum ipſe ſcribebat, jam per Eccleſiam non licuiſſe conſobrinorum nuptias celebrari. *Quis dubitet honeſtius hoc tempore etiam conſobrinorum eſſe prohibita conjugia?* Hinc igitur colligo, quoad Forum Eccleſiaſticum jam tum Epiſcopis probatam non eſſe civilem legem Arcadii: imo vero probatam ſolam Theodoſii: ſive quod arbitrarentur legem apud Afros vigere non debere, quam Imperator ſolius Orientis tuliſſet: ſive quod Sacramentorum dignitatem cuilibet civilium legum permiſſioni anteferrent.

IX. Duo igitur colliguntur ex memorato teſtimonio Auguſtini. Primum: antequam civilibus legibus conſobrinorum nuptiæ vetarentur, permiſſas quoque ab Epiſcopis fuiſſe hujuſmodi nuptias: ſecus vero contigiſſe, poſtquam Magnus Theodoſius lege lata nuptias conſobrinorum irritas declaravit. Neque enim Arcadii Conſtitutio pertinere videbatur ad Occidentales, e quorum numero erant Afri. Alterum: penes Sæculares etiam Principes auctoritatem eſſe conſtituendorum impedimentorum, quæ contractum matrimonium dirimant: id quod Ambroſius quoque innuit in Epiſtula ad Paternum, & Sæculo IX. agnovit Nicolaus Papa I. in Reſponſionibus ad Conſulta Bulgarorum Capite XXXIX. Hinc eſt, quod ſicut appoſitis impedimentis conſanguineorum conjugia diſſolvebant, ita in gratiam aliquorum ipſa impedimenta interdum auferebant iidem Principes. Neque de hac poteſtate ullam umquam Principibus litem movit Eccleſia. *Concil. Tom. IX. p. 1548.*

Eſt in hoc genere memoranda in primis Formula illa verborum, qua ſexto Sæculo uſus eſt Theodoricus Gothorum in Italia Rex, cum ſubditorum cuidam gratiam facere vellet Regii juris, ut liceret ipſi uxorem ducere conſobrinam. Quanta quanta eſt, deſcribit Caſſiodorus ejuſdem Regis Conſiliarius, Libro VII. *Caſſiod. Tom. I. Maurinæ edit. p. 123.*

Varia-

Variarum, Cap. 46. Æque memoranda eſt Lex ſive Conſtitutio Recaredi Gothorum in Hiſpania Regis ſeptimo Sæculo, quæ extat in Codice Legum Wiſigothorum Libro III. Tit. V. Cap. I. editionis Lindenbrogianæ: ea enim utimur.

Collect. Lindenbrog. p. 69. Francfurti anni 1613.

Id ipſum colligitur ex quamplurimis Legibus de hoc argumento editis in Codice Theodoſiano & Juſtinianæo. Imo ad noſtram uſque ætatem Galliæ moribus receptum eſt, ut pro irritis habeantur conjugia Principum Regii ſanguinis, quibus celebrandis Regis conſenſus & adprobatio non acceſſerit. Idque an. MDCXXXV. re & verbo declaravit Rex Ludovicus XIII. cum ſe inconſulte Margaritam Lotharingiæ Principem ſibi in matrimonium copulaſſet frater Gaſto Dux Aurelianenſis & Carnotenſis. Re ad generalem Conventum Epiſcoporum & Theologorum eodem anno Pariſiis congregatorum relata, reſponderunt ad unum omnes, ſpectata Gallici Regni antiqua Conſuetudine, jus eſſe Ludovico contractum ſe invito matrimonium reſcindere. Irritum ergo a Rege declaratum eſt, irritum ab omnibus habitum conjugium Gaſtonis cum Margarita (a).

Launoi. de Regia in matrimonium Poteſtate *Tom. I. P. II. p.* 818. *Gerbaſ. de eod. argum. p.* 322. *S. Thom. To. VII. fol.* 174. *verſ. & Tom. IX. P. II. fol.* 514. *verſ.*

X. Gallicis Theologis adſentiuntur doctiſſimi quique aliarum nationum: utrique autem ducem ſequuntur S. Thomam cum in IV. *Sententiarum*, Diſt. XXXIV. Quæſt. unica, art. I. tum in Summa *contra Gentiles*, Lib. IV. Cap. 78. ubi

(a) Acta hujus Conventus, quæ Launoyus & Gerbaſius indicarunt, integra habes Tom. V. Gallicæ Collectionis ita inſcriptæ *Memoires du Clerge de France*, a pagina 693. ad 712. ubi ſententiæ illi ſubſcribentes invenies Archiepiſcopos quinque, Epiſcopos unum & viginti, cum innumeris fere Doctoribus Dominicanis, Franciſcanis, Carmelitis, Minimis, Jeſuitis, Congregationis Oratorii.

ubi Angelicus Doctor animadvertit, Matrimonium ſicut quatenus Sacramentum eſt legibus Eccleſiæ ſubeſſe; ita quatenus civilis quidam & naturalis contractus eſt, legibus ſæcularium Principum ſubjacere. Magiſtro ſubſcribunt cum ceteris Dominicanis quatuor laudatiſſimi, qui & Tridentino Concilio interfuere: Ambroſius Catherinus poſtea Archiepiſcopus Compſanus Diſſertatione de *Clandeſtinis Matrimoniis* Romæ edita anno MDLII. Jacobus Naclantus Epiſcopus Clodienſis Tractatu XVI. qui eſt de *Irritandis Clandeſtinis Conjugiis*: Dominicus Sotus in IV. Sententiarum Diſt. XL. Quæſt. unica, art. 5. Petrus Sotus *de Sacramento Matrimonii* Lectione IV. Horum omnium doctrina eſt: Chriſtum Dominum, quando ad Sacramenti dignitatem evexit Matrimonium, nihil prorſus innovaſſe circa illius materiam quæ in naturali & civili contractu conſiſtit: ac proinde, ſicut ad conſervandam Sacramenti dignitatem, poteſt Eccleſia certa impedimenta conſtituere Matrimoniis contrahendis; ita ad conſervandum commune bonum ſocietatis civilis, jus eſſe Sæculari Principi certas conditiones apponere Matrimoniis irritandis. Egregia ſane verba ſunt, quibus Diſſertationem ſuam concludit Petrus Sotus. Sic enim ait ſapientiſſimus Thomiſta, idemque Caroli V. Imperatoris Confeſſarius, & Pii Papæ IV. apud Tridentinum Concilium Theologus: *Non debent Prælati Eccleſiæ gravate ſuſcipere, ſi quod temporali paci viderint neceſſarium, ſæculares Principes ſtatuant. Nec eſt cur illis ſe opponant, ſed permittant potius Matrimonium legibus humanis ordinandum, cum officium humanum ſit: & addant poſtea ipſi, ſi videbitur, quod ad bonum religionis pertinet: quamquam civiles leges in his omnibus ex pietate certe & voluntate Principum facile ceſſerint Eccleſiæ, ut jam nullum cenſeatur Matrimonium illegitimum, quod* *Sotus fol. 284. verſ.*

Eccle-

Eccleſia tale non judicat. Pergamus porro, & jam e diverticulo in viam nos demus.

XI. Libro V. Hiſtoriæ Francorum, Capite 19. ſcribit S. Gregorius Archiepiſcopus Turonenſis, anno Chriſti circiter DLXXVII. amitam ſuam ſibi uxorem accepiſſe Merovechum Principem auctore Prætextato Rothomagenſi Archiepiſcopo: atque ejus rei gratia Prætextato ceu Canonum violatori graviter ſuccenſuiſſe Chilpericum Regem, cujus hæc in illum verba fuerunt: *Quid tibi viſum eſt, o Epiſcope, ut inimicum meum Merovechum cum amita ſua, ideſt, cum patrui ſui uxore conjungeres? An ignarus eras, quæ pro hac cauſa canonum ſtatuta ſanxiſſent?* Non ita inſipiens erat Prætextatus, ut Merovecho adfinitate conjunctam uxorem daret, ſi vel pro inauditis haberet nuptias hujuſmodi, vel etiam exiſtimaret, ne ſibi quidem Metropolitano Epiſcopo jus eſſe editos ea de re Canones emollire. Quod Merovechus Princeps eſſet, & quidem Regi infenſiſſimus; id forte in cauſa fuit, quamobrem Prætextato vitio verterit Chilpericus, quod Canones ipſe in gratiam Merovechi non tam relaxarit, quam violarit.

Turon. p. 222. Maurinæ edition.

XII. Patres triginta quatuor Concilii Agathenſis in Gallia e diverſis Provinciis collecti anno DVI. Canone LXI. ita ſtatuerunt: *De inceſtis conjunctionibus nihil prorſus veniæ reſervamus, niſi cum adulterium ſeparatione ſanaverint. Inceſtos vero nullo conjugii nomine deputandos, hos eſſe cenſemus. Siquis relictam fratris, quæ pene prius ſoror extiterat, carnali conjunctione polluerit: ſiquis frater germanam uxoris acceperit: ſiquis novercam duxerit: ſiquis conſobrinæ ſe ſociaverit: ſiquis relictæ vel filiæ avunculi miſceatur: aut patrui filiæ, vel privignæ ſuæ: aut qui ex propria conſanguinitate aliquam, aut quam conſanguineus habuit, concubitu polluerit aut duxerit uxorem.*

Concil. Gall. To. I. p. 172.

Quod

Quos omnes & olim, atque ſub hac Conſtitutione inceſtos eſſe non dubitamus, & inter catechumenos uſque ad legitimam ſatisfactionem manere & orare præcipimus. Quod ita præſenti tempore prohibemus, ut ea quæ ſunt hactenus inſtituta non diſſolvamus. Sane quibus conjunctio illicita interdicitur, habebunt ineundi melioris conjugii libertatem. Quibus verbis id ſignificant Agathenſes Patres: haberi quidem a ſe pro inceſtis nuptias quaſcumque conſanguineorum & adfinium inter ſe ſe: ut inceſtos proinde ſeparari debere, & inter catechumenos pœnitentiam agere, quicumque in poſterum his ſe conjunctionibus macularint. Monent nihilominus, non eſſe ſuæ intentionis diſſolvere vel in irritum mittere eas nuptias, quæ præſenti tempore inter conſanguineos & adfines celebratæ eſſent: ſed licere per eos conjugatis vel priores uxores retinere, vel iis dimiſſis alias non propinquas ducere. Multitudo & frequentia inceſtarum harum conjunctionum, qua tunc temporis laborabat Gallia, forte occaſio fuit Patribus Agathenſibus œconomia illa utendi; quæ egregio ſane argumento eſt, quanta adhuc ſexto ſæculo juriſdictione & auctoritate pollerent Epiſcopi.

Patres Concilii Epaonenſis itidem in Gallia celebrati anno DXVII. Canone XXX. Agathenſem Conſtitutionem totidem fere verbis confirmant adverſus eos, qui vetita a Canonibus conjugia inirent. Moti tamen miſericordia erga tot inceſtos conjuges, quot illa tempeſtate in Gallia erant; iis ſimiliter gratiam faciunt, vel in priori conjugio manendi, vel alterum denuo ineundi. *Quod ut a præſenti tempore prohibemus, ita ea quæ ſunt anterius inſtituta non ſolvimus. Sane quibus conjunctio illicita interdicitur, habebunt ineundi melioris conjugii libertatem.* Erant autem hujus Concilii Patres viginti quinque, e diverſis Provinciis collecti. *Ibid. p. 199.*

Profecto verba illa Concilii Agathenſis, *ut ea quæ ſunt hactenus inſtituta non diſſolvamus*; & illa Concilii Epaonenſis, *ita ea quæ ſunt anterius inſtituta non ſolvimus*; ſic intelligi debere, quemadmodum a nobis ſunt intellecta: res videtur eſſe tam aperta, ut de ea nemini dubitare liceat. Nam collatis inter ſe omnibus, duplex tantum ſenſus e Canonibus illis elici poteſt. Primus: ut verba illa, *quæ ſunt hactenus* vel *anterius inſtituta*, intelligantur de antiquioribus Decretis vel Canonibus, quibus jam olim damnarentur conſanguineorum & adfinium nuptiæ: ita ut mens ſit Patrum Agathenſium & Epaonenſium, nuptias hujuſmodi eo pacto nunc a ſe interdici, ut nullo modo intendant abrogare ea, quæ de eodem hoc argumento dudum præcepiſſent Synodi antiquiores. At ſenſus hujuſmodi omnino abſurdus eſt & ineptus: tum quod paullo ſupra jam ſignificarant Agathenſes Patres, conſanguineorum & adfinium nuptias jam ante aliis Canonibus tamquam inceſtas eſſe damnatas: (*Quos omnes* ET OLIM *atque ſub hac Conſtitutione inceſtos eſſe non dubitamus*): tum quod ex eo quod has nuptias illi interdixiſſent, nemo prudenter ſuſpicari vel arbitrari poterat, abrogatos ab illis propterea eſſe Canones jam ante ea de re editos. Nam meridiana luce clarius eſt, lege aliqua tales vel tales nuptias damnante non tolli, imo vero magis magiſque firmari & ſtabiliri leges alias, a quibus jam ante interdictæ fuiſſent eædem nuptiæ. Ergo verbis Canonum Agathenſis & Epaonenſis alter tantummodo ſenſus adtribui poteſt, qui non alius eſt ab eo quem initio adtribuimus: nempe ut verbis illis utrique Patres ſignificent, *præſenti tempore*, vel (ut Epaonenſes loquuntur) *a præſenti tempore* interdici nuptias inter conſanguineos & adfines: ut intentio eorum non ſit eas diſſolvere vel irritare, quæ tunc tem-

temporis factæ invenirentur. Id quod plane confirmatur non tantum ex verbis *ſolvendi* & *diſſolvendi*, quæ Patres uſurpant, quæque de conjugiis multo aptius intelliguntur, quam de legibus vel Canonibus; ſed etiam ex illis, quibus Patres Canonem utrumque claudunt: *Sane quibus conjunctio illicita interdicitur, habebunt ineundi melioris conjugii libertatem*. Quæ dubium non eſt propterea addidiſſe Patres, & illi quorum gratia Canones relaxabant, non ſibi perſuaderent, data facultate permanendi in priori conjugio ſibi facultatem auferri alterum ineundi.

Illud etiam nemini hæſitationi fore arbitror, quod Patres horum Conciliorum diſpenſatione uſi fuerint circa gradus a Deo interdictos Capite decimo octavo Levitici: ubi Judæis interdicta legimus conjugia cum novercis, privignis, & quæ vel ſorores eſſent priorum uxorum, vel fratrum alteri ante nupſiſſent. Etenim cum aliis Theologis dudum monuit Clemens Monilianus Cardinalis, Theologus & ipſe doctiſſimus e Sacro Minorum Ordine, cujus verba habes apud Launojum: legem hanc cum ceteris a Moyſe promulgatis lege gratiæ fuiſſe ſublatam quoad ea omnia, quæ juris naturalis non eſſent: ſed congruum & expediens fuiſſe, ut eandem & Eccleſia & Sæculares Principes in uſum denuo revocarent in gratiam Matrimonii, ne contrahere cum propinquis Chriſtiani poſſent. Certum ergo eſt, Agathenſes & Epaonenſes Patres, cum circa gradus in Levitico interdictos diſpenſarunt, non magis violaſſe jus divinum, quam hodie violant Romani Pontifices, cum diſpenſant ad contrahendum cum ſororibus priorum uxorum, vel cum filiabus fratrum & ſororum.

Launoi. Tom. I. P. II. p. 735.

Verum ut de ſenſu Canonum Agathenſis & Epaonenſis omnis tollatur dubitatio, ecce tibi decimus Canon tertii Concilii Aurelianenſis

anno DXXXVIII. ab Epiſcopis viginti quinque celebrati: quo nullum deſiderari poſſit illuſtrius monumentum Epiſcopalis auctoritatis. Eo in Canone Aurelianenſes innovant, quidquid in conſanguineorum & adfinium nuptias decreverant Agathenſes & Epaonenſes. Sed interim ea poteſtate utentes, qua a Chriſto decorati erant, duobus ſubditorum generibus permittunt manere in conjugio cum novercis, cum privignis, ſororibus priorum uxorum, amitis, materteris, & conſobrinis. Nempe & illis, qui recens baptizati cum propinquis matrimonium contraxiſſent: & illis, qui vetitas a Canonibus hujuſmodi nuptias antea ignoraſſent. *De inceſtis conjunctionibus ita quæ ſunt ſtatuta ſerventur, ut his qui aut modo ad baptiſmum veniunt, aut quibus patrum ſtatuta in notitiam antea non venerunt, ita pro novitate converſionis ac fidei ſuæ credidimus conſulendum, ut contracta hujusmodi conjugia non ſolvantur; ſed in futurum quod de inceſtis conjunctionibus in anterioribus Canonibus interdictum eſt, obſervetur.*

Concil. Gall. Tom. I. p. 251.

Nihil de Epiſcoporum auctoritate grandius, nihil magnificentius deſiderari poteſt. Nempe illi impedimenta conſtituebant: illi impedimenta tollebant: idque etiam in eorum gratiam, qui novercas, vel privignas, vel ſorores priorum uxorum, vel amitas, vel materteras ſibi deſpondiſſent: idque cum eæ nuptiæ hujusmodi eſſent, ut apud civiles leges nihil æque fuerit odioſum.

XIII. Verum alia ſuperſunt adhuc Epiſcopalis auctoritatis exempla. Anno enim DCCCXCV. celebratum eſt in Germania ab Epiſcopis viginti duobus Synodus Triburienſis. Canone autem XLI. ea diſpenſatione Patres utuntur, ut is, qui uxorem viventis fratris adulterarat, mortuo eo eandem ſibi legitime copulare ſinatur, modo uterque de patrato adulterio legitimam

pœni-

pœnitentiam ante egiſſent. *Epiſcopus conſiderata mentis eorum imbecillitate, poſt pœnitentiam ſua inſtitutione peractam, ſi ſe continere non poſſint, legitimo conſoletur Matrimonio.* *Concil. Tom. XI. p. 650.*

Si Thomaſſino fidem habemus Parte II. Libro III. Cap. 27. num. 5. & Cap. 29. num. 10. adhuc ſæculo undecimo auctoritatem eam Epiſcopi retinebant. Certe ex Epiſtula XXXIV. Hildeberti Cenomanenſis Epiſcopi liquet, ea tempeſtate ſcripto teſtatos eſſe Epiſcopos Gallos Provinciæ Turonenſis, licere per eos Gauterio de Meduana filiam ſuam Comiti Mortonio deſpondere: quippe qui in ſpem veniſſent, juncto matrimonio ſopitum iri in immanes diſcordiarum flammas, quæ domos conſanguinei utriuſque diu vaſtabant. *Addidit præterea Gauterius, vos veſtroſque Provinciales ei confirmaſſe ſcripto, compendia pacis & quietis tolerandum conſanguinitatis piaculum.* Ceteris Epiſcopis accedere noluit Hildebertus, non quia non poſſet, ſed quia conſervandæ diſciplinæ ceteris retinentior eſſet. *Bibl. PP. To. XXI. p. 131.*

XIV. Poſtquam tot egregiis factis & exemplis demonſtravimus, quanta Epiſcoporum auctoritas ſit in relaxandis Canonicis legibus quibuſcumque ſive ad Matrimonii impedimenta, ſive ad alia ſpectantibus, ubi auctoritas illa lege aliqua vel Reſervatione contraria Epiſcopis ipſis ablata non fuerit: ſupereſt modo ſatisfacere duobus argumentis, in quibus plurimum fidit Proſper Fagnanus: qui ut ſolis Curiæ placitis adſuetus erat, ita ſolis iis moderandam Epiſcoporum poteſtatem arbitrabatur. Primum deſumptum eſt ex Capite *Dilectus* 15. *De Temporibus ordinationum*: ubi Papa Honorius III. ſuſpenſionis pœna in Epiſcopum quendam propterea animadvertit, quod ipſe uno eodemque die ternos Ordines Sacros cuidam Canonico contuliſſet. Ratio autem, qua motum ſe

fatetur Honorius ea eſt quæ ſequitur: *Cum illi hujuſmodi diſpenſatio a Canone minime ſit permiſſa*. Unde Fagnanus hanc Regulam conflat: non poſſe Epiſcopum relaxare Leges Superioris, niſi quando id ipſi Epiſcopo aperte indulgeant eædem Leges.

XV. Principio dudum Gibertus monuit, Caput *Dilectus* Honorii III. poſterius eſſe ſive recentius Capite *Innotuit* 3. *de eo qui furtive ordinem ſuſcepit*, quod Cœleſtini III. eſt: poſterius item Capite *Litteras*, 13. *de Tempor. Ordinat.* quod eſt Innocentius III. Ex quibus conſtat, jam a tempore Prædeceſſorum Honorii Sedi Apoſtolicæ reſervatas eſſe diſpenſationes ejus generis: proindeque verba illa Honorii, *cum illi hujuſmodi diſpenſatio a Canone minime ſit permiſſa*, non ſic eſſe intelligenda, ac ſi Canonem relaxare non poſſit Epiſcopus, niſi ubi id Epiſcopo Canon ipſe aperte concedat. Sed ita intelligenda, ut quandoquidem rem illam Apoſtolicæ Sedi jam reſervaſſent Prædeceſſores ſui, minime jam licuiſſet Epiſcopo relaxare legem ab illis editam. Itaque perinde eſſe dixiſſe Honorium, *cum a Canone minime ſit permiſſa*, ac dixiſſe, *cum a Canone ſit vetita*. Deinde ineluctabilis Axiomatis vi polleat Honorii dictum, per me licet: ſed polleat apud Fagnanum ipſum, qui ut merus Canoniſta, & quidem de Curia, ſolet cum Ultramontanis ceteris loca omnia Decretalium perinde adlegare & exoſculari, ac ſi Principia quædam eſſent immobilia & irreformabilia. Alia autem mens eſt Theologis (*a*), qui probe norunt, ex Decre-

(*a*) Quantum Canoniſtis præſtarent Theologi, an. MCCCXXXIII. Joanni Papæ XXII. ſignificari fecit Philippus Pulcher Gallorum Rex in illa Epiſtula, quam deſcribit vetus continuator Nangii apud Da-

Decretalium teſtimoniis ea tantummodo eſſe irreformabilium Regularum loco habenda, quæ vel Divinis Scripturis, vel Patrum Traditione innitantur. Ab hoc vero dignitatis faſtigio multum abeſt Axioma Honorii intellectum eo ſenſu, quo vult Fagnanus. Adde quod pridem obſervavit Magnus Theologus Melchior Canus; ubi quid præcipiunt Romani Pontifices, *aliud eſſe intentionem concluſionemque Decreti, aliud rationem & cauſam.*

Canus de Loc. Theol. lib. VI. *cap.* 8. *p.* 202. *noviſſ. edit.*

XVI. Alterum Fagnani argumentum majorem quidem ſpeciem præ ſe fert virium: ſed ſpecie tantum validum eſt, non re: quamvis eo velut Achille utantur, qui a nobis diſſentiunt. Sic autem habet: non videri poſſe ab Epiſcopo relaxari Leges Papæ vel Concilii Generalis, niſi hoc ipſo ſuperior Papa & Concilio reddatur Epiſcopus: quod impium & nefarium eſt apud omnes Catholicos. Sed & jam monuere noſtri, relaxandis Conciliorum & Pontificum legibus non ſuperiorem Conciliorum aut Pontificum agere Epiſcopum, ſed Interpretem agere ipſarum legum, gratia & commodo ſubditorum. Nam ut Divinæ Scripturæ & Sancti Patres docent, legum omnium Eccleſiaſticarum baſis & fundamentum eſt lex divina de caritate erga proximos: contra quam nulla eſſe poteſt lex juſta, nulla quæ obligare homines poſſit: cum e contrario eidem caritatis legi famulari potius & cedere debeant humanæ leges quæcumque, ſive Conciliorum, ſive Papa-

 rum.

Dacherium Tom. III. Spicilegii novæ editionis pag. 97. *Quarum litterarum ex parte Regis una fuit miſſa Papæ, mandans ſibi a latere quatenus ſententiam Doctorum de Pariſiis;* QUI MELIUS SENTIUNT QUID DEBET TENERI ET CREDI IN FIDE, QUAM JURISTÆ ALIIQUE CLERICI, *qui parum aut nibil ſentiunt de Theologia, adprobaret: & quod ſuſtinentes contrarium corrigeret.*

rum. Id ſcilicet eſt, quod ad Timotheum ſcribit Apoſtolus: *Finis præcepti eſt caritas*. Id item, quod S. Auguſtinus ait in Libro *De Perfectione juſtitiæ*, Cap. 5. *Generalis prohibitio eſt, Non concupiſces: generalis juſſio, Diliges*. Et S. Bernardus in Libro *De Præcepto & Diſpenſatione* Cap. 2. *Si contraria caritati forte aliquando viſa fuerint, his dumtaxat quibus hoc poſſe videre datum eſt, etiam providere creditum eſt. Nonne juſtiſſimum eſſe liquet, ut quæ pro caritate inventa ſunt, pro caritate quoque ubi expedire videbitur, vel omittantur, vel intermittantur, vel in aliud convenientius demutentur? Teneant ergo fixam firmamque immobilitatem, etiam apud Prælatos: ſed quatenus caritati deſerviunt*.

Cum ergo præcepto omnium maximo, eoque generali, & prorſus inviolabili, teneamur proximis quibuſcumque graviter laborantibus opem ferre: conſequens inde fit, debere neceſſitate urgenti leges vel Conſtitutiones quaslibet humanas cedere ſupremæ legi de caritate: nec poſſes ipſis humanis legibus quidquam vel juſtitiæ vel roboris ineſſe, niſi ſub ea conditione ferantur, ut in illis perpetuo exceptus intelligatur caſus publicæ neceſſitatis vel utilitatis; qua neceſſitate vel utilitate urgenti, jure naturali & divino ceſſare debeat omnis obligatio & vis legum humanarum harum. Quare Alexander Papa III. in Cap. *Cum teneamur*, *De Præbendis*, Epiſcopos monet, ut ſi ſcandali periculum immineat, Reſcriptis Sedis Apoſtolicæ exequendis ſuperſedeant. *Si non poteſt ei ſine ſcandalo provideri, æquanimiter ſuſtinemus, ſi pro eo mandatum noſtrum non duxeris exequendum*. De quo digni ſunt qui legantur Didacus Covarruvias in Regula *Peccatum*, P. I. n. 7. & Petrus de Marca Lib. III. *de Concordia*, Cap. XV. num. 8.

Verum & illud ratio perſuadet, non debere humanarum legum interpretes eſſe ſingulos indiſcri-

diſcriminatim: ſed eos tantummodo, quos Eccleſiæ ſuæ Chriſtus Paſtores dedit. Conſtat autem Paſtores Eccleſiæ legitimos eſſe divino jure Romanum Pontificem & Epiſcopos. Ad ipſos ergo jure divino ſpectat & ſubditorum neceſſitatem librare, & ipſorum gratia leges declarare vel relaxare. Non quod relaxatione legum ſuperiorem ſe aut Generalibus Conciliis Pontifex, aut Romano Pontifice Epiſcopus conſtituat: ſed quod pro rerum & temporum conditione leges ipſas uterque interpretantur: quod fieri optime poteſt, quin ſe alteruter ipſis Legumlatoribus præferat. Nam ut Avitum Archiepiſcopum Viennenſem docet S. Symmachus Papa: *Quod fit præter regulam, modo ſit ex juſta cauſa, non infringit regulam, quam ſola pertinacia & antiquitatis contemptus lædit.* Fit hæc doctrina ſplendidiſſima, ubi Summus Pontifex exempli cauſa vota aliqua aut jurajuranda relaxat, quam juris divini materiam eſſe inficiatur nemo. Has enim relaxationes, ut uno ore adfirmant omnes Theologi & Canoniſtæ quantivis pretii, Papa non facit tamquam ſuperior vel Dominus juris divini: (eo enim titulo Papam alii non ornarunt, quam aliqui de antiquioribus Canoniſtis, quos hodie nemo prudentiorum & eruditiorum non deſpicit) ſed tamquam interpres ipſius divini juris, declarans illo non obſtringi nos in his vel illis circumſtantiis.

Tom. III. Spicilegii Dacheriani novæ edit. pag. 307.

Covarruvias de Matrimonio P. II. C. IV. §. 9. cum S. Thoma, Angelo, Silveſtro, Catherino, Almaino, &c.

XVII. Alio exemplo demonſtrare poſſumus, non eſſe idem relaxare legem, ac ſuperiorem eſſe legis. Decreto duorum Conciliorum Generalium nempe Conſtantienſis Seſſione V. & Baſileenſis Seſſione II. cui ſubſcribunt cum tota Eccleſia Gallicana Academiæ quinque, Pariſienſis, Colonienſis, Erfurdienſis, Viennenſis, & Cracovienſis: quinque item Cardinales, Petrus de Alliaco Gallus, Franciſcus Zabarella, & Nicolaus Tudeſchus Itali, Nicolaus de Cuſa Ger-

Germanus, & Hadrianus Florentius Belga: Alfonſus quoque Toſtatus Epiſcopus Abulenſis, & quamplurimi alii Doctores, quos in Principio quinto ſumus deſcripturi: Eo, inquam, Decreto declaratum eſt, Summum Pontificem jure divino ſubeſſe Concilio Generali, univerſalem Eccleſiam repræſentanti: ipſius Concilii legibus ut ſubditum obligari. Nihilominus univerſi ipſi Doctores conſentiunt & fatentur cum ipſo Concilio Baſileenſi & Eccleſia Gallicana, poſſe a Papa relaxari Canones & Decreta Conciliorum Generalium ad Diſciplinam ſpectantia, quoties id fidelium neceſſitas aut utilitas poſtulet. Non quod Papa ſuperior ſit ipſis Conciliis, (nam e contrario Conciliis Papam ſubjacere omnes agnoſcunt) ſed quod ea auctoritate Papam ornatum velint ipſa Concilia utpote Principem Eccleſiæ; & quod æquum ſit pro hujuſmodi relaxationibus impetrandis (quæ & neceſſariæ in Eccleſia ſunt, & a Conciliis Œcumenicis nonniſi difficillime & rariſſime obtineri poſſunt) unum aliquem perpetuum & ſupremum Diſpenſatorem fidelibus præeſſe, qui & facile adiri poſſit, & ut Canonum interpres, ipſorum Canonum rigorem pro rerum ſubditorumque conditione emolliendum curet.

Patres Baſileenſes in Synodica Reſponſione anni MCCCCXXXIV. de Papa verba facientes ita ajunt: *Per Concilii autem ſtatuta in nullo derogamus ſuæ poteſtati, quin pro tempore, loco, cauſiſque & perſonis, utilitate vel neceſſitate ſuadente, moderari diſpenſareque poſſit, atque uti Summi Pontificis epikeia, quæ ab eo auferri nequit*. Similiter Joannes Gerſon in Tractatu *de Eccleſiaſtica Poteſtate*, Conſid. X. *Intelligitur ergo Papalis auctoritatis exceptio facta, prout occurrens neceſſitas vel evidens utilitas poſtulat, ubi pro tunc recurſus ad Generale Concilium non patet*. Adeatur etiam Almainus Capite XII. in Deciſio-

Concil. To. XVII. p. 484.

Gerſon Tom. II. pag. 240.

Digitized by Google

ciſione Okami: Natalis Alexander Diſſertatione VIII. in Hiſtoriam Sæculi XV. & XVI. Articulo IV. num. 16. Illuſtriſſimus Boſſuetus Defenſione Declarationis Cleri Gallicani Lib. XI. Cap. 16. Dupinus Operę Gallico de eodem argumento pag. 660.

Quod vero de Papa dicitur reſpectu Conciliorum Generalium, idem proportione dici debet de Epiſcopis reſpectu Papæ: ut ſicut Papa gravi cauſa interveniente relaxare poteſt Decreta Generalis Concilii, quin inde ſequatur, Papam eſſe ſuperiorem Concilio: ita etiam Epiſcopus eadem cauſa relaxare poſſit Decreta Papæ, quin ex eo Papa ſuperior Epiſcopus demonſtretur. Nam quod Papa eſt reſpectu totius Eccleſiæ, id Epiſcopus eſt reſpectu ſuæ Parœciæ. Cardinalis de Cuſa Lib. II. *de Concordantia Catholica* Cap. 20. *Nullo modo*, inquit, *negari poteſt, quin propter neceſſitatem aut evidentem utilitatem, Papa diſpenſare poſſit contra quodcumque ſtatutum. Imo Archidiaconus dicit in Cap.* Sanctorum 70. diſt. *Epiſcopum hoc poſſe. Qui inter alia dicit: quod ſi Canon aliquis hoc prohiberet, irrationabilis fieret. Et ponit exempla, ubi Epiſcopi contra Concilia tam provincialia quam univerſalia, ex illis cauſis diſpenſarunt. Papa autem ultra hoc propter prærogativam perſonæ diſpenſare poteſt, de quo per eum ibid. Et ex iſtis patet, quod poteſtas ſuperintendentiæ, quæ eſt ad utilitatem Eccleſiæ in Papa, non eſt proprie ſupra Canones, ſed ipſa declarat, Canones in occurrenti caſu propter rationabiles cauſas locum non habere. Et ſic diſpenſatio non eſt proprie juris relaxatio, ſed declaratio, &c.* Jam antea Capite 13. hæc ſcripſerat idem Cardinalis: *Si dicis ultra de poteſtate diſpenſativa Papæ in Canonibus, ex eo arguendo poteſtatem ſtatuendi, nihil concludis. Quia etiam Epiſcopus diſpenſat in Canonibus. Nec facit diſpenſatio Canonibus præjudicium.*

Cuſa p. 750.

Ibid. p. 729.

Hinc

Gibert. Tom. II. pag. 102. Hinc ita colligit Gibertus Tom. II. Tit. VII. *Abſurdum videtur, ut Epiſcopis diſpenſare non liceat, niſi quando a Canone ſibi expreſſe permittitur. Quia caſus diſpenſationis juſtæ omni in lege ſubintelligitur exceptus: quia diſpenſatio ut ſit juſta, debet eſſe publico bono neceſſaria vel ſaltem utilis: neceſſitas autem vel utilitas publica in lege ſemper excipiuntur*. S. Symmachus Papa in eadem illa Epiſtula ad Avitum, cujus ſupra meminimus: *Quamvis a Patribus ſtatuta*, inquit, *diligenti obſervatione & obſervanti diligentia ſint cuſtodienda: nihilominus propter aliquod bonum de rigore legis aliquid relaxatur, quod & ipſa lex caviſſet, ſi prævidiſſet: & ſæpe crudele eſſet inſiſtere legi, cum obſervantia ejus eſſe præjudicabilis Eccleſiæ videtur: quoniam leges ea intentione latæ ſunt, ut proficiant, non noceant*.

XIX. Certum eſt leges Eccleſiaſticas non alterius hodie naturæ eſſe, quam prioribus ſæculis erant. Si autem Sozomeni Hiſtoriam evolverimus, Libro I. Capite XI. ſcriptum inveniemus, quarto ſæculo religioni non fuiſſe magno illi Cypri Epiſcopo S. Spiridioni, hoſpiti cuidam tempore Quadrageſimæ ſuillas carnes adponere, quas & comedit ipſe, & ut ſecum comederet hominem eſt hortatus: nihil enim aliud, quod adponeret, domi repertum eſt illa die. Nempe caritatis legem Spiridion arbitrabatur omnibus aliis legibus prævalere debuiſſe. Quo eodem fundamento nixus, motusque præterea piſcium caritate, qua vertente hoc anno MDCCLXVI. laboravit Gallia, ſubditis ſuis permiſit Epiſcopus Lemovicenſis tertio quoque die tempore Quadrageſimæ carne veſci: id quod ex Ephemeridibus paullo poſt evulgatis omnibus innotuit (*a*).

PRIN-

(*a*) Ejuſdem generis eſt Mandatum Epiſcopi Antiſſiodorenſis de anno MDCCXXXIII., ubi ſubditis ſuis permittit ovis veſci tempore Quadrageſimæ,

PRINCIPIUM IV.

In toto Corpore Juris Canonici, imo vel in ipſo Concilio Tridentino nullus locus extat, qui Epiſcopis neget vel auferat facultatem moderandi impedimenta Matrimonii. Sola conſuetudine vel tolerantia Epiſcoporum factum eſt, ut Diſpenſationes hujuſmodi ſenſim Apoſtolicæ Sedi reſervarentur.

De hac Epiſcoporum tolerantia pulchra teſtimonia Concilii Triburienſis, Fulberti Carnotenſis, Hildeberti Cenomanenſis, & Bernardi Claravallenſis.

Qua conſtantia Epiſcopalia Jura tuiti fuerint Dunſtanus Cantuarienſis, Robertus Lincolnienſis, & alter quidam Epiſcopus Engoliſmenſis. Rebuffo ſententia ſuper originem Reſervationum.

PROBATIONES.

I. PRimum hujuſce Principii fidejuſſorem ſiſto Gibertum, nuperum illum quidem & celebrem Galliæ Canoniſtam, qui in Tractatu de *Eccleſia*, Tit. VII. de *Prælatis* in hunc modum ſcribit: *Factæ reſervationes circa Diſpenſationes Matrimoniales in favorem Sedis Apoſtolicæ, nullæ leguntur in Corpore Juris, nec in Concilio Tridentino.* Alterum ſiſto Barthelium, nuperum & ipſum nec minus illuſtrem Canoniſtam e Germania, qui in *Additionibus ad Jus Canonicum* Libro I. Tit. XXXIII. ita ſcribit: *Ubi vel jus ſcriptum vel conſuetudinarium non adimit Epiſcopo poteſtatem, illam in regula habet. Paucos habemus Canones, in quibus poteſtas illis adempta, ut in diſpenſanda ætate: in impedimentis matrimonii nullos habemus, ſed ex mera Conſuetudine ſunt reſervata. Cum enim ob teneram conſcientiam Epiſcopi ſæculo XII. deſuper ſæpius referrent ad Pontificem, non quod ſua poteſtate*

Gibert. Tom. II. p. 149.

Barthel. p. 137.

ſtate dubitarent, ſed quod ejus inquirerent conſilium, quia magis adhuc inſiſtebant obſervantiæ Canonum: Conſuetudine ſibi hæc impedimenta Pontifex reſervavit. Tertium ſiſto Vaneſpenium, nuperum alterum & doctiſſimum Canoniſtam e Belgio, qui Parte altera Juris Pontificii Titulo XV. Cap. I. hæc habet: *Quibus diſpenſandi auctoritas ſuper impedimentis Matrimonii competat, nec in Canonibus, nec in Decretalibus Gregorii IX. determinatur: neque legitur aliquo decreto generali auctoritas hæc Epiſcopis adempta, & Pontifici reſervata. At conſuetudine tandem invaluit, ut ſi agatur de impedimentis dirimentibus, ſoli Pontifici diſpenſatio competat.* Quartum ſiſto Gerbaſium, inſignem e Sorbona Theologum: qui in Tractatu *de Poteſtate Eccleſiæ & Principum ſuper impedimenta Matrimonii*, hæc ſcribit gallice, quæ ego latine exprimo fere ad verbum. Ac primum quidem illud: *Nullus locus eſt in Jure Canonico, qui facultatem diſpenſandi circa gradus vetitos ita Pontifici reſervet, ut Epiſcopi excludantur. Et certe quæ poteſt eſſe ratio, cur Epiſcopis non licet diſpenſare in his caſibus? imo cur ipſis movenda lis eſt ea de re, maxime ubi partes inopia laborent, vel nimia ſit locorum diſtantia, vel graves cauſæ urgeant?* Tum illud inferius: *Nullæ extant Eccleſiaſticæ leges, quæ Diſpenſationes impedimentorum dirimentium ſoli Papæ reſervent: nullæ item quæ liquido deſignent, utri competat hæc facultas. Itaque unus neceſſario nobis conſulendus eſt uſus vel conſuetudo, quæ in Eccleſiis obtineat.*

Vaneſp. Tom. I. p. 414.

Gerbaſ. p. 412.

Ibid. p. 532.

II. Quintum denique fidejuſſorem ſiſto Thomaſſinum, Presbyterum & Theologum Congregationis Oratorii Pariſienſis, quo nemo opinor, per totam Galliam, imo & fortaſſis per totam Eccleſiam extitit, qui in Eccleſiaſticæ antiquitatis adyta vel diligentius vel felicius penetrarit. Is vero Parte altera incomparabilis

Ope-

Operis *de Diſciplina circa Beneficia*, a Capite XXIV. Libri III. uſque ad XXVIII. duo demonſtranda ſuſcipit. Primum: per decem vel undecim ſæcula ſuam Epiſcopis auctoritatem conſtitiſſe, ut pro ſubditorum commodo omnia diſpenſationum genera exercerent. Nam Capite XXVI. num. 1. ubi de Diſpenſationibus ſæculi octavi, noni, & decimi agit, ſic ſcribit Thomaſſinus: *Conſtabit illa eadem diſpenſationum doctrina temporibus Caroli Magni & regnatricis ejus familiæ, uſos videlicet eſſe in diſpenſando priſca ſua poteſtate Epiſcopos, tum ſingulos, tum ſynodice congregatos.* Deinde num. 16. monet, ætate SS. Taraſii & Nicephori Conſtantinopolitanorum Archiepiſcoporum dubitaſſe neminem, quin uterque omnium cauſarum & diſpenſationum matrimonialium Judex eſſet legitimus. Capite vero XXVII. num. 2. ubi de Diſpenſationibus agit ab anno milleſimo uſque ad milleſimum ducenteſimum: *Duo quædam*, inquit, *propoſuimus, quæ nobis hic operoſius illuſtranda ſint & munienda. Primum caput eſt ipſa diſpenſandi poteſtas, quæ inſerta & concreata quodammodo eſt Epiſcopali dignitati.* Mox num. 3. animadvertit, ſæculo undecimo in ea adhuc opinione fuiſſe Polonos Proceres & Epiſcopos, ut crederent, Caſimiro Principi, licet dudum apud Cluniacenſes caſtitatem profeſſo, ibidemque Diacono ordinato, alia ad uxorem ducendam diſpenſatione opus non eſſe, quam Præſulum Ordinariorum. Numero vero 6. Eduardum Angliæ Regem voto obſtrictum adeundi Romam, a Leone Papa IX. relaxationem eſflagitaſſe, quam obtinere ipſe ab Epiſcopis potuiſſet.

Tom. II. p. 322.

Ibid. p. 327.

Alterum illud a Thomaſſino demonſtratum hujuſmodi eſt: quod Sedi Apoſtolicæ ſenſim reſervari cœperint hæ & aliæ diſpenſationes, profectum id eſſe a conſenſu Epiſcoporum; qui

ſive

ſive obſervantiæ ergo in Supremum Paſtorem, ſive quod ſubditis Romam adire juſſis, ipſa itinerum difficultate melius vim ſuam Canonibus conſtituram arbitrarentur; paulatim a ſe dimittere cœperunt auctoritatem, qua diu uſi fuerant, & uni Apoſtolicæ Sedi credere relaxationes impedimentorum matrimonialium, votorum, & aliarum rerum. Capite XXVI. num. 3. *Eo*, inquit, *quaſi inſtinctu afflatuque Chriſtianæ pietatis Epiſcopi religioſius in dies & ambitioſius conſulendum ſibi exiſtimabant* Chriſti *in terris Vicarium, Petrique Succeſſorem: atque ita ipſimet inopini & imprudentes innovationis in Diſciplina ſacra auctores erant*. Capite vero XXVII. numero 3. poſtquam teſtimoniis Concilii Lemovicenſis anno MXXXII. celebrati probaſſet, Romani Pontificis judicio difficillimas quaſque abſolutiones & diſpenſationes ſua ſponte commiſiſſe Epiſcopos: his demum orationem concludit: *Cum multis aliis rationibus & cauſis, tum hac potiſſimum defluxit in manus Romani Pontificis uſus concedendarum diſpenſationum, quo ultro ſe abſtinebant Epiſcopi*. Rurſus numero 5. ubi Yvonis Carnotenſis narratione oſtendit, a quodam Epiſcopo conſultam fuiſſe Apoſtolicam Sedem de eo, qui conſanguineam ſibi in matrimonium copularat: ita ſcribere pergit. *Ea Pontificum conſtantia tuendi Canonum rigoris reliquos Epiſcopos ſua ſponte flexibiliores alliciebat, ut in poſterum mallent a Pontifice trutinari diſpenſationes, eas etiam quas ipſi hactenus conceſſiſſent*. Numero autem 12. ſuſpicatur idem Thomaſſinus, ſæculo demum XI. invaleſcere cœpiſſe illud Axioma, non poſſe ab Epiſcopis relaxari Decreta Conciliorum Generalium, vel Romanorum Pontificum Leges.

Ibid. p. 322.

Ibid. p. 327.

Ibid. p. 228.

Ibid. p. 329.

III. Quo magis magiſque pateſcat, ab Epiſcoporum conſenſu initium duxiſſe Reſervationes Pontificias: legimus in Concilio Londinenſi

de

de anno MCXLIII. *Tenuit Vintonienſis Epiſcopus Concilium apud Londoniam, Clericis pro tempore neceſſarium: In quo ſancitum eſt, ne aliquis qui Clerico violenter manus injecerit, ab aliquo poſſit abſolvi, quam ab ipſo Papa, & in præſentia ipſius.* Legimus in vita S. Laurentii Dublinenſis Archiepiſcopi an. circiter MCLXXIX. *Omnes tam Subdiaconos, quam Diaconos vel Presbyteros, ſi incontinentiæ convicti eſſent, licet tamquam Archiepiſcopus poſſet, tamen nolebat abſolvere; ſed ad Romanam Eccleſiam a Summo Pontifice abſolvendos deſtinabat.* Legimus apud Yvonem Carnotenſem Epiſtula CXXXV. multatum ab eo prius Canonica pœnitentia militem quendam, qui Monachum percuſſerat, Romam poſtea ire juſſum, ut ipſo itineris labore & ſuum expiaret ſcelus, & abſolutionem a Sede Apoſtolica promereret: *Hujuſmodi precibus aſſenſum dare noluimus, timentes ne & ipſum & multos alios tam facili indulgentia in diſcrimen adduceremus: Reſervantes itaque hanc indulgentiam Apoſtolicæ moderationi, ad Apoſtolorum enim limina direximus: quatenus & fatigatione itineris hujus peccatum ſuum diluat, & apud pietatis veſtræ viſcera miſericordiam quam Deus vobis inſpiraverit, inveniat.* Legimus in Concilio Rothomagenſi de an. MCLXXXIX. Canone XXVI. ubi de illis agitur, qui in Eccleſiam perjuri erant: *Ad eorum majorem confuſionem ad Sedem Apoſtolicam tranſmittantur.* Legimus in Concilio Weſtmonaſterienſi in Anglia celebrato anno MCXXXVIII. Canone VII. *Clericos a non ſuis Epiſcopis abſque literis proprii Epiſcopi ordinatos, a ſuſpectorum officiis ordinum inhibemus, ſolique Romano Pontifici eorundem plenaria reſtitutio reſervetur, niſi religionis ſuſceperint habitum.*

Tom. I. Concil. Angl. p. 422.

Apud Baronii an. 1179. n. 14.

Yvo Tomo II. p. 59.

Concil. To. XVIII. p. 682. edit. Colet.

Concil. Angl. To. I. p. 415.

IV. Contra ſæculo XIII. quo Romani Pontifices ſibi jam uſurpare cœperant diſpenſationes tum irregularitatis vitio natalium contra-

ctæ, tum aliarum: adfirmabant & proteſtabantur in ſuis Conſtitutionibus Synodalibus Epiſcopi Anglici, jus ſibi eſſe diſpenſationum harum concedendarum. Quod Thomaſſinus demonſtrat ex duobus Conciliis illorum temporum, ubi ita loquuntur Epiſcopi: *Cum talibus diſpenſare poſſumus.*

Thomaſ. Tom. I. P. II. p. 333.

S. Dunſtanus Archiepiſcopus Cantuarienſis, cum Papa ei præcipiſſet excommunicatione abſolvere eum, quem ipſe inceſti cauſa ab Eccleſia prohibuerat: *Equidem*, inquit, *cum illum ſui delicti pœnitudinem agere videro, præceptis Domini Papæ libens parebo.* Simile eadem tempeſtate Romano Pontifici reſponſum dedit Epiſcopus quidam Engoliſmenſis, quod in actis legitur Concilii Lemovicenſis de an. MXXXII. *Vice verſa quod ego poſtulare debueram ab Apoſtolico, Apoſtolicus poſtulat a me. Non credere poſſum hoc mandatum ab eo exortum: & hoc tibi nihil utile eſt. Et donec a me, vel hujus Sedis Archidiacono, me jubente, accipias pœnitentiam, permane in excommunicatione. Et ejecit eum de Eccleſia.*

Surius 19. Maii. Tom. III. p. 322.

Concil. Tom. XI. p. 1250. edit. Coleti.

Robertus Epiſcopus Lincolnienſis in Anglia, vir ſanctitate & doctrina ſæculo decimo tertio celeberrimus, cum ab eo Summus Pontifex Innocentius IV. Præbendam exigeret (*a*), Italo Clerico conferendam, arbitratus id quod erat, novo illo proviſionum genere ſancta Epiſcoporum jura violari, aperte proteſtatus eſt,

nullo

(*a*) Non declarat Matthæus Pariſienſis, Innocentii mandatum fuiſſe de Præbenda Italo Clerico conferenda. Declarat tamen Henricus Leyceſtrenſis Hiſtoricus & ipſe perantiquus. Libro II. *de Eventibus Angliæ*, Cap. 36. inter Scriptores Rogerii Twyſdeni pag. 2436. ubi ita habet: *Hoc anno obiit S. Robertus Epiſcopus Lincolnienſis, qui ad Innocentium Papam miſit Epiſtolam ſatis tonantem: pro eo quod Eccleſias An-*

nullo modo ſibi licere exequi Pontificium mandatum. *Propter hoc*, inquit, *his quæ in prædicta Littera continentur, filialiter & obedienter non obedio, contradico, rebello*. Ea vero ratione ſe motum adfirmabat: *Breviter recolligens dico: Apoſtolicæ Sedis ſanctitas non poteſt niſi quæ in ædificationem ſunt, & non in deſtructionem. Hæ autem proviſiones non ſunt in ædificationem, ſed in manifeſtiſſimam deſtructionem*. Hæc Matthæus Pariſienſis ejuſdem ætatis Scriptor memoriæ prodidit in Hiſtoria Anglorum ad annum MCCLIII. Qui & illud narrat ad annum MCCXXVI. Gregorio Papæ IX. duplicem Præbendam e ſingulis Eccleſiis Cathedralibus efflagitanti, impigre obſtitiſſe cunctos Galliæ Præſules in Bituricenſi Conventu. Nam Legatum Pontificis obteſtati ſunt, nequaquam ſe hujuſmodi Reſervationibus adſenſum præſtituros, niſi prius conſtitiſſet, iiſdem ceteros quoque aliorum Regnorum Antiſtites acquieſcere. Quo audito reſpondit Legatus; *Se nihil amplius ſuper hæc attentaturum, donec per regna alia Prælati conſcii fuiſſent*.

Matth. de Pariſius in Hiſt. Angl. p. 871.

Ibid. p. 329. & 330.

Nemo etiam ignorat, quam ſtrenue a tempore S. Ludovici IX. his Beneficiorum Reſervationibus a Sede Apoſtolica intentatis reſtiterint ceteri Galliæ Reges; moti videlicet querimoniis Epiſcoporum, uſurpata a Romanis Pontificibus ſua jura quiritantium? Legantur Petrus de Marca Lib. IV. Cap. 9. & Franciſcus

Anglicanas indebitis & inſolitis exactionibus gravare videretur, & quia nepotulo ſuo Papa contuliſſet Canonicatum cum proxima Præbenda vacatura in Eccleſia Lincolnienſi, quem tamen Robertus admittere noluit, &c. De eodem Roberto in Sanctorum numerum referendo nobilis extat Epiſtula Cleri Londinenſis ad Clementem Papam V. anno MCCCVII. Tom. II. Concil. Angliæ pag. 287.

ſcus Duarenus Libro V. *de Sacris Eccleſiaſticis Miniſteriis*, Cap. 8. & 11.

V. Sextus Principii noſtri fidejuſſor extremo loco prodeat, clariſſimus apud Gallos Juriſconſultus Petrus Rebuffus, cujus hæc verba ſunt in Praxi Beneficiorum, Titulo *de Diſpenſatione ad plura*, numero 32. *Ignari Epiſcopi, neſcientes quam pulchra Jus Canonicum eis tribuiſſet privilegia, paulatim ex conſuetudine & ſtylo Curiæ Romanæ derogari illis paſſi ſunt, & jus ſuum neglexerunt. Veruntamen adhuc jure poſſent ex præfata neceſſitatis cauſa diſpenſare.*

Rebuff. p. 183.

Hic Rebuffus adſcribit ignorantiæ Epiſcoporum, quod tam multis Papæ Reſervationibus acquieverint. Certum nihilominus eſt, non omnes per ignorantiam acquieviſſe: ſed vel per œconomiam, vel ſpontaneæ obſervantiæ ergo in Apoſtolicam Sedem. Sunt de hoc argumento in primis illuſtria teſtimonia quatuor, quæ mox refero. Primum eſt Synodi Triburienſis anno DCCCXCV. ex Germanis Epiſcopis duobus & viginti collectæ. Canone XXX. ita ait: *In memoriam B. Petri Apoſtoli honoremus Sanctam Romanam & Apoſtolicam Sedem, &c. Quare ſervanda eſt cum manſuetudine humilitas, ut licet vix ferendum ab illa Sancta Sede imponatur jugum, conferamus, & pia devotione toleremus*. Alterum eſt S. Fulberti Epiſcopi Carnotenſis, qui in Epiſtula XLVII. Turonenſem Archiepiſcopum adhortatur, (huic Papa ſine legitima cauſa negabat Pallium) ut bono animo injuriam ferat, & meliora tempora expectet. Cujus dicti hanc rationem e veſtigio ſubdit. *Continentur enim quædam reverendi nobis in Privilegiis Romanæ Eccleſiæ, quæ propter negligentiam noſtram non facile inveniuntur in armariis noſtris*. Acuta hæc quidem & modeſta ironia fuit, qua ſignificavit Fulbertus, multa de illis Privilegiis, quibus Sedes Apoſtoli-

Concil. Tom. XI. p. 644.

Bibl. PP. To. XVIII. p. 17.

ſtolica gloriabatur, alio fundamento haud niti, quam conniventia & tolerantia Epiſcoporum. Tertium eſt Hildeberti Cenomanenſis Epiſcopi, qui in Epiſtula XLVII. e nupera editione Patris Beaugendrii, Papam adloquens ſic cum eo expoſtulat: *Pro obedientia veſtra adverſariis meis factus ſum tota die in deriſum, tamquam qui omnino amiſerim diſponendi de commiſſa mihi Eccleſia facultatem*. Et mox: *Canonicam & traditam omnibus Epiſcopis poteſtatem abſtuliſtis*. Quartum eſt S. Bernardi Claravallenſis, qui ad Eugenium Papam ſcribens ſic ait Libro III. Cap. 4. *Murmur loquor & querimoniam Eccleſiarum. Truncari ſe clamitant ac demembrari. Subtrahuntur Abbates Epiſcopis, Epiſcopi Archiepiſcopis*, &c.

Digitized by Google

PRINCIPIUM V.

Invitos Epiſcopos Papa ſpoliare non poterat poteſtate moderandi impedimenta Matrimonii & ceteras Leges Canonicas.

Exempla antiquarum Eccleſiarum Aſiæ, Africæ, & Galliæ: Teſtimonia SS. Zozimi, Gelaſii, Gregorii Magni, & veterum aliorum Pontificum. Doctrina Auguſtini & ceterorum Patrum, ab antiquis Miſſalibus Romanæ Eccleſiæ confirmata: ſubjectum proximum & immediatum, in quo veluti fundamento tota reſideat juriſdictio Eccleſiaſtica, Eccleſiam eſſe, non Papam.

Excutiuntur Decreta Generalium duorum Conciliorum, Conſtantienſis & Florentini: demonſtraturque, Conſtantienſia illa Seſſionis quartæ & quintæ, etiam tum cum ad implicandos Baſileenſes Patres tam multa eſſet molitus Eugenius IV. per totam Eccleſiam habita eſſe tamquam Regulas quaſdam moderatrices totius Eccleſiaſticæ juriſdictionis.

Teſtimonia Cardinalium Zabarellæ, Alliacenſis, & Cuſani. Alia item Joannis Gerſonis, Alphonſi Toſtati Epiſcopi Abulenſis, & duorum aliorum Hiſpanorum Baſileenſis Concilii Theologorum, nempe Joannis de Segovia, & Andreæ Eſcobarii. Reſpondetur Bullæ, Paſtor æternus, *Leonis X.*

PROBATIONES.

I. Quidquid virium ineſt huic Principio, id ſequenti Syllogiſmo continetur. Invitos Epiſcopos Papa ſpoliare non poterat ea poteſtate, quæ & propria eſt Ordinis Epiſcopalis, & in cujus poſſeſſione per multa ſæcula perſtitere Epiſcopi. Atqui poteſtas moderandi impedimenta Matrimonii, ceteraſque Le-

Leges Canonicas, & propria eſt Ordinis Epiſcopalis, & in ejuſdem poſſeſſione per multa ſæcula perſtitere Epiſcopi: Ergo invitos Epiſcopos Papa ſpoliare non poterat poteſtate moderandi impedimenta Matrimonii ceteraſque leges Canonicas.

Minor propoſitio demonſtrata eſt Principiis antecedentibus: nec de illius veritate ullus, quod ſciam, Theologorum dubitat. Major dura quidem & difficilis tironibus videbitur. Sed illam ego confirmare pergo conſtanti traditione totius Eccleſiaſticæ antiquitatis, teſtimoniis antiquorum Conciliorum & Sanctorum Patrum, doctriniſque ipſorum Pontificum Romanorum.

II. Sub finem ſecundi ſæculi, licet Romana Eccleſia cum Orientalibus pleriſque ſacrum Paſchatis feſtum celebrare ſoleret illo Solis die, qui Lunam Martii decimam quartam proxime ſequebatur: Eccleſiæ tamen Aſianæ Diœceſeos, cujus caput Epheſus erat, Paſcha ipſo Lunæ die celebrabant more Judæorum. Cum hanc de graviſſimo Diſciplinæ capite Eccleſiarum diſcordiam ferre non poſſet S. Victor Romanus Pontifex: litteris ad Aſianos Epiſcopos datis imperat, ut niſi vellent a Romana communione excidere, probatum ceteris Eccleſiis ritum amplecterentur. Cui Polycrates Epheſinus reſpondit: ſe cum Paſcha ipſo Judæorum die celebrabat, auctore B. Joanne Apoſtolo celebrare, qui in Epheſinam Diœceſim conſuetudinem illam invexerit, quam & religioſe deinde tenuerint ſancti Prædeceſſores ſui Polycarpus, Thraſeas, Papyrius, & Melito. Nullis igitur minis ſe ab hac conſuetudine dimotum iri. *Ego, fratres, quinque & ſexaginta annos natus, nihil moveor iis, quæ nobis ad formidinem intentantur.* Ita Euſebius refert Libro V. Capite 24. Ubi & illud memoriæ prodit, quamplurimos ex iis Antiſtitibus, qui a Romano ritu *Euſeb. p. 156. edit. Valeſ.*

ritu erant, graviſſimis ad Summum Pontificem ſcriptis litteris acerbius cum eo expoſtulaſſe, quod tam multas tamque nobiles Provincias fide ſibi cohærentes, & in re tantum Diſciplinæ diſcordantes, a Chriſtianorum cœtu excindere intentaret. Horum unus S. Irenæus fuit Lugdunenſis in Gallia Epiſcopus, qui & illud in Epiſtula ſua ad Victorem narrat, B. Polycarpo tunc Romæ commoranti numquam S. Pontificem Anicetum perſuadere potuiſſe, ut reverſus in Aſiam morem ibi amplecteretur & obſervaret, quem tenebant Occidentales. *Verum hæc non omnibus placebant Epiſcopis. Extant etiamnum eorum litteræ, quibus Victorem acerbius perſtringunt... Ex quorum numero Irenæus, &c.* Idem teſtatur Socrates Libro V. Cap. 22. ubi ita habet: *Victor immodico iracundiæ ſucceuſus æſtu, iis qui in Aſia erant, excommunicationis libellum miſit. Quo facto Irenæus Victorem per Epiſtulam graviter perſtrinxit, acriorem ejus impetum reprehendens.*

Socrates p. 233. ejuſdem edit.

Revera Decreto Romani Pontificis deterreri minime potuere Orientales Eccleſiæ bene multæ, quominus ſibi cum Aſianis de celebrando Paſchate conveniret. Ex earum numero fuiſſe Syriam, Ciliciam, & Meſopotamiam, indicat S. Athanaſius in Libro *de Synodis*, num. 5. Neutras vero pro ſchiſmaticis umquam habuit aliquis, donec Generali lege a Nicæna Œcumenica Synodo conſtitutum eſt, ut Romanum ritum omnes ubique Eccleſiæ amplecterentur. In ea ergo ſententia erant Epiſcopi Aſiani, Syri, Cilices, & Meſopotamienſes; ut quando nullum ea de re univerſalis Eccleſiæ Decretum extabat, crederent Romano Pontifici nullum jus eſſe ad exturbandos eos antiqua conſuetudine & poſſeſſione, nedum ad plectendos anathemate. Si ergo ita ſe res habet, ubi de particulari aliqua conſuetudine agitur, eaque privata

Athan. p. 719. edit. Monfaucon.

vata hujus vel illius Provinciæ: quid, quæſo, ſentire debemus de generali conſuetudine ubique recepta per Eccleſiam, & quæ ab univerſo Epiſcoporum Corpore uſurparetur?

III. Moribus receptum erat in Africa & Cappadocia, ut qui ab hæreſi ad Eccleſiæ ſinum revertebantur, iterum baptizari ſolerent. Utriſque per litteras ſignificavit S.Stephanus Papa, & quidem ſub anathematis pœna, ut in poſterum ab illa rebaptizandi conſuetudine omnino abſtinerent. Quæſtio vertebatur de Diſciplinæ capite ſane graviſſimo; & quod ſummam ipſam Catholici dogmatis adtingere videbatur. Ceteræ omnes Provinciæ Chriſtianæ Afris & Cappadocibus adverſabantur: Romanus Pontifex, quæ ſua mens eſſet, ea rerum & verborum ſerie declaraverat, quæ ſupremam quandam & decretoriam auctoritatem præ ſe ferret. Quid S.Cyprianus Carthaginenſis? quid S. Firmilianus Cæſareenſis? Num Romano Decreto paruere? Minime. Imo vero receptum in Eccleſiis ſuis morem retinuere, & collectis earum Synodis ſtatuere, Romanæ definitioni adſentiendum non eſſe. Omnibus notæ ſunt ea de re Epiſtulæ Cypriani ad Pompejum & Firmiliani ad Cyprianum: nempe ſeptuageſima quarta, & ſeptuageſima quinta inter Cyprianicas: ubi acerbe in Stephanum Papam uterque invehitur. Hic unum illud monebo: poſt acceptam definitionem & præceptum Papæ, Synodum octoginta Epiſcoporum Suffraganeorum collegiſſe Cyprianum: ubi ſingulos adhortatur, ut quid de Rebaptizatione ſentirent, candide & aperte profiterentur; orationem ſuam his demum verbis concluſit: liquido conſtare apud omnes, in his quæ pertinebant ad internum regimen & privatas conſuetudines ſingularum Parœciarum, nullum eſſe in Eccleſia Dei Epiſcopum Epiſcoporum; nullum qui collegas ſuos *Cyprian. p.314. & 324. Fello.*

minis

minis poſſet adigere ad ea abjicienda, quæ ipſi a majoribus acceperant: *Neque enim* (inquit) *quiſquam noſtrum Epiſcopum ſe Epiſcoporum conſtituit, aut tyrannico terrore ceteros adigit ad obſequium: quando habeat omnis Epiſcopus pro licentia libertatis & poteſtatis ſuæ arbitrium liberum: tamque judicari ab alio non poſſit, quam nec ipſe poteſt judicare*. His non oppugnabat Cyprianus Jura Romani Primatus, quæ ipſe tum in Libro *de Unitate Eccleſiæ*, tum in aliis Operibus egregie ex Scripturis demonſtraverat. Nec inficiabatur Cyprianus, unum & potiſſimum ex his Juribus eſſe, ut ad Petri Succeſſorem pertineret cura & adminiſtratio totius Eccleſiæ; eidemque ſuprema auctoritas ineſſet ad imperandam fidem & obſervationem omnium illarum rerum; cum ad dogma tum ad Diſciplinam ſpectantium, in quas Capiti ſuo adhærens jam legitime & ſolemniter conſpiraſſet totum Corpus Epiſcoporum. Ejus autem generis Cypriano non videbatur eſſe tunc temporis conſuetudo non rebaptizandi. Ergo tum Cyprianus ipſe, tum Firmilianus, tum ceteri collegæ judicabant; peſſime abuti Primatus ſui auctoritate Romanum Pontificem, cum eos ſuarum Eccleſiarum diſciplinam cogebat abjicere: ac proinde talia imperanti parendum non eſſe, nec Romanarum minarum ullam rationem habendam.

Ibid. p. 158.

In Libris *de Baptiſmo contra Donatiſtas* hoc S. Cypriani factum centies memorat B. Auguſtinus. Nuſquam vero hanc illius inobedientiam pro ſchiſmatica habuit, ſed ubique licitam prædicavit: eo quod nondum ab ullo Concilio Generali quæſtio illa profligata eſſet, quemadmodum poſtea fuit; nec Cypriano ipſi auctoritas alia objiceretur, quam conſuetudo Eccleſiæ Romanæ. Ac de ſe ipſo quidem fatetur Auguſtinus, non alia ſe, ſi tunc temporis vi-

xiſſet,

xiſſet, erga Stephanum agendi ratione uſurum fuiſſe, quam uſus fuerit Cyprianus. Libro II. Cap. 4. *Neque nos tale aliquid auderemus adſeverere, quale Stephanus juſſit, niſi Eccleſiæ Catholicæ concordiſſima auctoritate firmati; cui & ipſe Cyprianus ſine dubio cederet, ſi jam illo tempore veritas eliquata & declarata per plenarium Concilium ſolidaretur.* Auguſt. Tom. IX. p. 98. Capite 7. *Nondum erat diligenter illa Baptiſmi quæſtio pertractata.* Ibid. p. 212. Capite 8. *Tunc non extiterant, niſi qui Cypriano conſuetudinem opponerent: defenſiones autem ipſius conſuetudinis non tales adferrent, quibus illa talis anima moveretur.* Capite 9. *Nondum univerſale Concilium factum erat.* Ibid. p. 104 Cum de Cypriani ratione tam ſæpe verba fecerit Auguſtinus: nullius unquam peccati reum dixit, niſi leviſſimi: nempe quod in Stephanum quædam paullo commotior ſcripſerit. Perpetuo autem agnovit & adfirmavit Auguſtinus, etiam tum cum Pontificis Decreto obluctabatur Cyprianus, minime illum ab unitate Catholica excidiſſe (a).

IV. Legibus Diſciplinæ apud Afros receptæ, quæ Canone CXXI. Africani Codicis a Juſtello editi continetur, non licebat Presbyteris, [illegible] Dia-

---

(a) Quanto adcuratius lego ſuperiora teſtimonia Auguſtini, tanto obfirmatius mihi perſuadeo; de poteſtate & infallibilitate Romani Pontificis longe aliam mentem fuiſſe Auguſtino Cyprianoque, quam nunc eſt Romanis Theologis. Nempe rebaptizari qui ab hæreſi venerant, ſub anathematis pœna vetuerat Stephanus. Nihilominus Stephano repugnat Cyprianus: Cypriano repugnanti patrocinatur Auguſtinus, atque ea de cauſa patrocinatur, quod nondum a Generali Concilio deciſa eſſet illa quæſtio. Ergo in ea ſententia uterque erat, Romano Pontifice ſuperius eſſe Concilium Generale, nec eſſe de rebus fidei irreformabile judicium Romanæ Cathedræ, niſi Eccleſiæ conſenſus acceſſerit. Vide Illuſtriſſimum Boſſuetum in Diſſertatione Prævia §. LXX. & ſeqq.

Diaconis, ceteriſque inferioris Ordinis Clericis, a Judiciis Epiſcoporum vel Synodorum Provincialium ad Romanum Pontificem provocare; ſed omnes illorum cauſæ intra Provincias terminari debebant. *Presbyteri, Diaconi, vel ceteri inferiores Clerici non provocent niſi ad Africana Concilia, vel ad Primates Provinciarum ſuarum. Ad Tranſmarina autem qui putaverit appellandum, a nullo intra Africam in communionem ſuſcipiatur.* Anno CCCCXVIII. congregatis in ſexto Carthaginenſi Concilio pluſquam ducentis Epiſcopis, in quibus erant S. Aurelius Archiepiſcopus & Primas Carthaginenſis, S. Auguſtinus Hipponenſis, & S. Alypius Tagaſtenſis: certa quædam novæ Diſciplinæ capita miſſi illuc a B. Zozimo Papâ Legati propoſuere, ab Africis Eccleſiis obſervanda, tamquam quæ eſſent ab Nicæna Generali Synodo conſtituta. Erant autem revera non Nicæni, ſed Sardicenſes Canones, qui Afris ipſis vel ignoti erant, vel in uſu non erant. Ex his unus ille proferebatur, quo erat decretum, ut liceret deinceps Africis Clericis contra Synodos Provinciarum ſuarum Judicium Sedis Apoſtolicæ adpellare. Cum huic & aliis Diſciplinæ capitibus a Zozimo propoſitis contraria prorſus exiſteret Afrorum conſuetudo; (nam ne ipſis quidem Epiſcopis licebat ad Romanam Sedem provocare, id quod Zozimus quoque abrogatum vellet) Pontificiis Legatis mox reclamarunt Carthaginenſes Epiſcopi, proteſtantes Zozimi Canones ſe eatenus tantum admiſſuros, quatenus a Nicæna Synodo profectos conſtitiſſet. Quandoquidem vero ejuſmodi Canones in Africis Exemplaribus Concilii Nicæni deſiderarentur, poſtulare ſe, ut Conſtantinopolim & Alexandriam mitterentur, qui Nicænorum Canonum & numerum & argumentum e Græcis codicibus adferrent. Audiamus ſententiam S. Alypii: *Aly-*

Collectio Juſtel. Tom. I. p. 169.

Alypius Epiſcopus Eccleſiæ Tagaſtenſis , Legatus Juſtell. p.
Provinciæ Numidiæ dixit : De hoc id nos ſerva- 142. &
turos profitemur , quod in Nicæno Concilio conſti- 143.
tum eſt . Adhuc tamen me movet , quod cum in-
ſpiceremus Exemplaria Synodi Nicænæ , iſta ibi
minime invenimus . Audiamus & S. Auguſtini :
Auguſtinus Epiſcopus Eccleſiæ Hipponenſis dixit :
Et hoc nos ſervaturos profitemur , ſalva diligen-
tiore inquiſitione Concilii Nicæni .

Ex tota hac narratione de ipſis Actis fideli-
ter excerpta liquido colligitur , Africanis Pa-
tribus eam mentem fuiſſe , ut exiſtimarent ,
Diſciplinæ mutationem ſibi Papam imperare
non poſſe , niſi objecta auctoritate Concilii Ge-
neralis ubique recepti . Confirmatur inde hæc
doctrina , quod ubi Africani Patres intellexe-
re , in authenticis Exemplaribus Concilii Ni-
cæni e Conſtantinopoli & Alexandria tandem
delatis minime inveniri Canones Zozimi ; li-
beratos ſe hoc ipſo parendi neceſſitate arbi-
trantes , ad Cæleſtinum Romanum Pontificem
(nam Zozimo & Bonifacio interea vita fun-
ctis is non ita pridem ſucceſſerat) nobilem
illam Epiſtulam miſere , ubi inter alia hæc
monebant : *Presbyterorum quoque & ſequentium* Juſtell. p.
Clericorum improba refugia , ſicut te dignum eſt , 174.
revellat ſanctitas tua , quia & nulla Patrum de-
finitione hoc Eccleſiæ derogatum eſt Africanæ : &
Decreta Nicæna , ſive inferioris gradus Clericos ,
ſive ipſos Epiſcopos ſuis Metropolitanis ap[…]ime
commiſerunt : prudentiſſime enim juſtiſſimeque vi-
derunt , quæcumque negotia in ſuis locis , ubi orta
ſunt , finienda . Nec unicuique Provinciæ gratiam
Sancti Spiritus defuturam : maxime quia unicui-
que conceſſum eſt , ſi judicio offenſus fuerit cogni-
torum , ad Concilia ſuæ Provinciæ vel etiam uni-
verſale provocare . Quin & viventi adhuc Boni-
facio , cum adferendos ex Oriente Codices Con-
cilii Nicæni , Africanis ſuis per omnia concor-

des inventum iri crederent & ſperarent iidem Epiſcopi, aliam Epiſtulam Papæ ipſi ſcripſerant paullo ante, in qua ipſum ita adloquuntur: *Credimus adjuvante miſericordia Dei noſtri, quod tua ſanctitate Romanæ Eccleſiæ præſidente, non ſumus jam iſtum typhum paſſuri*. Nempe ambitionem & ſuperbiam vocant hanc Romanorum Pontificum contentionem: id enim temporibus illis ſignificabat vox *typhus*. Legatur Boſſuetus Lib. XI. Cap. 14. & Anonymus e Sorbona Scriptor Libri *De Antiquis & Majoribus Epiſcoporum Cauſis*, Capite 43.

V. Hæc Africanorum Patrum conſtantia adverſus Zozimum Papam quinto ſæculo, cauſa mihi eſt recordandi ejus, qua in Hadrianum Papam II. uſi ſunt Galli Epiſcopi ſæculo nono, cum Romanis Reſervationibus viam jam late muniviſſent ſpuriæ Decretales Iſidori Mercatoris. Anno DCCCLXXI. ab Epiſcopis triginta Provinciæ Remenſis in Concilio Duziacenſi adgregatis, Canonice depoſitus fuerat Hincmarus Epiſcopus Laudunenſis propterea, quod multa eaque graviſſima in Canones & Civiles leges peccaſſe convictus eſſet. Cum Romanus Pontifex (cujus auctoritatem præter leges implorarat Hincmarus) & reum ipſum & cauſam rei ad ſe Romam evocare contenderet: Epiſcopi ad eum graviſſimam atque longiſſimam Epiſtulam dedere, quamplurimis teſtimoniis munitam Conciliorum, Paparum, Imperatorum, atque ipſorum etiam Africanorum, quorum ſupra meminimus: ex quibus patebat, quæ Judiciorum forma in Eccleſiaſticis Cauſis adhibenda eſſet, & quam ipſi etiam adhibuiſſent. Nobilis hujus antiquique Monumenti nonniſi exiguiſſimam partem ediderat Sirmondus in Collectione Conciliorum Galliæ: nihil enim amplius ævo Sirmondi notum erat, quam ipſum fere exordium Epiſtulæ. Qui Supple-

Suppl. Concil. Gall. p. 258.

plementum Conciliorum eorundem adornavit Petrus Dellalandus, eumque ſecutus Joannes Gerbaſius ad calcem Libri ſui *de Cauſis Majoribus*, eam licet mancam adhuc & mutilam ſexies tamen fere ampliorem dedit.

Summa hujus Epiſtulæ eſt: in deponendo Hincmaro Laudunenſi eam a ſe agendi rationem fuiſſe adhibitam, quam pro Cauſis Epiſcoporum præſcribunt antiqui Canones, ipſique Romani Pontifices, atque Imperatoriæ Conſtitutiones. Hanc autem in eo poſitam eſſe, ut Epiſcoporum Cauſæ non extra, ſed intra Provincias terminentur. Quod cum tot antiquis Monumentis firmatum ſit, mirari ſe atque obſtupeſcere, Romano Pontifici id uſque adeo non probari, ut potius tot graviſſimorum criminum convicto reo patrocinetur, ſententiamque in eum tam canonice & legitime pronuntiatam reſcindere velit. *Veniens ad nos venerabilis frater Actardus tradidit nobis Epiſtulam a veſtra Paternitate filiolitati noſtræ directam, quam cum in conventu noſtro fecimus recenſeri, quædam in ea invenimus, quæ ſtuporem mentibus noſtris non mediocriter induxerunt, feceruntque nos non modicum dubitare, utrum aliter putaremus, an illa ita eſſent poſita, quemadmodum perſonabant, &c.* Suppl. Concil. Gall. p. 274.

VI. Sub idem tempus ac de eodem quidem argumento Epiſtulam aliam ad Papam ſcripſit Carolus Calvus Imperator, quam dictaſſe creditur Hincmarus Archiepiſcopus Remenſis, Duziacenſis Concilii Præſes. In qua inter alia teſtimonia e Conciliis Patribusque petita, quibus nullam vim habere probantur vel ipſius Apoſtolicæ Sedis leges, quæ receptis per totam Eccleſiam Canonibus repugnent: illuſtre & illud S. Leonis Magni dictum laudat e Sermone III. Anniverſarii Ordinationis ſuæ: *Manet ergo Petri privilegium, ubi ex ipſius æquitate fertur judicium*. Atque hinc colligit ſapientiſſimus Archi-

Digitized by Google

Archipræſul, quotieſcumque aliquid agit Petri Succeſſor, vel alius quiſpiam Antiſtes, quod receptis ubique legibus adverſetur; eo ipſo deficere privilegium vel prærogativam Primatus, atque enervia prorſus reddi illius juſſa. *Qua ſententia conſtat, quia non manet Petri privilegium, ubi ex ipſius æquitate non fertur judicium. Et quia ubicumque ſine ulla exceptione non manet Petri privilegium, ubi ex ipſius æquitate non fertur judicium: obaudiemus juſſum, vel recipiemus judicium, quod non ex Petri æquitate prolatum, ac per hoc ipſius privilegio fuerit deſtitutum?* Mox converſus ad Papam: *Ergo*, inquit, *jubete & judicate privilegio magni Petri juxta æquitatis ejus judicium, quæ jubenda & judicanda ſunt, ne ut dicit ejus Coapoſtolus, vituperetur miniſterium veſtrum*. Epiſtulam Imperator, vel potius Imperatoris nomine Archiepiſcopus his verbis concludit, quibus minatur Hadriano, ipſumque cavere jubet: ne uſurpationibus ſuis eos adigat in ſe agere, quod in Vigilium Papam olim egiſſent Patres Quintæ Synodi Generalis, qui Juſtiniani Imperatoris juſſu ſe a communione Vigilii ſequeſtrarunt, ejuſque nomen e Sacris Diptychis expunxerunt. Quod egregium eſt argumentum, ſuppoſititium Additamentum non eſſe, quod e Joulyi Codice Actis Quintæ Synodi ad calcem Actionis VI. inſeruit Baluzius. Quod quidem Additamentum cum ævo illo ignotum eſſet, quo ſcripſit Petrus de Marca; nihil ſane mirum videri debet, quod Libro IV. *de Concordia* Capite XII. num. 7. locum illum Caroli Calvi longe alio ſenſu ipſe fuerit interpretatus, quam verba poſtulaſſent. *Veſtram Sanctitatem ad ipſum cavere humili prece depoſcimus, ne nos & noſtros ſatis invitos ad id cogatis convertere, quod in Quinta Univerſali Synodo invenitur nobis tenendum*.

Suppl. p. 273.

Ibid. p. 274.

Nolo hic diſcutiendum ſuſcipere, num Hinc-

mari

mari Laudunenſis cauſa ejuſmodi fuerit, ut ei per Canones Romam adpellare liceret: nolo item perſcrutari, quis de hac re ſenſus ſit Canonum Sardicenſium, quibus nitebatur Hadrianus II. Legatur Petrus de Marca Libro VII. Capite 3. Queſnellus Diſſertatione V. in S.Leonem Capite 14. Joannes Gerbaſius Libro *de Cauſis Majoribus*, Articulo VII. & Ludovicus Dupinus Tractatu Gallico *de Poteſtate Eccleſiaſtica*, pag. 645. & Latina Diſſertatione II. *de Forma Judiciorum*, Capite I. §. 3. Sufficiat oſtendiſſe, Gallis Antiſtibus ipſiſque Regibus Chriſtianiſſimis fixum ratumque fuiſſe ſæculo IX. invitis Epiſcopis ea ſibi jura & privilegia adrogare non poſſe Romanum Pontificem, quæ vel Canonum præſcripto vel recepta conſuetudine Epiſcopis ipſis competerent.

Eſt in hoc eodem adpellationum argumento notiſſima & plane incredibilis fortitudo, qua S. Hilarius Arelatenſis medio ſæculo quinto tutatus eſt Metropolica jura ſua adverſus S. Leonem Magnum, qui occaſione provocationis a Chelidonio Veſontionenſi Epiſcopo contra Hilarii Synodum interpoſitæ, jura illa minuere conabatur. Pariter nota conſtantia eſt, qua S. Ignatius Patriarcha Conſtantinopolitanus ſæculo nono uſus fuit, ne ſibi Bulgaria Provincia eriperetur ab Hadriano Papa II. & Joanne VIII., quorum juſſionibus & minis numquam ille a propoſito dimoveri potuit. Et tamen per ejuſmodi repugnantiam nihil de eximia ſanctitate Hilarii & Ignatii eſt derogatum: imo utrumque ut ſanctiſſimum colit ipſa Romana Eccleſia: ac de Ignatio quidem legi dignum eſt, quod Baronius monet ad an. DCCCLXXVIII.

VII. Ut ad Galliæ Epiſcopos revertamur, tam alte quidem illorum animis inſederat hæc doctrina; ut ſi quæ forte privilegia vel exemptiones adverſus Epiſcoporum jura, atque ipſis

invitis, concederet alicui Apoſtolica Sedes; ea Epiſcopi nec admittere, nec executioni dare ſolerent. Hoc ſibi propoſitum eſſe & verbo proteſtati ſunt & re ipſa confirmavere anno DCCCXLIV. Patres Concilii Vernenſis, Canone XI. ubi cauſa diſcuſſa eſt Drogonis Metenſis Epiſcopi, Caroli Magni ex concubina filii, quem Sergius Papa ex ſimplici Epiſcopo Trevirenſis Eccleſiæ Suffraganeo Archiepiſcopum conſtituerat ejuſdem urbis, ſuumque per Galliam & Germaniam Vicarium Generalem crearat. Cum nova hac dignitate Drogoni collata non parum labefactarentur jura & prærogativæ Metropolitarum, decreverunt Vernenſes Patres, expectandum ea de re eſſe & inquirendum in Generali Concilio conſenſum omnium Metropolitarum & ceterorum Epiſcoporum utriuſque nationis. Cum ejuſmodi conſenſus defuerit, honoris quoque prærogativa fruſtratus eſt Drogo, quemadmodum colligitur ex Hincmaro Remenſi Epiſtula VI. Capite 30. ubi ita ſcribit: *Quod affectu ambiit, effectu non habuit, non conſentientibus quibus intererat.*

Concil. Gall. To. III. p. 21.

Eadem Anſegiſi Senonenſis Metropolitæ fortuna fuit, quem Pontifex Joannes VIII. Carolo Calvo Imperatore poſtulante, Primatem conſtituerat totius Galliæ & Germaniæ. Reclamantibus namque Patribus Concilii Pontigonenſis anno DCCCLXXVI. Primatu excidit Anſegiſus, ſaltem ad aliquod tempus. Reclamandi cauſas fuſe deſcribit idem Hincmarus Remenſis Epiſtula VIII. Capite 32. Harum ſumma hæc erat: delatum Anſegiſo honorem & receptis Canonibus, & antiquæ Metropolitanorum per Galliam & Germaniam conſuetudini repugnare (*a*).

An-

(*a*) Ea de re digna ſunt quæ omnino legantur Acta

Anno DCCCCXLVIII. duarum Provinciarum Epiſcopi coiere in Moſomum Caſtrum (*a*) Provinciæ Remenſis, ad ſopiendam controverſiam quæ inter Hugonem filium Comitis Heriberti & Artaldum Monachum Abbatiæ S.Remigii orta erat, uter pro Remenſi Archiepiſcopo habendus eſſet: Exhibuit quidem Hugo Concilii Patribus Apoſtolicas Litteras Agapiti Papæ II., quibus ſibi Remenſis Archiepiſcopatus reſtitui jubebatur. Verum Moſomenſes Patres, cum Pontificias litteras examinaſſent, eaſque Canonibus parum conformes inveniſſent; ſpretis illis, Artaldo Archiepiſcopatum adjudicarunt. Audiamus Flodoardum in Chronico: *Veniens illuc Hugo Præſul, Litteras quaſdam ex nomine Agapiti Papæ miſit ad Epiſcopos per Clericum ſuum, qui eas Roma detulerat, nihil auctoritatis Canonicæ continentes; hoc tantum præcipientes, ut Hugoni Remenſe redderetur Epiſcopium. Quibus lectis, ineuntes Epiſcopi Concilium cum Abbatibus reſponderunt, ut quod regulariter cœptum fuerat, Canonice pertractaretur, &c.* Concil. Tom. XI. p. 848. edit. Colet.

Anno MIV. vel MX. cum Fulco Andegavenſium Comes in pago Turonico Baſilicam ædificaſſet, Hugoque Turonenſis Archiepiſcopus eam canonicis de cauſis conſecrare abnuiſſet; miſſus illuc vel a Joanne XVIII. vel a Sergio IV. Romano Pontifice Petrus Cardinalis, Baſilicam ex delegata ſibi facultate dedicavit. Sed hoc Legati factum adeo exhorruere

Acta hujus Concilii Pontigonenſis, quæ ex Aimoini Hiſtoria Lib. V. Cap. 33. deſcribit Sirmondus Tomo III. Conciliorum Galliæ pag. 434., ex Sirmondo Gerbaſius Lib. de *Cauſis Majoribus* Art.VIII. §. II. pag. 189.

(*a*) Non Trevirenſis, quod in Luſitana editione male exaratum erat: quamvis Concilio ipſi præfuerit Rotbertus Archiepiſcopus Trevirenſis.

Galli Epiſcopi, ut eam veluti rapinam ſive uſurpationem rei alienæ arbitrantes, acerbe de Pontifice quererentur, quod invitis Canonibus Epiſcopalia munia in aliorum Parœciis per ſuos Miniſtros obire non dubitaſſet. *Quod utique audientes Galliarum Præſides* (verba ſunt Rodulphi Glabri Monachi Cluniacenſis Libro II. Capite 4.) *præſumptionem ſacrilegam cognoverunt ex cæca cupiditate proceſſiſſe*. Et mox: *Licet Pontifex Romanæ Eccleſiæ ob dignitatem Sedis Apoſtolicæ ceteris in orbe conſtitutis Epiſcopis reverentior habeatur, non tamen ei licet tranſgredi in aliquo canonici moderaminis tenorem*. Et rurſus: *Univerſi pariter deteſtantes, quoniam nimium indecens videbatur, ut is qui Apoſtolicam regebat Sedem, Apoſtolicam primitus ac Canonicum tranſgrediatur tenorem* (*a*).

Glaber apud Ducheſnium Tom. IV. p. 15.

Anno MXXV. Concilium Anſæ in pago Lugdunenſi celebratum eſt: ubi Gauslenus Epiſcopus Matiſconenſis gravem expoſtulationem habuit, de ordinatione Cluniacenſium Monachorum a Burchardo Archiepiſcopo Viennenſi facta, vi privilegii quod Cluniacenſes a Romano Pontifice ſe habere dicebant. Qua de re, cum

(*a*) Narrationem hanc Gabri, qui anno ML. florebat, primus quod ſciam falſi convincere adgreſſus eſt Ludovicus Thomaſſinus Lib. I. *De Antiqua Eccleſiæ Diſciplina circa Beneficia*, Cap. VI. num. 4. Nam ante Thomaſſinum Glabri teſtimonio tamquam incorruptæ fidei uſi fuerant Baronius ad annum DCCCCXCVI. Joannes Meranus in Hiſtoria Archiepiſcoporum Turonenſium, num. LXI. Claudius Robertus in *Gallia Chriſtiana*, ubi de Archiepiſcopis Turonenſibus agit pag. 166. & Petrus de Marca Lib. IV. *de Concordia* Cap. 8., ubi Glabri locum e veteribus tabulis illuſtrandum ſuſcepit: tantum abeſt, ut falſi ſuſpectum habuerit. Quare Thomaſſinum ea in re audiendum non eſſe merito adfirmavit Illuſtriſſimus Boſſuetus Lib. XI. Cap. 7.

cum Chalcedonenſes & aliorum Conciliorum Canones lecti eſſent, quibus conſtitutum fuerat, ut loci Epiſcopo per unamquamque Regionem Abbates & Monachi omnes ſubjacerent: Statuit Synodus, privilegium antiquis Canonibus contrarium nullius roboris habendum eſſe. *Relegentes Sancti Chalcedonenſis Concilii & plurimorum authenticorum Conciliorum ſententias, &c. decreverunt chartam non eſſe ratam, quæ Canonicis non ſolum non concordaret; ſed etiam contrairet ſententiis. Archiepiſcopus ratione convictus, a Gausleno veniam petiit* (*a*). *Tom. XI. Concil. p. 1157. Colet. edit.*

VIII. Hæc porro veterum Epiſcoporum libertas ac repugnantia non alio principio nitebatur, quam quod demonſtrandum ſuſcepimus. Nempe Juribus & prærogativis illis, quæ vel ex legitima conſuetudine, vel ex Canonibus Generalium Synodorum Epiſcoporum Corpori competebant; invitos ſe ſpoliari non poſſe a Romano Pontifice, alte ipſorum animis infixum erat. Exiſtimabant enim, Papam non ſic receptis Canonibus dominari, ut labefactare pro libitu aut immutare poſſet Eccleſiaſticam Hierarchiam: ſed potius ipſorum Canonum cuſtodem eſſe, cujus proinde tota cura eo ſpectare deberet, ut unicuique illæſa ſua jura conſiſterent. Decretum quippe eſſe a Generali Synodo Nicæna Canone VI. & poſtea ab Epheſina item Generali Synodo confirmatum Actio-

G 3 ne

(*a*) Non ſolum veniam a Gausleno petiit Burchardus, ſed etiam multa impoſita ſatisfecit. Nam ut in iiſdem Actis legitur, *veniam petens a Gausleno, loco ſatisfactionis firmavit, ut unoquoque anno, quamdiu ambo viverent, ſufficientiam olei de olivis, ad conficiendum chryſma, ipſi perſolveret ſine negligentia*. Confer omnino Marcam Lib. IV. *de Concordia* Cap. 8. num. 1. & Baluzium in Notis ad Concilium Narbonenſe anni MCX. pag. 16.

ne VII. ut ſingulis Eccleſiis vel Provinciis ſua privilegia conſerventur. Quo & illud ſpectabat, quod in Epiſtula quadam Nicolao Papæ I. dicebat celeberrimus ac doctiſſimus Hincmarus Archiepiſcopus Remenſis (*a*): *Privilegia Eccleſiarum Sanctorum Patrum Canonibus inſtituta, & venerabilis Nicænæ Synodi fixa Decretis, nulla poſſunt improbitate convelli, nulla levitate mutari.*

Verbo dicam: tota Antiquitas pro comperto habuit, Romanam Eccleſiam eſſe quidem primam, eſſe præcipuam, eſſe ſupremam inter omnes alias particulares Eccleſias: ſed Reginam tamen non eſſe conflatæ ex omnibus Eccleſiæ. Papam eſſe quidem Primatem ſingulorum Epiſcoporum: ſed Monarcham tamen non eſſe Eccleſiæ univerſalis. Ipſam namque Reginæ qualitatem ſoli Eccleſiæ univerſali, ipſam Monarchæ qualitatem ſoli Concilio Œcumenico illam repræſentanti competere. Hoc ſenſu egregie ſcribit Auguſtinus in Pſalmum XLIV. numero 23. *Eccleſiæ filiæ Apoſtolorum ſunt, filiæ Regum ſunt .... Ecce Roma, ecce Carthago, filiæ Regum ſunt, & ex omnibus fit una quædam Regina*. Quod preſſius ſignificarat Hieronymus, cum dixit: *Si auctoritas quæritur, Orbis major eſt urbe*.

Auguſt. Tom. IV. p. 394.

Apud Gratian. Diſt. XCIII. Cap. Legimus.

IX. Tractavit hoc argumentum variis in locis ſuorum Operum venerabilis ille illuminatuſque Pariſienſis Academiæ Cancellarius, **Joannes Gerſon**: ut in Tractatu *de Poteſtate Eccleſiaſtica* Conſid. X. in Sermone *pro Viagio Regis Romanorum*: in alio *contra Mendicantes*: & in illo quem inſcripſit de *Statibus Eccleſiaſticis*. Quæ omnia extant Tomo II. Gerſonianorum Ope-

(*a*) Deſumptum ex epiſtula LIV. Leonis Magni ad Martianum Imperatorem: citaturque etiam a Gratiano Cauſa XXV. Quæſt. II. Cap. II.

Operum noviſſimæ editionis. Prætermiſſis aliis ſane egregiis, nonnulla hic tantum deſcribam ex illius Tractatu *de Modis uniendi ac reformandi Eccleſiam in Concilio*: ubi aperte docet eximius Theologus, a conſenſu Epiſcoporum magna ex parte dependere reſervationes Sedis Apoſtolicæ. Nam quæ Libro Sexto Decretalium & Clementinis continentur, eas Gerſon arbitratur eſſe uſurpationes alienæ juriſdictionis, arrogantiaque. & ſuperba artificia vocat, quibus pro ſua ambitione uſi fuerint Pontifices nonnulli eo fine, ut & Epiſcoporum Corpus enervaretur, & Romanæ Curiæ per omnia obnoxii redderentur ipſi Sæculares Principes. *Quis fecit Libros, Sextum & Clementinas? Arrogantiam, ſuperbiam, juris Ordinariorum uſurpationem, Imperatorum Romanorum injurioſam detractionem, & eorum aliorumque poteſtatis periculoſiſſimam ſuppreſſionem, & alia multa in ſpiritualis & ſæcularis Reipublicæ læſionem malitioſe & pertinaci ambitione fabricata, in omnibus & per omnia concludentes?* Et infra: *Papa uſurpando aliorum Epiſcoporum, quos fratres appellat, Juriſdictionem & honorem, præſertim ita generaliter, peccat mortaliter.* Et mox: *Sicut contra ſtatuta Evangelica Chriſti non audet Papa ſe intromittere:* ITA NEC VALET POTESTATEM COLLATAM A CHRISTO ALIIS EPISCOPIS SIBI APPLICARE NEC RESERVARE. Antea hæc præmiſerat idem Gerſon: *Tantam fraudem in adminiſtratione Papatus fecerunt antiqui aliqui, qui cum multis viris peritis, imo malitioſis, Deum non habentes præ oculis, multa jura ſibi uſurparunt, & pro ſe fecerunt, & meliorem partem ſibi attribuerunt, & de Republica non curarunt.*

Gerſon Tom. II. p. 167.

Ibid. p. 183. & 184.

Ibid. p. 166.

X. Franciſcus Zabarella, laudatiſſimus doctiſſimuſque Cardinalis, patria Florentinus, in Tractatu *de Schiſmate* ita ſcribit: *Mos inter antiquos obtinuit, quod omnia difficilia per Concilium*

Zabarell. pag. 559. edit. Argent. 1545. *lium terminabantur, & crebro fiebant. Poſtea vero quidam Summi Pontifices, qui magis ad mundum terrenorum Principum, quam Apoſtolorum, Eccleſiam rexerunt; non curarunt facere Concilia: ex qua omiſſione prodierunt multa mala. Ex hoc apparet, quod id quod dicitur, quod Papa habet plenitudinem poteſtatis, debet intelligi non ſolus, ſed tamquam apud univerſitatem. Ita* QUOD IPSE POTESTAS EST IN UNIVERSITATE, TAMQUAM IN FUNDAMENTO, *& in Papa, tamquam in principali miniſtro, per quem hæc poteſtas explicatur.* Et infra: *Multi aſſentatores voluerunt placere Pontificibus per multa retro ſæcula, & uſque ad hodierna ſuaſerunt eis, quod omnia poſſent. Ex hoc infiniti ſecuti ſunt errores, quia Papa occupavit omnia jura inferiorum Prælatorum: ita quod inferiores Prælati ſunt pro nihilo, &c.* Et mox: *Oportebit determinare Papæ poteſtatem, ut non ſubvertantur inferiores poteſtates: & ut Papa poſſit non quod libet, ſed quod licebit.*

Nicolaus de Cuſa & ipſe Cardinalis natione Germanus, Brixienſiſque in Italia Epiſcopus, poſtquam Libro II. *de Concordantia Catholica*, Capite 28. demonſtraſſet, Papam Canonibus ſubjacere Generalium Conciliorum, tenerique divina lege Epiſcopis ſua jura inviolabiliter ſervare: mox Capite 32. docere pergit, vim omnem Reſervationum Pontificiarum a tacito conſenſu Epiſcoporum profluere. Itaque, ubi Epiſcopi ſua ſibi jura reſtituta vellent, teneri
Cuſæ p. 767. & 768. Papam illa Epiſcopis dimittere. *Per tacitum conſenſum totius Eccleſiæ Romani Pontifices reſervationibus factis uſi ſunt .... Nunc autem exorbitantia ob varias læſiones diſplicere incipit, & oritur contradictio. Quare puto Papam amplius non poſſe generaliter reſervare electiva beneficia, niſi expreſſe ei indulgeretur per Concilium. Papa enim invitis Epiſcopum dare non poteſt, &c.*

XI. Patrum memoria hoc idem argumentum

ſolidiſſime atque eruditiſſime, ut cetera omnia, demonſtravit Illuſtriſſimus Boſſuetus toto Libro XI., ubi inter alia graviſſima teſtimonia, quibus eadem priorum ſæculorum doctrina fuiſſe probatur, illud Zozimi Papæ laudat ad Epiſcopos Galliæ: *Contra Statuta Patrum concedere aliquid vel mutare, ne hujus quidem Sedis poteſt auctoritas. Apud nos enim inconcuſſis radicibus vivit antiquitas, cui ſtatuta Patrum ſanxere reverentiam.* Et illud Gelaſii Papæ ad Epiſcopos Dardaniæ: *Uniuſcujuſque Synodi conſtitutum, quod univerſalis Eccleſiæ probavit adſenſus, non aliquam magis exequi Sedem præ ceteris oportere, quam primam.* Et illud Cæleſtini Papæ I. ad Epiſcopos Illyricos: *Dominentur nobis regulæ, non regulis dominemur.* Et illud Papæ Leonis Magni: *Nimis improba ſunt, nimis prava, quæ ſanctiſſimis Canonibus probantur adverſa.* Et illud Gregorii I. *Si Canones non cuſtoditis, & majorum vultis ſtatuta convellere, non agnoſco qui eſtis.* Et illud Martini I. *Canones Eccleſiaſticos ſolvere non poſſumus, qui defenſores & cuſtodes Canonum ſumus, non tranſgreſſores.* Et illud Leonis IV. *Non potuimus præfixos Patrum terminos immutare.*

XII. Joannes Launojus cum in Epiſtula ad Ludovicum Cuſinum, quæ octava eſt Libri I., tum in Epiſtula ad Thomam Rullandum, quæ eſt tertia Libri II., quinquaginta & amplius Summorum Pontificum teſtimonia deſcribit; quibus ille probat, poteſtatem Papæ non ſuo ipſius arbitrio, ſed Canonibus moderandam. Refert deinde Sacramentum illud, quo ſe antiquitus obſtringere ſolebant ipſi Pontifices, cum primum conſecrabantur. Spondebant enim coràm imagine S. Petri ad unguem ſe obſervaturos, quæcumque vel Canonibus Conciliorum Generalium, vel Conſtitutionibus Pontificum Prædeceſſorum ſuorum, vel receptis ubique Ec-

cleſiaſticæ Diſciplinæ moribus continerentur. Hujus Sacramenti forma deſumpta eſt ex antiquo *Diurno Romanorum Pontificum*, quem Garnerius Jeſuita publici juris fecit: eſtque eadem illa, quam ex præſcripto Reformatorii Conſtantienſis ab Hatro deſcripti uſurpavit Martinus V.

Hatrus Tom. I. p. 587.

Hinc Launojus pergit commemorare conſilium de emendanda Eccleſia, quod Summo Pontifici Paulo III. anno MDXXXVIII. exhibuere delecti ab eo Conſultores novem: nempe quatuor Cardinales, Contarenus, Caraſa, Salodetus, Polus: Fridericus Archiepiſcopus Salernitanus, Hieronymus Archiepiſcopus Brunduſinus, Joannes Matthæus Gibertus Epiſcopus Veronenſis, Gregorius Corteſius Abbas S.Georgii Venetiarum, Frater Thomas Magiſter Sacri Palatii. In eo vero conſilio Summum Pontificem monent memorati Conſultores: fontem dehoneſtamentorum omnium, quæ Eccleſiam tunc temporis deturparent, illum ſane fuiſſe, quod nonnulli ejus Prædeceſſores rerum novarum cupidi, ſtudioque abrepti dilatandi imperii per fas nefasque, faciles aures adcommodarint palpatoribus quibuſdam Theologis, quibus auctoribus Papæ liceret, quidquid collibuiſſet. *Principium omnium malorum inde fuit, quod nonnulli Pontifices prædeceſſores tui prurientes auribus, ut inquit Paulus Apoſtolus, coacervaverunt ſibi magiſtros ad deſideria ſua, non ut ab iis diſcerent, quid facere deberent, ſed ut eorum ſtudio & calliditate inveniretur ratio, qua liceret id quod liberet: ita quod voluntas Pontificis, qualiſcumque illa fuiſſet, Regula eſſet, qua operationes ejus & actiones dirigerentur. Ex hoc fonte, ſancte Pater, tamquam ex equo Trojano irrupere in Eccleſiam Dei tot abuſus & graviſſimi morbi, &c.* Hinc conſequens eſſe ajunt, ut ſi officio ſuo ſtrenue fungi velit Pontifex, alia omnino cogi-

gitata, alia conſilia ab eo ſint agitanda: ut Succeſſores Petri credat Diſpenſatores eſſe, non Dominos: nec poſſe ipſos facere, niſi quod liceat: non licere autem, niſi quod Legibus vel Canonibus ſit præſcriptum: *Secutus doctrinam Apoſtolicam vis eſſe Diſpenſator, non Dominus: ac propterea decreviſti nolle, quod non liceat, nec vis poſſe quod non debes. Illud vero ante omnia, Beatiſſime Pater, putamus ſtatuendum eſſe, ſicut in unaquaque republica, ita & in hac Eccleſiaſticâ gubernatione Eccleſiæ Dei hanc per omnibus legem habendam; ut quantum fieri poteſt, leges ſerventur, &c.* Si quis integrum Conſilium horum Conſultorum Pauli III. legere voluerit, Richerium adeat in *Hiſtoria Conciliorum*, Parte altera Libri IV. pag. 71. vel etiam Manſium in Supplemento Conciliorum Tom. V. pag. 539.

XIII. Sane quicumque aliquantulum verſatus fuerit in legendis Theologis & Canoniſtis quibuſdam, qui ante Tridentinam Synodum floruere; is facile inveniet, a ſolo adulandi ſtudio proficiſci potuiſſe illam doctrinam, quam ad Caput *Quanto perſonam*, Libro I. Titulo 7. *de Translatione Epiſcopi*, tradit Auctor Gloſſæ ſic de Papa ſcribens: *In his quæ vult, ei eſt pro ratione voluntas. Nec eſt qui ei dicat, cur ita facis? Ipſe enim poteſt ſupra jus diſpenſare, de injuſtitia facere juſtitiam, corrigendo jura & mutando*. A ſolo adulandi ſtudio proficiſci potuiſſe, quod Libro II. *de Eccleſia*, Capite 63. ad 18. & Capite 67. ad 2. docet Cardinalis a Turrecremata: *Ex omnibus Juriſdictionibus Eccleſiaſticis unam exiſtere Pontificiam, quæ Chriſto immediato Auctore gloriari poſſit: ceteras omnes etiam ipſorum Apoſtolorum a Petro hauſtas. Eccleſiaſticam Hierarchiam*, (quæ ex Epiſcopis præſertim & Parochis conſtat) *nulla Chriſti inſtitutione neceſſariam eſſe in Eccleſia, ſed prorſus*

eſſe

eſſe voluntariam, *ab uno Papæ arbitrio dependentem*, *qui eam proinde mutare aut variare pro libitu poſſit*. A ſolo adulandi ſtudio proficiſci potuiſſe, quod in Libro *de Cauſa immediata Eccleſiaſticæ Poteſtatis*, Articulo V. concluſ. 2. adfirmat Paludanus: *Epiſcopos ceteroſque Præſules Papæ inferiores*, *nihil aliud in Eccleſia eſſe niſi ſimplices quoſdam Papæ Procuratores*. *Itaque ut Procuratores a Rege*, *ita a Papa Epiſcopos pro libitu poſſe deponi vel immerentes* (*a*). A ſolo adulandi ſtudio proficiſci potuiſſe abſonam illam adſertionem Cardinalis Cajetani, qui in Libro *de Auctoritate Papæ* Eccleſiam dixit (*b*) *Servam natam Romani Pontificis*. Denique a ſolo adulandi ſtudio proficiſci potuiſſe (*c*) titulum *Dei ſui*, quo Papam ornavit Gloſſa Extravagantis *Cum inter nonnullos* Joannis XXII. Nam prope finem ad verbum *declaramus* ita habet: *Credere*

(*a*) In exponenda doctrina tum Paludani, tum Turrecrematæ, ſenſum magis quam verba expreſſimus. Utriuſque autem paradoxa eximie confutavit Petrus Aurelius in Apologia *pro Sacra Facultate Pariſienſi*, Tom. I. Operum pag. 156. & ſeqq. ante Aurelium Richerius Lib. IV. Defenſionis ſuæ adverſus Andream Duvallium, Cap. III. §. 40.

(*b*) In epiſtula ad Ludovicum Maræſium, quæ prima eſt Libri IV. hanc Cajetani adſerrionem acriter exagitavit Joannes Launojus, Tom. V. Parte I. pag. 421. & ſeq.

(*c*) Novum hunc Gloſſæ Deum primus quod ſciam irriſit Marcus Antonius de Dominis Lib. II. *de Republ. Eccleſ.* Cap. VI. num. 16. Deinde Edmundus Richerius in Notis ſuper Cenſuram Pariſienſis Facultatis in Libros ipſos Marci Antonii de Dominis. Deinde Hermannus Conringius in *Hiſtoria Electionis Alexandri VII.* Tom. V. pag. 617., quo loco obſervationem Goebelii legere erit operæ pretium. Irriſit deinde Andreas Sallus in *Voto pro Pace Chriſtiana* Oxonii edito anno MDCLXXVIII. Cap. V. pag. 8.

re Dominum Deum noſtrum Papam conditorem hujus Decretalis. Sic lego in duabus editionibus Lugdunenſibus de anno MDLXXXIV. & MDCVI., nec non in tribus Pariſienſibus de anno MDLXXXV. & MDCI. & MDCII. Vide quid de hujuſmodi Papæ paraſitis ſcripſerit piiſſimus juxta ac doctiſſimus Gerſon in Tractatu *de Poteſtate Eccleſiaſtica*, Conſid. XII. & in altero *de Examinatione Doctrinarum*, Conſid. V. ubi ſibi objiciens, quod nonnulli jacere ſolebant: *Fiat recurſus ad Sedem & Curiam Summi Pontificis:* ita reſpondet Gerſon: *Non negabimus hoc, ſi Theologia illic habuerit ſuos Doctores non partiales, non ſeductos, non faſtuoſos, non quæſtuoſos, aut invidos: non poteſtati ſæculari, non ſpirituali pluſquam veritati faventes. Alioquin tolerabilius eſſet nullos habere, quam tales pati*.

Aute expoſitum Conſilium novem Conſultorum Romanorum, in rem ſuam, adeoque & in noſtram deſcripſerat Launojus celeberrimum atque ineluctabile Decretum Generalis Synodi Florentinæ. Quæ cum definiſſet, *Romanum Pontificem Caput eſſe totius Eccleſiæ, Succeſſorem B. Petri, Chriſti Vicarium, Patrem ac Doctorem omnium Chriſtianorum:* e veſtigio illud ſubjungit, unde nobis credendum ſit, collatam a Chriſto Vicario ſuo plenam poteſtatem paſcendi, regendi, ac gubernandi univerſalem Eccleſiam; non eſſe poteſtatem legibus ſolutam aut Regiam, ſed Canonibus moderandam. Sic enim habet: *Et ipſi in B. Petro paſcendi, regendi, ac gubernandi univerſalem Eccleſiam a Domino noſtro Jeſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe*, QUEMADMODUM ET IN GESTIS ŒCUMENICORUM CONCILIORUM ET IN SACRIS CANONIBUS CONTINETUR. Tale nobis exhibent Florentinum Decretum, qui eodem illo ævo vel proxime ſecuto floruere: in his Joannes Blondus, Scri-

Scriba ejuſdem Eugenii IV. Concilii Præſidis, Decade X. Libri III. Marchus Vigierus Cardinalis in Decachordo, Joannes Ekius Libro II. *de Primatu Petri*, Cap. 25. Joannes Fyſcherus Roffenſis Epiſcopus & Cardinalis Articulo XXV. contra Lutherum: Albertus Pighius Libro IV. de Hierarchia Eccleſiaſtica, Capire ultimo. Quod confirmatur ex Græca editione ejuſdem Decreti, quæ ſimiliter eſt authentica: quæque, ut obſervavit Petrus de Marca Libro III. Capite 8. & Boſſuetus Libro VI. Capite XI. latine reddita ad verbum talis eſt: *Secundum quod*, vel *Juxta eum modum*, *qui & in Geſtis Conciliorum Œcumenicorum, & in Sacris Canonibus continetur*. Ne cogamur dicere, Papam cum Generali Synodo, ut Græcis illuderent, Latinum Decretum a Græco prorſus diſcordans condidiſſe: emendari ex Græca debet Latina editio, quæ in Collectionibus Conciliorum extat, quæque loco horum verborum, *Quemadmodum & in geſtis*, ita habet, *Quemadmodum etiam in geſtis*: quo ſane variatur, imo vero funditus evertitur ſenſus dogmatici illius Decreti, quod pro Regula quadam fidei Epiſcopis Græcæ Eccleſiæ datum eſt in ipſa Florentina Synodo, quodque pro Dogmate totius Eccleſiæ Catholicæ tradiderunt Scriptores & Theologi illorum temporum.

XV. Ad extremum illud moneo, uſque adeo certum & exploratum eſſe, abſque ſuo ipſorum conſenſu ſpoliari a Papa ſuis Juribus minime potuiſſe Epiſcopos: ut nonniſi ipſis conſentientibus ac decernentibus, jure cognoſcendi de Judiciis Synodorum Provincialium in cauſis Epiſcoporum potiti fuerint Romani Pontifices. Cum enim in Sardicenſi Concilio anno CCCXLVII. Patribus expoſuiſſet Oſius Conſilii Præſes: placeretne ipſis, ut immutata priſtina Judiciorum forma, liceret deinceps reis Epiſcopis in Provin-

vinciali Synodo condemnatis, a Romano Pontifice novos Judices petere, qui cauſas ipſas intra Provincias denuo retractarent: reſponderunt Patres Canone III. placere ſibi jure illo ſive Appellationis ſive Reviſionis ornari Succeſſores B. Petri. *Si vobis placet, Sancti Petri memoriam honoremus, &c. Synodus reſpondit; Placet.* Concil. Tom. II. p. 674. Colet. edit.

Ipſe S. Julius Papa I. dum in celebri Epiſtula ad Orientales (qua nullum in tota antiquitate illuſtrius monumentum extat de Prærogativis Romani Primatus) demonſtrare adgreditur, non licuiſſe Antiocheno Concilio Athanaſium condemnare; eo potiſſimum fundamento nititur, quod inconſulta Sede Apoſtolica judicari ejuſmodi cauſa non debuiſſet. Non debuiſſe autem ille oſtendit, non ex divino Jure aliquo de Scripturis petito: ſed ex una tantum conſuetudine ubique locorum, atque ipſis Epiſcopis conſentientibus, per Eccleſiam invecta & recepta. *Oportuit ſecundum Canonem, & non iſto modo judicium fieri. Oportuit ſcribere omnibus, &c. An ignari eſtis hanc eſſe conſuetudinem, ut primum nobis ſcribatur, &c.* Ibid. p. 535. Legatur Marca Libro V. Capite 12. & Libro VII. Capite 4. Legatur item nobilis illa Diſſertatio *De Libertate Eccleſiaſtica*, Gallo, ut opinor, Auctore Anonymo, quam publicavit Goldaſtus Tom. I. pag. 690.

Hic unum illud addo, Julio alios quoque Pontifices re & verbo concinere: quippe qui Epiſcoporum conſenſui & conſuetudini acceptas referant plurimas Reſervationes. Sic Innocentius I. in Epiſtula ad Joannem Conſtantinopolitanum: *Majores vero & difficiles quæſtiones, ut Sancta Synodus ſtatuit, & beata conſuetudo exigit, ad Sedem Apoſtolicam referantur.* Sic item Gelaſius I. in Commonitorio ad Fauſtum: *Nobis opponunt Canones, dum neſciunt quid lo-*

loquantur, *&c.* IPSI CANONES SUNT, *qui appellationes totius Eccleſiæ ad hujus ſedis examen deferri voluerunt*. Non dicit, *Ipſe Dominus eſt*, *vel ipſæ Scripturæ ſunt*: ſed *ipſi Canones ſunt*.

XIV. Ut pleniſſime intelligantur, quæcumque a nobis toto hoc graviſſimo Principio dicta ſunt: ſupereſt modo enucleatius explicare, qui fieri poſſit, ut Corpore totius Eccleſiæ inferiores ſe eſſe fateantur ipſi Romani Pontifices, quos conſtat jure divino ceteris anteferri oportere. Scire ergo debemus, ſubjectum cui totam a ſe in Evangelio inſtitutam poteſtatem proxime & immediate contulerit Dominus noſter Jeſus Chriſtus; non proprie fuiſſe Petrum, vel aliquem de Succeſſoribus ejus: ſed totum Corpus Hierarchicum Eccleſiæ, quæ tunc temporis ex Petro ceteriſque Apoſtolis, ac Diſcipulis, tamquam ſingularibus membris conſtabat: nunc autem ex Summo Pontifice, Epiſcopis, ceteriſque Miniſtris Eccleſiaſticam Hierarchiam conſtituentibus conſtat. Unumquodque horum membrorum, ſeu unuſquiſque Apoſtolus, ut membrum quoddam inferius ſubeſt quidem Petro ut præcipuo membro, ſeu ut miniſteriali Capiti ſingulorum (*a*). Verum & ipſum ca-

(*a*) Panormitanus in Cap. *Significaſti*, de Electione, Tom. I. fol. 108. *Univerſalis Eccleſiæ Caput & Sponſus eſt Chriſtus. Papa autem eſt Vicarius Chriſti*, *ET NON VERE CAPUT ECCLESIÆ*, *ut noſtra Gloſſa in Clem.* Ne Romani, de Elect., *quæ notabiliter dicit*, *quod mortuo Papa Eccleſia non eſt ſine capite*. Academia Cracovienſis in Tractatu *Super Auctoritate Sacrorum Conciliorum*, anno MCCCCXL. apud Bulæum in *Hiſtoria Univerſ. Pariſ.* Tom. V. pag. 489. *Non poteſt hoc intelligi de capite vero*, *ut Papa dicatur verum caput Eccleſiæ*, *cum Chriſtus ſit verum caput Eccleſiæ ex prima parte Concluſionis*: *eſſet namque Eccleſia biceps aut bicipalis & monſtruoſa*, *ſi habe-*

caput miniſteriale, ſive idemmet Petrus, utpote qui & ipſe ſit membrum, quamvis ſuperius & dignius: ipſi communitati ſive Corpori univerſalis Eccleſiæ ſic ſubeſt, quemadmodum pars univerſo, filius Matri, miniſter Dominæ. Singuli quidem fideles pro ſchiſmaticis habendi erunt, ſi ſuperiorem ſibi non agnoſcant Petri ſucceſſorem. Sed & ipſe Petri ſucceſſor pro ſchiſmatico erit habendus, ſi Catholicæ Eccleſiæ ſubeſſe nolit. Revera ſchiſmaticus declaratus fuit in Generali Synodo

Piſa-

---

haberet duo capita æque prima. Unde ſicut Papa non dicitur Epiſcopus univerſalis Eccleſiæ, ut in Cap. Ecce 99., *quia ſic Eccleſia univerſalis diceretur vacare, mortuo Papa, quod dicere eſt ridiculum: ſic etiam non dicitur verum caput Eccleſiæ, quia eo decedente videretur eſſe Acephala. Dicitur ergo caput ſecundum metaphoram: ablato enim capite a corpore, deſinit vita corporis: & tamen ablato Papa ab Eccleſia, non ceſſat vita Eccleſiæ, cum Eccleſia ſine Papa vivat. Solus igitur Chriſtus eſt caput Eccleſiæ, dans ei ſenſum & motum & omnem ſpiritualem influxum.* Eſt in eodem genere & illud præclarum, quod Lib. I. de Geſtis Baſileenſis Concilii pag. 777. Pinſonianæ editionis ſcribit Æneas Silvius. *Si ſic volumus agere, ut ſic ſe caput Eccleſiaſticum ad ſuum habeat corpus, ſicut humanum ad ſuum: neceſſarium erit, ut extincto capite, corpus etiam extinguatur, ſicut in humanis corporibus cernimus: ſicque in abſurdum venies, quod mortuo Papa, mortuam etiam Eccleſiam confiteberis; quod quantum a veritate abeat, non nos latet. Quidquid tamen dicant aliqui, ego cum illis non ſentio, qui Romanum Pontificem caput Eccleſiæ dicunt, niſi forſitan miniſteriale: legimus enim, Quia Chriſtus eſt Caput Eccleſiæ, non Papa: & illud eſt verum caput, immutabile, perpetuum & æternum. Romanus autem Pontifex nihil plus eſt, quam veri capitis locum tenens: Eccleſia vero ipſius Chriſti corpus, cujus etiam ipſe Papa eſt membrum.* Cardinalis Alliacenus in Tractatu *de Auctoritate Eccleſiæ, Concilii Generalis, & Papæ.* Parte I. Cap. I.

Tom.

Piſana Gregorius Papa XII. Declaratus pariter fuit in Conſtantienſi Generali Synodo ſchiſmatis fautor Joannes Papa XXIII. Hanc Papæ ſubjectionem reſpectu Eccleſiæ intelligebat Hilarius Pictavienſis, cum ita in Liberium Papam vociferabatur; *Anathema tibi, Liberi, & ſociis tuis. Iterum tibi ac tertio anathema, prævaricator Liberi*. Neque aliter Firmilianus de Cappadocia, cum in Stephanum Papam ita ſcribebat: *Te ipſum excidiſti, noli te fallere*. Dum

Hilar. p. 1335. edit. Cuſtant.
Cypr. p. 326. edit. Felli.

Tom. II. Gerſonis, pag. 928. *Epiſcopi & Presbyteri Eccleſiæ miniſtri a Chriſto immediate poteſtatem Eccleſiaſticam ſuſceperunt, tamquam ab eo, qui ſolus eſt proprie & maxime caput Eccleſiæ: tamen nihilominus Petrus & quilibet ejus Vicarius Pontifex Summus, potuit dici caput Eccleſiæ, in quantum principalis eſt inter miniſtros*. Gerſon in Libello Articulorum contra Petrum de Luna, Art. XI. Tom. II. pag. 295. *Similitudo corporis veri & myſtici, non eſt uſquequaque eadem, quoniam ſine capite naturali corpus non poteſt vivere, ſed ſine capite ſecundario corpus myſticum poteſt habere vitam: ſicut in caſu noſtro patet de Papa, quo remoto vel abſciſſo, ſtat unitas & vita in corpore myſtico Eccleſiæ, & hoc virtute capitis eſſentialis, & primi, quod eſt Chriſtus*. Joannes Maior in IV. Sent. Diſt. XXIV. inter Opera Gerſonis Tom. II. pag. 1144. *Eccleſia dicitur una ab unitate capitis eſſentialis, ſcilicet Chriſti, qui non moritur, & non ab unitate capitis accidentalis: ſtat virum aliquem Papæ contradicere, & eſſe de unitate Eccleſiæ: dummodo ſtat ſub capite Chriſto eſt de unitate Eccleſiæ*. Plura ex Patribus Baſileenſibus, Cuſano Cardinale, Toſtato Abulenſi, aliiſque dabit Richerius Libro IV. Defenſionis ſuæ, Cap. I. num. 20. Omnibus autem & ſingulis prora & puppis eſt illud Auguſtini Serm. LXXVI. alias XIII. *de Verbis Domini*, Tom. V. pag. 415. *Reſpondit Petrus, Tu es Chriſtus filius Dei vivi: unus pro multis dedit reſponſum, unitas in multis. Tum ei Dominus ait: Et ego dico tibi, tamquam diceret, quia tu dixiſti mihi, Tu es Chriſtus filius Dei vivi; & ego dico tibi,*

Dum enim putas omnes a te abſtineri poſſe, ſolum te ab omnibus abſtinuiſti.

XVII. Audiamus S.Gregorium Papam Libro V. Epiſtula 18. ad Joannem Conſtantinopolitanum: *Certe Petrus Apoſtolorum primus, membrum Sanctæ & univerſalis Eccleſiæ: Paulus, Andreas, Joannes, quid aliud quam ſingularium ſunt plebium capita? & tamen ſub uno capite* (Chriſto) *omnes membra ſunt Eccleſiæ*. Et infra: *Nos in quibus per uſum temerarium culpa committitur,*

Gregor. Tom. II. p.743. & 745. & 746. Maurinæ edition.

tibi, Tu es Petrus. Hoc autem nomen ei, ut Petrus appellaretur a Domino impoſitum eſt, & hoc ut ea figura ſignificaret Eccleſiam: quia enim Chriſtus petra, Petrus populus Chriſtianus: Petra enim principale nomen eſt, ideo Petrus a petra, non petra a Petro: quomodo non a Chriſtiano Chriſtus, ſed a Chriſto Chriſtianus vocatur. Tu es ergo (inquit) *Petrus, & ſuper hanc petram quam confeſſus es, ſuper hanc petram quam cognoviſti dicens, Tu es Chriſtus filius Dei vivi, ædificabo Eccleſiam meam: ſuper me ædificabo te, non me ſuper te*. Et rurſus infra: *Quia ego petra, tu Petrus: neque enim à Petro petra, ſed a petra Petrus; quia non a Chriſtiano Chriſtus, ſed a Chriſto Chriſtianus. Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: non ſupra Petrum, quod tu es, ſed ſupra petram quam confeſſus es*. Teſtatur autem Antonius de Roſellis Parte II. *de Monarchia*, Cap. I. apud Goldaſtum Tomo I. pag. 301. hanc Auguſtini Homiliam ſuo tempore legi ſolitam in octava SS. Apoſtolorum Petri & Pauli. In hodiernis tamen Breviariis nihil tale reperitur: quia Romani videntes hac doctrina Auguſtini ſtabiliri Conſtantienſia & Baſileenſia dogmata, iiſque ſtabilitis everti penitus illorum Monarchiam: Sermonem Auguſtini e Breviariis abradendum curarunt. Sed audiamus, quid poſt illa verba habeat idemmet Auguſtinus. *Volentes homines* (inquit) *ædificari ſuper homines dicebant*, Ego quidem ſum Pauli, Ego autem Apollo, Ego vero Cephæ, *ipſe eſt Petrus. Et alii quidem volebant ædificari ſuper Petrum, ſed ſuper Petram*. Ego autem ſum Chriſti.

ſervamus quod veritas præcipit dicens : Si Eccleſiam non audierit , ſit tibi tamquam ethnicus & publicanus . Et mox : *Quidquid humiliter facere debui , non omiſi : ſed quia in mea correptione deſpicior , reſtat ut Eccleſiam adhibere debeam .* His in locis Beato Gregorio res eſt cum memorato Epiſcopo, qui ejus monitis obedire nolebat. Minatur vero, quando erratum ipſe ſuum corrigere nolit, de eo ſe ad Eccleſiam relaturum. Ergo S.Gregorio certum atque exploratum erat, dictum illud Chriſti in Evangelio , *Si te non audierit , dic Eccleſiæ* ; ad Petrum non minus , quam ad ceteros Apoſtolos pertinere . Ex quo planiſſime ſequitur , poſt Romani Pontificis Tribunal , aliud in Dei Eccleſia ex inſtitutione Chriſti Tribunal eſſe ſupremum & ultimum, quo alios deferre , & quo ipſe ab aliis deferri poſſit Romanus Pontifex (*a*) . Cum vero neceſſe

(*a*) Sylveſter Papa II. in epiſtula ad Seguinum Archiepiſcopum Senonenſem, decimo ſæculo exeunte: *Conſtanter dico , quod ſi ipſe Romanus Pontifex in fratrem peccaverit , ſæpiuſque admonitus Eccleſiam non audierit : hic , inquam , Romanus Pontifex præcepto Dei eſt habendus ſicut ethnicus & publicanus .* Hanc epiſtulam fruſtra quis quærat cum in editione Papyrii Maſſoni, tum in illa Andreæ Ducheſnii, tum etiam in Bibliotheca Patrum. Sed cum ex ea ſuperius teſtimonium laudarint Joannes Launojus , Natalis Alexander , aliique noſtra & patrum memoria Critici majorum gentium : imo editam a Labbæo Tomo IX. Conciliorum col. 744. teſtetur Illuſtriſſimus Babyloniæ Epiſcopus Dominicus Maria Varletus in *Actu Adpellationis ad futurum Concilium* Amſtelodami edito anno MDCCXXIV. pag. 33. , integram etiam ante Labbæum publicarit Bouchellus Lib. II. *Decretorum Eccleſiæ Gallicanæ* pag. 319. , nec non *Richerius Libro V. adverſus Duvallium cap. IV. pag.* 383. , non videtur de illius auctore nobis amplius dubitandum . Scriptam autem exiſtimo a Sylveſtro II. tum cum adhuc Gerbertus vocaretur , eſſetne Remorum Archiepiſcopus .

eſſe prorſus ſit, hujuſmodi Tribunal ea a Chriſto juriſdictione donatum eſſe, qua poſſit ſubditos quoſque coercere: pari neceſſitate inde conficitur; poteſtatem ipſam immediatius Eccleſiæ datam eſſe, quam Papæ. Quare antiquiores Scholaſtici nunquam *Claves Petri* adpellant, ſed ſemper *Claves Eccleſiæ*. Natalis Alexander Diſſertatione VIII. in Hiſtoriam ſæculi XIV. & XV. numero 53. *Scholaſtici poſt Magiſtrum Sententiarum & S. Thomam claves Eccleſiæ ſemper appellant, non claves S.Petri: quia immediatius Eccleſiæ traditæ ſunt, quam S.Petro, illique commiſſæ ſunt, ut Eccleſiæ perſonam gerenti. Unde ligandi ſolvendique poteſtas in Eccleſia tamquam in ſubjecto proximo reſidet, in Petro & ejus ſucceſſoribus tamquam in ſubjecto remoto.* Confirmatur mirum in modum hæc doctrina ex eo, quod poſtquam Chriſtus in ſingulari numero dixit, *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi tamquam ethnicus & publicanus*: mox in plurali univerſos adloquens hæc ſubjunxit: *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo, &c.* Perinde quaſi ſignificare vellet, poteſtatem ligandi & ſolvendi (quæ ipſa eſt clavium poteſtas) a ſe potiſſimum conferri Corpori Apoſtolorum eorumque ſucceſſorum, qui ut nobiliorem Eccleſiæ partem conſtituunt, ita etiam ab iis maxime denominatur Eccleſia (*a*). Qua de re non poſ-

 ſum

(*a*) Rurſus Cracovienſis inclyta Academia in Tractatu ſupra laudato apud Bulæum Tom.V. pag.497. *Ecce dicit Judicium Eccleſiæ eſſe ſuperius judicio Petri. Et conſequenter ut oſtendat, quale ſit Judicium Eccleſiæ, & quæ ſit ejus poteſtas, ſtatim ſubnectit*: Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælis, &c. *Ecce loquitur Apoſtolis collective & eorum ſucceſſoribus, non ſoli Petro.* Similiter Gerſon Libro *de Poteſtate Eccleſiaſtica*, Conſiderat. IV.

To-

ſum hic non commemorare præclarum S. Auguſtini dictum in Epiſtula ad Glorium & Eleuſium, quæ eſt quadrageſima tertia, in editione Gallorum Benedictinorum. *Ecce putemus illos Epiſcopos* QUI ROMÆ JUDICARUNT, *non bonos judices fuiſſe*. RESTABAT ADHUC PLENARIUM ECCLESIÆ UNIVERSÆ CONCILIUM, *ut ſi male judicaſſe convicti eſſent, eorum ſententiæ ſolverentur* (a).

Hunc

Tomo II. pag. 231. *Nec accipiendum eſt hic*, Dic Eccleſiæ, *id eſt*, *Papæ: quoniam Chriſtus Petro loquebatur, qui non dixiſſet ſibi ipſi. Item quia ſubjunctum eſt pluraliter*: Quæcumque ligaveritis ſuper terram, &c. Matth. XVIII. 18. Almainus circa Deciſiones Ockami Capit. XVIII. In eodem Tomo Gerſonis pag. 1068. *Patet propoſitio. Matthæi XVIII. 18. loquebatur Dominus ad Petrum immediate*: Si peccaverit in te frater tuus, &c. *tandem dicit verſu* 17. Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi tamquam ethnicus & publicanus. *Poſtea ſubjunxit in plurali*, Quæcumque ſolveritis, &c. *Ergo Chriſtus dedit auctoritatem Eccleſiæ cognoſcendi, per hoc quod dicit*, DIC ECCLESIÆ: *& ſic, ut bene dicit Gerſon, non dicit* DIC ECCLESIÆ, *id eſt, Prælatis Eccleſiæ, quia loquebatur Petro, qui non poteſt eſſe accuſator, teſtis, & judex. Ideo ibidem capitur Eccleſia pro aggregatione Prælatorum*. Conſonat omnino Joannes Major Commentariis in Matthæi XVIII. eodem Tomo pag. 1133. *Per illa verba*, Dic Eccleſiæ, *datur poteſtas toti Eccleſiæ, capiendo Eccleſiam pro Prælatis majoribus & minoribus, ſive pro Concilio Generali totam Eccleſiam repræſentante: quia pluraliter ſubjungitur*, Quæcumque alligaveritis ſuper terram, &c.

(a) Nicolaus de Cuſa Lib. II. Cap. XVII. pag. 737. *Ecce ſententiam Auguſtini, ſcilicet poſt judicium etiam Papæ Romani, univerſale Concilium totius orbis ſupereminere approbatorium, vel abſolutorium, etiam in ipſos judices. Quam ſententiam multis in locis ipſe Auguſtinus dicit. Nec habet hoc dubium, cum Chriſtus dicat Petro*: Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus.

Hunc eundem intellectum Evangelici loci videtur nos docere voluiſſe Romana Eccleſia, dum per multas annorum centurias Evangelium hoc de correptione fraterna legi & cantari hoc modo jubebat in Miſſa Feriæ tertiæ poſt Dominicam tertiam Quadrageſimæ. *In illo tempore, Reſpiciens Jeſus in Diſcipulos ſuos, dixit Simoni Petro: Si peccaverit in te frater tuus, &c. Si te non audierit, dic Eccleſiæ, &c.* Quo aperte profitebatur Eccleſia Romana, illud *dic Eccleſiæ*, non minus ad Petrum quam ad reliquos Apoſtolos Dominum retuliſſe: atque ideo retuliſſe etiam ad Petrum, ut eidem ſignificaret, poſt Tribunal ipſius Petri, aliud adhuc extare ſuperius, nempe Eccleſiæ Tribunal; quo & ipſemet Petrus deferre deberet incorrigibiles, & quo ſucceſſores Petri, ſi qui incorrigibiles vel ſcandaloſi exiſterent, deferri deberent a ſubditis.

Centum & ſexaginta anni ſunt, cum monuit celeberrimus e Servorum B. Mariæ Ordine Scriptor Paulus Sarpius in Apologia pro Decretis Reipublicæ Venetæ: in recentioribus Miſſalibus immutatam fuiſſe formam priſtinam proponendi hujus Evangelii. Nam cum antea ſic legeretur, ut ſupra deſcripſimus: *Reſpiciens Jeſus in Diſcipulos ſuos, dixit Simoni Petro: Si peccaverit in te frater tuus, &c.* poſtea ſic fuit immutatum: *Dixit Jeſus Diſcipulis ſuis: Si peccaverit in te frater tuus &c.* Quemadmodum hodie in omnibus Miſſalibus Romanis legitur. Poſt Sarpium idem obſervarunt Theologi Pariſienſes, qui ſub finem ſuperioris ſæculi *Notas* edidere *in Cenſuram Huncaricam*, inter Richerii Opera extantes.

Sarpius p. 101. edit. Venet. 1673.

Nequis vero de fide dubitet ac veritate horum Scriptorum, monitos lectores volo, diligenter a me quæſita eſſe antiqua Miſſalia, quæ in Regia publicaque Bibliotheca Congregationis Oratorii hujus urbis adſervantur: inventa-

que ibi nullo fere negocio omnino ſeptem ante correctiones ſub Clemente VIII. & Paulo V. factas typis commiſſa: in quibus omnibus tale Evangelium Feriæ tertiæ poſt Dominicam tertiam Quadrageſimæ invenitur, quale ex Sarpio ſupra deſcripſimus. *Reſpiciens Jeſus in Diſcipulos ſuos dixit Simoni Petro: Si peccaverit in te, &c.* Sunt autem hæc quæ ſequuntur. Primum: *Miſſale Redonenſe* membranaceum, in fol. Pariſiis, anno MCCCCXCII. Secundum: *Miſſale Trajectenſe*, in fol. Pariſiis anno MDXV. Tertium: *Miſſale juxta uſum Almæ Bracarenſis Eccleſiæ*, in fol. Lugduni, anno MDLVIII. *Sumptibus Joannis a Burgundia Bibliopolæ Regis Luſitanorum*. Unde & illud diſcimus, tempeſtate illa ſuum in Gallia Bibliopolam fuiſſe Regibus noſtris. Quartum: *Miſſale Romanum ſumma reviſum diligentia*, in fol. Venetiis apud *Junctas*, anno MDLXIII. Quintum: *Miſſale Romanum ſumma reviſum diligentia*, in fol. Venetiis anno MDLXIV. Sextum: *Miſſale ſecundum morem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ*, in 8. anno MCCCCXCIII., cujus tamen editionis locum invenire non potui. Septimum: *Miſſale inſignis Eccleſiæ Leodienſis*, in 8. Pariſiis an. MD. Duo hæc poſtrema corio Turcico cærulei coloris ſunt involuta. His Miſſalibus Congregationis Oratorii concors eſt alterum Dominicani Ordinis, quod in alia Bibliotheca Oliſiponenſi inveni Venetiis editum *apud Junctas*, an. MDXC. cum hoc titulo: *Miſſale ſecundum Ordinem Fratrum Prædicatorum, juxta Decreta Capituli Generalis Salmanticæ an. Domini MDLI.* (*a*). Jam

(*a*) Poſt hæc Luſitanice primum edita, tria alia Ritualia offendi ex eadem Bibliotheca Congregationis Oratorii Oliſiponenſis, in quibus ſuperius Evangelium eodem modo legitur. Nempe *Miſſale peran-*

Jam ſi quæras, quidnam illud cauſæ fuerit, quamobrem antiquiſſimam Evangelii lectionem tot ſæculis uſurpatam emendari juſſerit vel Clemens VIII. vel Paulus V.; puto emendandi cauſam aliam non fuiſſe, quam quod animadvertiſſent Romani Correctores, quibus Bellarminus præerat; propoſito ita Evangelio, duo hæc meridiana luce clariora reddi. Primum: ex doctrina Chriſti Judicio Eccleſiæ ſubeſſe Pe-

tiquum de anno MCCCCLXXV. in 8. corio item Turcico ceruleo involutum, in quo priora tamen & poſteriora folia deſiderantur: *Miſſale ſecundum ritum & conſuetudinem almæ Bracarenſis Eccleſiæ*, in 4. Salmanticæ, anno MDXVII., & *Breviarium Romanum a Paulo III. recens promulgatum*, in 4. Pariſiis, anno MDXLII. His vero alia paſſim Ritualia concordare, colliges ex ſequenti teſtimonio nuperi Epiſcopi Antiſſiodorenſis, quod extat Tomo LIII. Collectionis Gallicæ ita inſcriptæ: *Recueil contre la Conſtitution* Unigenitus, pag. 106. Sic enim ille ſcribit in epiſtula ad Epiſcopum Sueſſionenſem, loquens de eodem Evangelio, ſeu de illius ſubjecto: *Tous les Miſſels Latins dont on s' eſt ſervi juſqu' au Concile de Trente, & en particulier celui dont on ſe ſert encore aujourd' hui dans l' Egliſe d' Auxerre, portent expreſſement que c' etoit à Pierre*: Reſpiciens Jeſus in Diſcipulos ſuos dixit Simoni Petro. Colliges etiam ex Richerio Libro I. Defenſionis ſuæ adverſus Duvallium Cap. IV. pag. 137. ita obſervante: *Sic ante nuperam Breviariorum & Miſſalium reformationem a Jeſuitis procuratam, etiam in ipſo Ordine Romano, & nunc hodie Pariſienſi, aliiſque Diœceſibus, quæ Romanum Ordinem integrum non ſervant, extat.* Quod ſi quis traditionis hujus antiquiora deſideret monumenta, legat vetuſtiſſimum Calendarium Eccleſiæ Romanæ a Dominico Georgio Romæ editum anno MDCCLIV. ad calcem Tomi tertii *de Liturgia Romani Pontificis*: (quod Calendarium ille expreſſit e Codice quodam Vaticanæ Bibliothecæ ante annos nongentos manu exarato) & ibi ad tertiam Feriam poſt Dominicam tertiam Quadrageſimæ, indica-

Petrum. Alterum: a Petri Succeſſoribus comprobari Decretum Conſtantienſis Concilii Seſſione V., ubi declaratum fuit, Romanos Pontifices Conciliorum Generalium Legibus ſubjacere. Cum ergo prætenſæ Romanorum Monarchiæ plurimum obeſſe hujuſmodi conſectaria, probe intellexiſſent Bellarminus & Socii: auctores illi fuere Summo Pontifici, ut loco illorum verborum, *Dixit Jeſus Simoni Petro*, legi in poſterum juberet in Miſſalibus hæc: *Dixit Jeſus Diſcipulis ſuis* (a). His enim non ita clare, neque ita manifeſte ſubditus Eccleſiæ Tribunali monſtrabatur Petrus.

Hæc

catum inveniet tale Evangelium: *In illo tempore reſpiciens Jeſus Diſcipulos ſuos dixit Simoni Petro, &c.* In notis autem in hunc locum obſervat idem Dominicus Georgius, tale etiam extare in Codice alio Ottoboniano, & in alio Reginæ Chriſtinæ. Neque aliter invenit in Calendario S. Genovefæ Pariſienſis pluſquam nongentorum annorum Fronto Ducæus anno MDCLI.; & in Capitulario Eccleſiæ Romanæ Cardinalis Thomaſſius ad calcem Antiphonarii: & in Lectionario Bellovacenſi Baluzius ad calcem Capitularium Regum Francorum.

(a) In vulgata quidem editione Matthæi Cap. XVIII. & Lucæ Cap. XVII. ad omnes promiſcue Apoſtolos ſermo Chriſti refertur. Sed quidquid ceteris Chriſtus dixerit, ſibi quoque ipſum dixiſſe intellexit Petrus, qui his auditis ſtatim ita quæſivit a Magiſtro: *Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? uſque ſepties?* Matth. XVIII. 21. De quo videndus omnino Abulenſis Parte altera Defenſorii Cap. 72. & 75. Quod ſi de hoc ſiluiſſet Evangelium, non propterea a Chriſti præcepto excludendus foret Petrus. Nam præter quam quod ſeries ipſa verborum, quibus Chriſtus uſus eſt, Petrum non minus quam ceteros Apoſtolos comprehendit: una cum Romanæ tum aliarum Eccleſiarum traditio tam annoſa, tam conſtans, tam in publicis ipſis Ritualibus commendata: ſatis eſſe de-

be-

Hæc Miſſalium correctio me admonet alterius æque memorandæ, atque ex eadem cauſa factæ: quam proinde ſilentio premere non debemus. Omnia Miſſalia & Breviaria hodierna orationem de Cathedra S.Petri talem exhibent: *Deus qui B. Petro Apoſtolo tuo collatis clavibus Regni Cæleſtis ligandi atque ſolvendi Pontificium tradidiſti, &c.* Atqui antiqua Breviaria ſic exhibebant: *Deus qui B. Petro Apoſtolo tuo collatis clavibus Regni Cæleſtis* ANIMAS *ligandi atque ſolvendi Pontificium tradidiſti, &c.* Talem hanc orationem compoſuit (a) anno Chriſti circiter DCCCL. S. Leo Papa IV. talemque ego inveni

bebat, ut ſic Evangelium intelligere teneremur. Neque enim minor uſque ad Concilium Tridentinum Romanæ Eccleſiæ auctoritas fuit quam poſt illa tempora fuit. Vide Richerium de hac ſpecie fuſè & ſolide diſſerentem Lib. I. adverſus Duvallium Cap. IV. §. 46. & 47.

(a) Hæc auctore Sarpio adfirmavi in editione Luſitana. Poſtea tamen re adcuratius examinata inveni, orationis hujus auctorem multo antiquiorem eſſe S. Leone IV. Nam illam totidem urbis exhibet Sacramentarium S. Gelaſii I., quod ex Codice Reginæ Chriſtinæ ante annos mille exarato edidit Muratorius Tomo I. Rerum Liturgicarum, pag. 652. Sacramentarium item S. Gregorii I., quod ex Codice paris antiquitatis publicarunt Galli Benedictini e Congregatione S. Mauri, Tom. III. Part. I. pag. 29. Necnon Sacramentarium Gallicanum e Bobienſi Codice ejuſdem ætatis a Mabillonio evulgatum Tomo II. *Muſæi Italici* pag. 279. Sarpium profecto in errorem induxit Anaſtaſius Bibliothecarius, qui in vita Leonis Papæ IV. Blanchinianæ editionis Tom. I. pag. 381. ſic de eo ſcribit: *Primam orationem fecit ſuper portam, quæ reſpicit ad S. Peregrinum, cujus finis & initium tale eſt:* Deus qui Apoſtolo tuo Petro collatis clavibus Regni Cæleſtis, ligandi atque ſolvendi Pontificium tradidiſti, &c. De quo loco iſta adnotavit Launojus in epiſtula ad Raymundum Tommen-

ni in Breviariis quatuor, apud eandem Regiam Bibliothecam Congregationis Oratorii examinatis. Nempe in Breviario Eccleſiæ Leodienſis Pariſiis impreſſo anno MDIX. in 8. In alio Lugdunenſi typis Joannis Creſpini, anno MDXXXIX. in 8. In Pariſienſi, quod ita inſcribitur: *Breviarium Romanum a Paulo tertio recens promulgatum*, anno MDXLII. in 4. In illo Bracarenſi, quod anno MDCXXXIV. prælo ſubjiciendum curavit in eadem urbe Dominus Rodericus a Cunia Archiepiſcopus Primas, in 8. (*a*). Ut autem intelligas Breviariis concordare Miſſalia: ſcito vocem illam ANIMAS etiam inveniri in duobus Miſſalibus Romanis ſupra laudatis ex editione Veneta: in illo item Trajectenſi, & in altero Leodienſi. Inveniri præ-

mentinum, quæ eſt XI. Libri VII. Tomo V. P.II. pag. 515. *Non me latet, orationem hanc ab Anaſtaſio Bibliothecario tribui Leoni Papæ IV. Sed Leo potuit illam e Sacramentorum Gregoriano Libro deſumere, & deſumendo ſuam facere, & vocem* ANIMAS *retinere, tametſi ea nunc apud Anaſtaſium non compareat. Sed a ſciolo quodam librario potuit auferri.* Quoquo modo res ſe habeat de Anaſtaſio, illud nullo modo negari poteſt, ante tempora Leonis IV. uſu receptam eſſe in Romana Eccleſia orationem illam de Cathedra S. Petri, in eaque ab initio extitiſſe vocem ANIMAS: neque alio reſpexiſſe poſtea S. Petrum Damiani Cardinalem, cum in Sermone de S. Joanne Evangeliſta ſic locutus eſt: *Tacet is, cui portæ inferi non prævalent, qui ligandi* ANIMAS *atque ſolvendi obtinet principatum.*

(*a*) His recentiora alia ejuſdem Bibliothecæ omnino concinunt. Ut Cluniacenſe de anno MDCLXXXVI. in 8., & Ciſtercienſe de anno MDCCXXXVIII. in fol., illud Pariſiis, hoc Antuerpiæ impreſſum. Quibus Launojus loco ſupra citato adjungit Diurnum Monaſticum Caſſinenſem Venetiis editum apud Junctas anno MDC.

præterea in Romano alio alterius Bibliothecæ, quod ita inſcribitur: *Miſſale Romanum ex Decreto Sacroſancti Concilii Tridentini reſtitutum, Pii V. Pontificis Maximi juſſu editum, Venetiis apud Gratioſum Perchacinum, an. MDLXXIII.* in fol. Item in antiquo Libello Orationum Eccleſiaſticarum, quem penes me habeo cum hoc titulo: *Orationes quæ in univerſali Eccleſia per totum mundum decantantur, nunc denuo collectæ & ad unguem caſtigatæ. Apud inclytam Antiquariam. Anno MDLXXIII.* in 8. (*a*).

Quod ſi quis ex me jam percontetur, cur ex omnibus hodiernis Miſſalibus & Breviariis ſublata fuerit vox illa ANIMAS: dico id eſſe apertiſſimum. Nam ſi dicas, ANIMAS *ligandi atque ſolvendi*, palam eſt, clavium poteſtatem verſari circa ſolas animas, valereque tantum in foro conſcientiæ, utpote mere ſpiritualem. Sublata vero voce ANIMAS, adhuc locus

(*a*) His Launojus addit a ſe viſa Miſſale Romanum Pariſiis cuſum apud Franciſcum Reginaldum anno MDXX., & aliud item Romanum a Paulo III. reformatum, & anno MDXLIV. Lugduni typis commiſſum apud Guillelmum Rovillium. Cuſis autem Libris cohærere manu exaratos, ſupra oſtendi ex Sacramentariis Gelaſiano, Gregoriano, & Gallicano. His nunc addo ex eadem Bibliotheca noſtra Oliſiponenſi, Miſſale membranaceum oblongum & vetuſtum, anno MCCCCLXXVIII. ſcriptum a Carthuſiano quodam Gallo. Addo & Antiſſiodorenſis Eccleſiæ antiqua Ritualia Mss., de quibus ita teſtatur anonymus Auctor Operis inſcripti *Le Cri de la Foi*, Tom. 3. pag. 234. *Il n'eſt pas un ſeul de ces Miſſels, que n'ait retenu le fameux mot* ANIMAS, *dans l'oration de la Fete de la Chaire de S. Pierre: & ils ſont conformes en ce point aux plus anciens Sacramentaires ou Collectaires Romains, publiez à Rome par I. Carus an.* 1683. Nemo autem ignorat, ſub Cari nomine latere voluiſſe Cardinalem Thomaſſium.

cus datur comprehendendis ſub clavium poteſtate etiam corporibus ipſis, & terrenis bonis. Quæ ipſiſſima eſt indirecta, quam vocant, poteſtas in Temporalia Regum & Principum ſæcularium; quam tanto conatu Romano Pontifici adtribuere volunt Bellarminus ceterique Jeſuitæ.

Ars illa eſt Romanæ Curiæ omnibus nota, ut quidquid veterum vel recentiorum monumentorum uſpiam occurrit, quod novis ejus conſiliis aliqua ratione poſſit officere, id mox quamdiligentiſſime ſupprimatur. Ut notiora alia prætermittamus, in editionibus Concilii Tridentini ſuppreſſere Romani ſententiam trium Epiſcoporum, qui finito Concilio pronuntiarant, minime opus eſſe confirmatione Pontificia. Id quod plane demonſtrat Richerius, collata Romana editione anni MDLXIV. cum Pariſienſi illa, quam eodem anno Tridento in patriam reverſus evulgavit Gentianus Hervetus Gallus Theologus: & cum altera illa Antuerpienſi ejuſdem anni ex officina Martini Nucii (a). Suppreſſere anno MDCLX. editum ab Lu-

(a) Tum Pariſienſis, tum Antuerpienſis editio illa primæva, Moronum Cardinalem Pontificis Legatum, ante acclamationes Patrum, ita loquentem inducit: *Placuit omnibus Patribus finem huic Sacro Concilio imponi, confirmationemque a SS. Domino noſtro peti*, TRIBUS DUMTAXAT EXCEPTIS, QUI CONFIRMATIONEM SE NON PETERE DIXERUNT, &c. Romana autem editio ejuſdem anni ab Aldo Manutio procurata, & quæ eodem anno prodiit Compluti ex officina Andreæ de Angulo, (utramque penes me habeo e Bibliotheca Congregationis Oratorii) pericopen illam *Tribus dumtaxat exceptis*, &c. de induſtria omiſit. Et tamen Cardinalis Pallavicinus in Hiſtoria Concilii Tridentini Lib. XXIV. Cap. 8. contendit, poſtulandæ confirmationi unum tantum ex Patribus interceſſiſſe, nempe Archiepiſcopum Grana-

Luca Holſtenio *Librum Diurnum Romanorum Pontificum*: atque illum quidem eo conatu ſuppreſſere, ut tria etiam folia, quæ Holſtenius ipſe Roma Pariſios miſerat, per Cœlium Picolimineum Pontificis in Gallia Oratorem ex Illuſtriſſimo Petro de Marca auferenda curarent. Et revera ablata eſſe, teſtatur Baluzius in Notis ad Libros de *Concordia* tertiæ editionis, quæ eſt Pariſienſis de anno MDCCIV. pag. 55. Cauſa vero tantæ contentionis erat, quod Diurnus ille, unde per multa ſæcula ritus ſuos Roma didicerat, inter alia monumenta complectebatur jusjurandum illud, quo ſe ſinguli Pontifices obſtringere ſolebant, de obſervandis inviolabiter Canonibus & Legibus Conciliorum Generalium. Complectebatur Honorium Papam I. ut hæreticum vel fautorem Monothelitarum in Sexta Generali Synodo condemnatum. Complectebatur bene multa alia, quæ antiquitus quidem apud omnes in confeſſo erant: hodie tamen Romanæ Curiæ non probantur. Patuere autem omnia, ubi Librum illum Diurnum ex Gallicis Mss. iterum publicavit Joannes Garnerius Jeſuita Pariſiis anno MDCLXXX., quam ego editionem ſæpe evolvi.

XVIII. Ceterum hanc Petri ſubjectionem reſpectu Eccleſiæ, (id enim eſt argumentum noſtrum præcipuum) nemo melius explicavit, quam S. Auguſtinus: qui illud paſſim inculcat, ſpiritualem poteſtatem totam a Chriſto datam eſſe Eccleſiæ, utpote quam ipſe potiſſimum reſpiceret, cum vel Petrum vel alios Apoſtolos adloquebatur. Libro *de Agone Chriſtiano*, Capite 30. *Non ſine cauſa*, inquit, *inter omnes Apo-* *Auguſt. Tom. VI. pag. 260.*

natenſem; adeoque falli vehementer Sarpium, dum tres memorat. Verum ea in re credendum potius Gallo teſti, quam Italo, quis non videt?

poſtolos hujus Eccleſiæ Catholicæ perſonam ſuſtinet Petrus. Huic enim Eccleſiæ claves Regni Cælorum datæ ſunt, cum Petro datæ ſunt: & cum ei dicitur, ad omnes dicitur, Amas me, paſce oves meas. Tractatu CXXIV. in Joannem num. 5. *Eccleſiæ Petrus Apoſtolus propter Apoſtolatus ſui primatum gerebat figurata generalitate perſonam. Quod enim ad ipſum prope pertinet, natura unus homo erat, gratia unus Chriſtianus, abundantiore gratia unus idemque primus Apoſtolus. Sed quando ei dictum eſt, Tibi dabo claves Regni Cælorum, &c. univerſam ſignificabat Eccleſiam, quæ fundata eſt ſuper Petram, unde Petrus nomen accepit.* Et infra: *Eccleſia ergo quæ fundatur in Chriſto, claves ab eo Regni Cælorum accepit in Petro, id eſt, poteſtatem ligandi ſolvendique peccata. Quod enim eſt per proprietatem in Chriſto Eccleſia, hoc eſt per ſignificationem Petrus in Petra, qui ſignificatione intelligitur Chriſtus Petra, Petrus Eccleſia.* Et Sermone CCXCV. qui in antiquioribus editionibus eſt CVIII. *de Diverſis*, num. 2. *Non inter diſcipulos ſolus meruit paſcere Dominicas oves. Sed quando Chriſtus ad unum loquitur, unitas commendatur: & Petro primitus, quia in Apoſtolis Petrus eſt primus.* Et rurſus: *Solus Petrus totius Eccleſiæ meruit geſtare perſonam. Propter ipſam perſonam quam totius Eccleſiæ ſolus geſtabat, audire meruit: Tibi dabo claves Regni Cælorum.* HAS ENIM CLAVES NON HOMO UNUS, SED UNITAS ACCEPIT ECCLESIÆ. Et mox: *Ut noveritis Eccleſiam accepiſſe claves Regni Cælorum . . . audi quid Petro dicatur, quid omnibus Fidelibus ſanctis: Si te non audierit, refer ad Eccleſiam. Amen dico vobis, quia quæ ligaveritis in terra, &c. Columba ligat, columba ſolvit, ædificium ſupra Petram ligat & ſolvit.* Sermone vero CXLIX. qui numerari ſolet XXIV. *de Diverſis*, in hunc modum ſcribit idem Auguſtinus: *Petrus multis lo-*

Tom. III. pag. 822.

Tom. V. p. 1195.

Tom. V. p. 706.

cis Scripturarum apparet, quod perſonam geſtet Eccleſiæ, maxime in loco, ubi dictum eſt, Tibi trado claves Regni Cælorum, &c. Numquid iſtas claves Petrus accepit, & Paulus non accepit? Petrus accepit, Joannes & Jacobus non accepit? Sed quoniam in ſignificatione perſonam Petrus geſtabat Eccleſiæ, quod illi uni datum eſt, Eccleſiæ datum eſt. Ergo Petrus figuram geſtabat Eccleſiæ, Eccleſia corpus Chriſti eſt. His gemina tradunt S. Cyprianus, S. Hieronymus, S. Leo I., Venerabilis Beda, aliique Patres, quos deſcribunt Joannes Launojus Libro II. Epiſtula 5., Simon Vigorius Libro *de Monarchia* paullo poſt initium: Ludovicus Dupinus Diſſertatione VI. §. I. & Natalis Alexander Diſſertatione VIII. in Hiſtoriam ſæculi XIV. & XV. num. 53.

Launoj. Tom. V. P. I. p. 213. Vigorius p. 10. Dupinus p. 379. Natalis To. VIII. p. 526.

XIX. Ex hac Sanctorum Patrum doctrina probi Theologi colligunt primo: proprietatem quidem & veluti dominium juriſdictionis ſpiritualis, totam omnino eſſe penes Corpus Eccleſiæ; uſum vero ſive exercitium hujus juriſdictionis eſſe penes Papam & Epiſcopos, ut Miniſtros ſive Executores ipſius Eccleſiæ. Joannes Gerſon Pariſienſis Cancellarius in Libro *de Modis uniendi & reformandi Eccleſiam*, Capite II. *Eccleſia Romana, cujus caput Papa creditur, longe minoris auctoritatis videtur eſſe univerſali Eccleſia. Et eſt quaſi inſtrumentalis & operativa clavium univerſalis Eccleſiæ, & executiva poteſtatis ligandi & ſolvendi ejuſdem*. Paullo ante id præmiſerat Gerſon: *Huic ſoli Eccleſiæ univerſali eſt poteſtas ligandi & ſolvendi tradita. Quia dato quod nullus Papa eſſet, adhuc aliquis fidelium, remedium ligandi & ſolvendi veniret*. Idem in Libro *de Poteſtate Eccleſiaſtica*, Conſid. XI. *Poteſtas Eccleſiaſtica in ſua plenitudine eſt in Eccleſia ſicut in fine, & ſicut in regulante applicationem & uſum hujuſmodi plenitudinis Eccleſiaſticæ poteſtatis per ſe ipſam vel*

Gerſon Tom. II. p. 163.

Ibid. p. 243.

per generale Concilium. Propterea loquitur Auguſtinus cum aliis quibuſdam, quod claves Eccleſiæ datæ ſunt non uni, ſed unitati, & quod datæ ſunt Eccleſiæ.

Ne quis autem exiſtimet, ſolis Gallis Theologis probari hanc doctrinam; audiat Æneam Silvium Cardinalem Senenſem, qui poſtea fuit Papa Pius II. in Commentario de Geſtis Concilii Baſileenſis: ubi poſtquam retuliſſet, quo modo verba Chriſti Petro loquentis interpretatus fuerit S.Auguſtinus loco ſupra memorato Libri *de Agone Chriſtiano:* mox ita proſequitur: *Quibus ex verbis tabularum noſtrorum fundamenta concutiuntur ac penitus evertuntur. Quoniam ſi perſonam Eccleſiæ Petrus ferebat, non Petro, ſed Eccleſiæ vim illorum verborum debemus adſcribere.*

Silvius ex edit. Pinſonii poſt Pragmaticam Sanctionem p. 776.

Audiat Antonium de Roſellis, Sigiſmundi Imperatoris & Eugenii Papæ IV. Conſiliarium, natione Italum, patria Aretinum, in Opere *de Monarchia*, Parte III. Capite 26. *Chriſtus Eccleſiam videtur conſtituiſſe non in ſolo Petro, ſed in omnibus Apoſtolis, juxta verba Pſalmiſtæ: Fundamenta ejus in montibus ſanctis. Si igitur Eccleſia fuit conſtituta non in ſolo Petro, potius ipſam in omnibus Apoſtolis conſtituit, licet in Petro ut in uno ſignificative & figurative, quæ tamen erat in omnibus Apoſtolis ſubſtantialiter, principaliter, & effective, juxta illud Auguſtini ſuper Joannem: Petrus quando claves accepit, Eccleſiam ſanctam ſignificavit. Ex quo ſequitur, quod ſubſtantialiter & effective poteſtas clavium eſt in Eccleſia, & in Petro ſignificative, & ſubſtantialiter una cum aliis.*

De Roſellis ex edit. Goldaſti Tom. I. p. 432.

Audiat Patres Generalis Concilii Piſani in Epiſtula ad Antipapam Petrum de Luna, anno MCCCCVIII. *Eccleſiæ unitati claves a Chriſto conceſſæ ſunt.*

Harduinus Tom. II. p. 82.

Audiat Franciſcum Zabarellam Cardinalem Florentinum ſub Joanne Papa XXIII. in Tracta-

ſtatu *de Schiſmate*, paullo ante Concilium Conſtantienſe compoſito. *Id quod dicitur, quod Papa habet plenitudinem poteſtatis, debet intelligi non ſolus, ſed tamquam apud univerſitatem. Ita quod ipſa poteſtas eſt in ipſa univerſitate tamquam in fundamento, & in Papa tamquam in principali miniſtro, per quem hæc poteſtas explicatur.* Et infra: *Univerſitas totius Eccleſiæ numquam ita potuit transferre ipſam poteſtatem in Papam, ut deſineret eſſe penes ipſam: quia hoc eſſet contra jus divinum & contra exempla Apoſtolorum.*

Zabarella p.559. edit. Argent.1609.

Ibid. p. 567.

Audiat illuſtrem Hiſpanum Alphonſum Toſtatum Epiſcopum Abulenſem ſub Eugenio IV. in Quæſtione XLVIII. in Caput decimumquintum Numerorum: *Claves datæ ſunt a Chriſto toti Eccleſiæ. Quia tamen non poterat tota Eccleſia diſpenſare illas, cum non eſſet aliqua perſona, ſed communitas, tradidit eas Petro nomine Eccleſiæ.* Et infra: *Petro & aliis Apoſtolis non fuerunt datæ claves*, TAMQUAM DETERMINATIS PERSONIS, SED TAMQUAM MINISTRIS ECCLESIÆ. Et in ſequenti Quæſtione: *Eccleſia ſuſcepit claves a Chriſto, & Apoſtoli tamquam miniſtri Eccleſiæ: & nunc Eccleſia illas habet, & Prælati etiam: ſed aliter Eccleſia quam Prælati. Nam Eccleſia illas habet ſecundum originem & virtutem: Prælati autem habent ſecundum uſum earum. Exemplum hujus patet in domino rei & uſufructuario.*

Abulenſis Tomo V. p.357.

Audiat Hiſpanum alium ejuſdem ætatis, nempe Andream Eſcobarium ex Ordine Benedictino Epiſcopum Megarenſem, qui antequam hac dignitate ornatus eſſet a Nicolao Papa V. Conſtantienſi & Baſileenſi Concilio ut Theologus interfuerat: & dum Baſileæ commoraretur, doctiſſimum ibi Tractatum elucubratus eſt, *Gubernaculum Conciliorum*, Juliano de Cæſarinis Cardinali Concilii Præſidi dedicatum, & ſub finem ſuperioris ſæculi publicatum ab

Hermanno Hardtio in Hiſtoria Concilii Conſtantienſis. In prima igitur Parte hujus Tractatus, Capite II. ita differit Epiſcopus Megarenſis: *Plenitudo poteſtatis Papalis non fuit data Petro, ut Petro: ſed fuit data univerſali Eccleſiæ, quæ erat per ſignificationem tota in Petro.* Et infra: *Quando Petrus claves accepit, has potius tota Eccleſia ſuppoſitaliter accepit in ipſo Petro, ſive per ipſum Petrum: & ipſe Petrus claves accepit in typo, myſtice, & miniſterialiter ab ipſa Eccleſia univerſali. Claves enim quas Eccleſia non poterat per omnes exercere univerſaliter, voluit quod exequerentur per Petrum & ejus ſucceſſores particulariter. Et iſta eſt mens Hieronymi & Auguſtini, ut iſti dicunt, & ſuperius ſcripſi.*

Hard. Tom. VI. pag. 147.

Ibid. p. 162.

Audiat totam Cracovienſem Academiam, de hac re mentem ſuam aperientem juſſu Ladislai Poloniæ Regis, anno MCCCCXL. *Hæc poteſtas juxta doctrinam Apoſtoli I. Cor. 12. videtur omnibus ineſſe membris ſive toti corpori, non autem uni membro tantum. Dicit enim Apoſtolus*, Corpus non eſt unum membrum, ſed multa. *Apparet igitur quod poteſtas Eccleſiæ ſe ipſam conſervandi, regendi, & tuendi, inſit corpori, ſive omnibus membris ſimul, non autem quod ex unico membro dependeat in totum.* Et infra: *Eccleſia eſt corpus Chriſti myſticum organicum fide Chriſti animatum. Cum ergo Papa non ſit corpus hoc quod eſt Eccleſia, ſed unum ex membris ipſius, juxta doctrinam Apoſtoli: ſequitur quod Papa eſt pars iſtius corporis, & ipſa Eccleſia eſt quoddam totum. Communis autem animi conceptio eſt: Omne totum eſt majus ſua parte. Ergo Eccleſia quæ eſt quoddam totum, major eſt & excellentior ipſo Papa.*

Hiſt. univerſ. Pariſ. Tom. V. p. 494.

Ibid. p. 502.

Audiat Nicolaum de Cuſa Cardinalem e Germania, Brixienſemque in Italia Epiſcopum, qui anno MCCCCL. florebat, in Libro II. *de Concordantia Catholica*, Capite 18. *Poteſtas ligandi*

Cuſa p. 738.

gandi & ſolvendi, & infallibilitas & indeviabilitas propter Chriſti aſſiſtentiam, eſt in ipſa Catholica vera Eccleſia. Cum autem Romanus Pontifex ſit membrum illius Eccleſiæ quæ corpus Chriſti eſt: & infallibilitas NON CUILIBET MEMBRO, SED TOTI ECCLESIÆ PROMISSA EST: *tunc non eſt dubium, quod poteſtas indeviabilis totius Eccleſiæ eſt ſupra poteſtatem Romani Pontificis: quamquam ab eodem principio poteſtas tam Eccleſiæ quam Papæ fluat.*

Audiat denique Patres Generalis Concilii Baſileenſis fere tercentos, in Reſponſione Synodali Legatis Papæ Eugenii IV. data anno MCCCCXXXII. *Et ſi Papa major ſit in Eccleſia, non tamen major eſt tota Eccleſia. Uni autem quare dictum eſt*, Tibi dabo claves regni Cælorum, *Sancti Doctores exponunt, ut unitatem deſignaret Eccleſiæ: & ideo exordium ab unitate proficiſcitur, ut Eccleſia Chriſti una eſſe demonſtretur: & Petrus quando claves accepit, ut dicit Auguſtinus, Eccleſiam ſignificavit* . . . ., IPSA ENIM ECCLESIA UNUS EST PRINCEPS, ET UNITATI FIDELIUM, NON SINGULIS, HÆC JURISDICTIO A DOMINO CONCEDITUR: *& ideo ab uno incipere voluit, ut unitatem atque unanimitatem deſignaret*. Obſervandum porro eſt, doctrinam hanc a Baſileenſibus Patribus evulgatam eſſe ſtatim poſt Seſſionem II. cum adhuc Eugenio IV. adhærerent, Præſide Juliano de Cæſarinis Cardinale ab ipſo Eugenio deſinato. Unde vel ipſe Bellarminus fatetur Lib. III. *de Eccleſia*, Cap. 16. ante Seſſionem XXVII. an. MCCCCXXXVII. habitam, (in qua Patres ipſi ſeſe ab obedientia Eugenii retraxere) nec illegitimum nec ſchiſmaticum fuiſſe Concilium Baſileenſe. Atque idipſum prior jam declararat idem Eugenius IV. in Bulla *Salvatoris*, & in Bulla *Expoſcit debitum*: quæ Latinis Actis Concilii Florentini ſolent præfigi.

To. XVII. Concil. p. 459.

Concil. Tom. X. p. 851. & 912.

XX. Colligunt ſecundo iidem Theologi: Papatum quidem & Epiſcopatum eſſe juris divini: nihilominus tamen penes Eccleſiam poteſtatem eſſe moderandi & circumſcribendi, (quemadmodum reipſa moderata eſt, & circumſcripſit per ſuos Canones) uſum & exercitium poteſtatis ſpiritualis ſuorum Miniſtrorum, nempe Papæ & Epiſcoporum: præcipiendi item, (quemadmodum reipſa præcipit) nequis præſcriptos ſibi limites tranſgrediatur, neve alter in alterius jura invadat. Hanc enim Eccleſiam, quæ in congregatione conſiſtit omnium fidelium (*a*), & quam Chriſtus potiſſimum reſpexit, quando Petro ceteriſque Apoſtolis claves tradidit ſpiritualis poteſtatis: hanc Eccleſiam, inquam, ipſi

(*a*) Cum audis Eccleſiam, quæ in fidelium univerſitate conſiſtit, dominam eſſe clavium ſpiritualis poteſtatis: cave horum Theologorum doctrinam confundas cum doctrina Queſnellianæ Propoſitionis XC. ubi in conſortium juriſdictionis a Chriſto inſtitutæ Matthæi XVIII. ipſis Paſtoribus conjunguntur & laici. Nam toto cælo diſtat a doctrina Queſnello adtributa doctrina ſacræ Facultatis Pariſienſis, totiuſque Eccleſiæ Gallicanæ, quam hic tuemur. Queſnellus enim ejuſque diſcipuli illud *Dic Eccleſiæ* ſic de tota fidelium univerſitate intelligere dicuntur, ut velint ad excommunicationem ferendam opus eſſe conſenſu ſaltem tacito ipſius multitudinis, quaſi ipſa juriſdictio, ejuſque exercitium pro foro exteriori non minus ſpectet ad laicos, quam ad Epiſcopos & Sacerdotes. Contra Pariſienſes Auguſtinum totamque antiquitatem ſecuti docent, Eccleſiæ quidem ex omnibus fidelibus conſtanti datas eſſe a Chriſto claves: ſed ita pro omnibus & in omnes datas, ut jus ipſius poteſtatis, & exercitium illius formaliter non reſideat niſi penes Corpus Paſtorum, quos inter eminent Romanus Pontifex, ſicut inter Apoſtolos eminebat Petrus. Hoc ſenſu dixit Cyprianus in epiſtula LXXIII. edit. Baluz. pag. 132. *Eccleſia una eſt, quæ tenet & poſſidet omnem Sponſi ſui & Domi-*

ipſi docent eſſe veluti dominam iſtarum clavium: Papam vero ceteroſque Epiſcopos eſſe veluti Miniſtros & Executores earundem: Joannes Gerſon in eodem loco ſupra indicato: *Papa*, inquit, *de recta conſcientia non majorem habet, nec habere poteſt auctoritatem & executionem poteſtatis, quam ſibi ab univerſali Eccleſia conceditur*. Et in Sermone Sabbati Palmarum: *Eccleſia vel Generale Concilium, quamvis non poſſit tollere plenitudinem poteſtatis Papalis a Chriſto ſupernaturaliter collatæ:* POTEST TAMEN USUM EJUS LIMITARE SUB CERTIS REGULIS AC LEGIBUS *in ædificationem Eccleſiæ, propter quam Papalis auctoritas & altera hominis collata eſt: & in hoc eſt totius Eccleſiaſticæ reformationis ſtabile fundamentum*.

Gerſon Tom. II. p. 164.

Ibid. p. 205.

Petrus de Alliaco Cardinalis & Epiſcopus

mini poteſtatem. In hac præſidemus. Eodem ſpectat præclarum illud Auguſtini dictum Serm. CCXCV. alias Sermone XIII. *de Diverſis* Tom. V. pag. 1199. *Eja fratres, aliquod pro tempore volo dicere. Quod Petro commendatum eſt, quod Petro mandatum eſt*, NON PETRUS SOLUS, SED ETIAM ALII APOSTOLI AUDIERUNT, TENUERUNT, SERVAVERUNT: *maxime ipſe conſors ſanguinis & diei Apoſtolus Paulus. Audierunt iſta, & ad nos audienda tranſmiſerunt*. PASCIMUS VOS, PASCIMUR VOBISCUM. Rurſus ad calcem ejuſdem Sermonis: *Ergo commendavit nobis Dominus oves ſuas*, QUIA PETRO COMMENDAVIT. *Commendavit nobis oves Dominus*: OVES IPSIUS ESTIS, VOBISCUM OVES SUMUS; *jam diximus*, PASCIMUS ET PASCIMUR. Lege omnino Richerium *de Eccleſiaſtica & Politica Poteſtate* Demonſtratione Capitis I. & Capitis II. Natalem Alexandrum Diſſertatione VIII. in Hiſtoriam ſæculi XV. Art. III., & Benedictinum Anonymum, qui *Explicationes plurimorum Textuum Difficilium Sacræ Scripturæ* Gallice edidit Pariſiis anno MDCCXXX. Explicatione textus Matthæi XVIII. §. XIV. & ſeqq.

Alliac. inter Opera Gerſon. Tom. II. p. 950. Cameracenſis in Libro *de Auctoritate Eccleſiæ, Concilii Generalis, & Papæ*, Parte III. Cap. I. *Plenitudo poteſtatis eſt in Papa tamquam in ſubjecto ipſum recipiente & miniſterialiter exercente: eſt in Eccleſia univerſali, tamquam in objecto ipſam cauſaliter & finaliter continente: eſt in Generali Concilio*, TAMQUAM IN EXEMPLO IPSAM REPRÆSENTANTE ET REGULARITER DIRIGENTE. *Quia ſi Papa uteretur hac poteſtate ad deſtructionem Eccleſiæ, Generale Concilium eſt exemplum vel ſpeculum dictam univerſam Eccleſiam repræſentans, & ejus vice & nomine abuſus hujuſmodi poteſtatis coercens, regulans, & dirigens*. Et *Ibid. p. 959.* Cap. IV. *Tam de jure humano quam divino concedendum eſt, Papam poſſe ab univerſali Eccleſia vel a Generali Concilio in multis caſibus judicari & condemnari, & ab eo ad Concilium multis in caſibus poſſe appellari*.

Thomas de Corcellis, Caroli VII. Gallorum Regis apud Baſileenſem Synodum Theologus, quem Æneas Silvius *Virum* adpellat *doctrina juxta mirabilem & amabilem*: in graviſſima illa Oratione de hoc argumento habita in Bituricenſi Conventu anno MCCCCXL. quam deſcribit Pithœus inter Probationes Libertatum Eccleſiæ Gallicanæ Capite XII. num. 4. *Pithœus p. 47.* *Totum Collegium Apoſtolorum beatorum ita practicavit, quoniam poſt declarationem habitam in ſuo Concilio Jeroſolymitano, non dicebant ſic in concluſione*, Viſum eſt Petro, *ſed* Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis*: nec dicebant ita*, Placet Petro, *ſed* Placuit Apoſtolis & Senioribus cum omni Eccleſia: *attribuentes Spiritui Sancto & toti Concilio auctoritatem ejus, quod ibidem decretum erat*.

Cardinalis de Cuſa, Lib. II. *de Concordantia Catholica*, Capite 34. *Cuſa p. 772.* *Non fuit Petrus ex illo Primatu Eccleſia major: quoniam ipſe ab Eccleſia & propter eam nominatur, ſecundum Augu-*

ſtinum & alios Doctores. QUARE ILLA MAJORITAS NON FUIT MAJORITAS SUPRA, SED INFRA ECCLESIAM. *Unde licet os ſive caput eſſet Apoſtolorum & Eccleſiæ, & ejus nomine proponeret & reſponderet: tamen nihilo minus tamquam membrum ſubfuit. Quare in medio fidelium ſurgens in reverentiam Eccleſiæ locutus eſt, & paſſus eſt ſe mitti in Samariam ab ipſa, Act. VIII.* Et mox *Si propter Eccleſiam Petrus a Petra dictus eſt, & Eccleſia non eſt niſi unio fidelium: recte propter unionem fidelium & ob tollendum ſchiſma præſidentia eſt, quare unitas fidelium eſt illa, ad cujus ſervitium & obſervantiam præſidentia eſt ſuper ſingulos. Hinc unitas fidelium, quam nos Eccleſiam dicimus, ſive univerſale Concilium Catholicæ Eccleſiæ illam repræſentans*, EST SUPRA SUUM MINISTRUM AC SINGULAREM PRÆSIDEM. Jam a Capite 17. ejuſdem Libri hæc præmiſerat idem Cardinalis: *Quis dubitare poteſt ſanæ mentis univerſale Concilium abſque diminutione veræ poteſtatis & privilegii Sedis Apoſtolicæ, tam in abuſum, quam in abutentem poteſtatem habere pro ſui ipſius conſervatione? Quare univerſaliter dici poteſt, univerſale Concilium habere poteſtatem immediate a Christo, & eſſe omni reſpectu tam ſupra Papam, quam ſupra Sedem Apoſtolicam. Et hanc ſententiam probant plura geſta & Canones & rationes.* Ibid. p. 736.

Alphonſus Toſtatus Epiſcopus Abulenſis Parte altera *Defenſorii*, Capite 69. *Manifeſtum eſt auctoritatem Eccleſiæ eſſe majorem auctoritate Papæ: cum illa non poſſit errare nec in fide nec in moribus: iſte autem in utraque errare poteſt, & ſæpe repertum eſt, quod Summi Pontifices in utraque erraverint. Ob hoc autem* CHRISTUS CONSTITUIT SUPREMUM TRIBUNAL IN ECCLESIA IN SACRO CONCILIO ETIAM SUPRA PAPAM. Abulenſ. To. XXV. p. 138. & 139.

Andreas Eſcobarius Epiſcopus Megarenſis Parte Sexta memorati Tractatus, quod *Gubernaculum Conciliorum* inſcribitur, Capite III. *Concilium* Hartd. Tom. VI. p. 266.

cilium non ſubjicitur Juri poſitivo, cum habeat plenitudinem poteſtatis, & ſit a Jure divino immediate, ut dictum eſt. Quæ poteſtas ligandi & ſolvendi eſt in ipſa univerſitate univerſalis Eccleſiæ. Quæ Eccleſia ſuperiorem non habet niſi Deum, nec ſubjicitur legi poſitivæ. Quæ Eccleſia etiam non potuit transferre ſuam poteſtatem in ipſum Papam totam, in tantum quod deſineret eſſe penes eam. Quia hoc eſſet contra jus divinum, & contra exempla Apoſtolorum. Et Parte IX. Cap.I.

Ibid. p. 301. *Ex quibus ſequitur, quod ſimpliciter & ſine additione debet teneri & credi, quod poteſtas Eccleſiæ in omnibus eſt major, quam poteſtas Papæ, in auctoritate, in juriſdictione, & in executione.*

Dionyſius Carthuſianus Scriptor e Belgio ejuſdem ſæculi XV., quo Toſtatus floruit, in Tractatu *De Auctoritate Papæ & Concilii*, Art.XXVII.

Carthuſ. Tom. X. fol. 340. verſ. edit. Colon. 1532. *In his quæ proprie ac directe ſpectant ad forum Generalis Concilii, Concilium videtur eſſe ſuper Papam, ita quod Concilium dando voces ſuas ſeu vota, eſt liberum, nec Papa poteſtatem coercitivam habet ſuper illud in hujuſmodi cauſis, magiſque ſtandum determinationi Concilii Generalis quam Papæ.* Rurſus Art. XXXI. *Porro hæ cauſæ ſunt extirpatio hereticæ pravitatis ac ſchiſmatis, declaratio fidei, atque editio ſymboli ejus, univerſalis reformatio Eccleſiæ in capite & in membris ejus. Itaque in expeditione iſtorum major dicitur poteſtas Concilii Generalis quam Papæ. Quoniam Chriſtus promiſit Eccleſiæ ſeu Concilio ipſam repræſentanti infallibilem directionem & glorioſam aſſiſtentiam inceſſantem. Unde & Papa in talibus tenetur ſtare determinationi Eccleſiæ ſeu ſtatutis Concilii, tamquam ordinationi ac ſententiæ Spiritus Sancti.* CUMQUE PAPA POSSIT ERRARE IN FIDE ET MORIBUS, AC CETERIS QUÆ SUNT DE NECESSITATE SALUTIS, EJUS JUDICIO NON VIDETUR ULTIMATE AC CERTITUDINALITER STANDUM IN ISTIS: CUM NON SIT INFALLI-

Ibid. fol. 541. verſ.

BI-

bilis regula, neque indeviabile fundamentum. Ita judicabat & ſcribebat vir ille, quem ut virtutibus & miraculis clarum, publico cultu proſequitur totus Ordo Carthuſianus: quemque propterea Sanctorum albo adſcripſere Bollandiani Patres *Actis Sanctorum*, die XII. Martii.

XXI. Colligunt tertio noſtri Theologi: quandoquidem tota vis & auctoritas Eccleſiæ univerſalis inſit Generali Concilio, utpote totam Eccleſiam Catholicam repræſentanti: ubi ab ipſo Concilio Generali præſcripti ac deſignati fuerint limites tam Papatus, quam Epiſcopatus: præſcripta item cetera Diſciplinæ & Reformationis Eccleſiaſticæ capita: non poſſe Papam, nec poſſe Epiſcopos ultra hos limites excurrere: quemadmodum nec Papa nec Epiſcopi adverſari iis poſſunt, quæ de Fide & moribus definita fuerint a Generali Concilio legitime coacto & celebrato. Conſectarium hoc diſſertiſſime definitum eſt a Generali Concilio Conſtantienſi Decreto illo Seſſionis V., quod ita habet: *Primo declarat hæc Sancta Synodus Conſtantienſis, quod ipſa in Spiritu Sancto legitime congregata, Generale Concilium faciens, & Eccleſiam Catholicam repræſentans, poteſtatem a Chriſto immediate habet, cui quilibet cujuſcumque ſtatus vel dignitatis, etiamſi Papalis exiſtat, obedire tenetur in his, quæ pertinet ad fidem, & extirpationem ſchiſmatis, ac generalem reformationem Eccleſiæ Dei in capite & in membris. Item declarat, quod quicumque cujuſcumque conditionis, ſtatus, vel dignitatis, etiamſi Papalis exiſtat, qui mandatis, ſtatutis, ſeu ordinationibus, & præceptis hujus Sanctæ Synodi, & cujuſcumque alterius Concilii Generalis ſuper præmiſſis, ſeu ad ea pertinentibus obedire contumaciter contempſerit: niſi reſipuerit, condignæ pœnitentiæ ſubjiciatur, & debite puniatur, &c.*

Hardius in Hiſt. Concil. Conſtant. Tom. IV. p. 98.

XXII.

XXII. Concilium hocce ejuſque Definitiones confirmavit Papa Martinus V. Bulla *Inter cunctas*, Seſſione XLII. edita: ubi eos qui ab hæreſi ad Eccleſiam venerint, hoc modo interro-

Hartd. Tom. IV. p. 1527. & 1558.

gari jubet: *Utrum credat quod quodcumque Concilium Generale, & etiam Conſtantienſe, univerſalem Eccleſiam repræſentet?* (Quod unum erat ex capitibus definitis Seſſione V.) *Item quod illud quod Sacrum Concilium Conſtantienſe univerſalem Eccleſiam repræſentans, approbavit & approbat in favorem fidei & ad ſalutem animarum: quod hoc eſt ab univerſis Chriſti fidelibus approbandum & tenendum*. Non videtur autem dubitandum, ad Fidem & bonos mores pertinere quidquid Seſſione V. definitum fuit.

Quod vero tale Decretum agat non de ſolo ſchiſmatis tempore, ſed etiam de quocumque alio tempore, manifeſte conficitur ex illis verbis Concilii: *Hujus Sanctæ Synodi & cujuſque alterius Concilii Generalis*.

Confirmatione autem Martini V. comprehendi non ſolum illa Concilii Decreta, quæ poſt electionem ejus facta ſunt; ſed etiam illa, quæ electionem præceſſere, certo argumento eſt Bulla *Cupientes*, Seſſione XLIV. edita ab eodem Martino V. In ea enim obſtrictum ſe ille agnoſcit Decreto *Frequens* ejuſdem Concilii, Seſſione XXXIX. ſtabilito ante Martini

To. XVI. Concil. p. 724.

electionem. En verba ipſius Papæ: *Cupientes ac volentes Decreto hujus Generalis Concilii ſatisfacere, inter alia diſponenti, quod, &c.* Rurſus in alia Bulla *Nuper* ita ait: *Cupientes Ge-*

To. XVII. p. 222.

nerale Concilium juxta deliberationem & ordinationem Sanctæ Synodi Conſtantienſis celebrari. Tertio in Bulla *Dum onus* ita loquitur: *Dum Sa-*

Ib. p. 225.

crum Generale Conſtantienſe Concilium ſtatuit & decrevit, &c. Quod argumento quoque eſt, valere Conſtantienſia Decreta etiam tum, cum nullum exiſtit ſchiſma.

Ea-

Eadem vero confirmatione pariter comprehendi non ſolum Decreta edita poſt unionem trium obedientiarum, verum etiam edita ante unionem: æque certum redditur ex eadem Bulla *Inter cunctas*: ubi Martinus V. converſos ab hæreſi credere & profiteri jubet, ſententias in Wicleſum latas Seſſione VIII. latas item in Joannem Huſium Seſſione XV. legitimas fuiſſe & juſtas ſententias Concilii Generalis. *Utrum credat quod dictæ condemnationes per Sacrum Generale Concilium rite & juſte factæ ſunt*. Porro ex ipſis actis liquet, obedientiam Gregorii XII. nonniſi Seſſione XII. obedientiam vero Benedicti XIII. nonniſi Seſſione XXII. Concilio ſe adjunxiſſe.

XXIII. Quod ſi de aliis jam loquamur Pontificibus: nullus quidem invenietur, qui Bulla aliqua dogmatica vel ſolemni Definitione, in irritum miſerit vel proſcripſerit Decreta hæc Conſtantienſia Seſſionis V. Quinimo Eugenius IV. in ipſa Bulla *Moyſes*, ubi Baſileenſis Concilii poſtrema Acta condemnat: (nempe quæ ab anno MCCCCXXXVII. poſt translatum Ferrariam Concilium decreta ſunt) Ipſis Baſileenſibus oppoſuit auctoritatem Concilii Conſtantienſis, tamquam auctoritatem cujuſdam Concilii Generalis & ineluctabilis. *Pravum ipſorum Baſileenſium ſenſum, quem facta demonſtrant, velut Sacroſanctæ Scripturæ, & Sanctorum Patrum*, ET IPSIUS ETIAM CONSTANTIENSIS CONCILII *ſenſui contrarium damnamus, &c.* *Tomo XVIII. p. 1206.*

XXIV. Ut autem legentibus pateſiat, quam immerito auctoritatem hujus Bullæ *Moyſes* nobis objiciant Bellarminus, Duvalius, Juſtinianus, aliique Romanæ Curiæ paraſiti, perinde quaſi ea Conſtitutione rite proſcripta ab Eugenio fuerint Conſtantienſia Decreta: animadvertendum eſt, diu poſt, nempe anno MCCCCXLVIII.

MCCCCXLVIII. (tum cum Nicolao V. jam Pontifice poſt Eugenium legitime deſignato, de componenda pace inter Nicolaum ipſum & ejus competitorem Felicem V. ſolliciti erant Chriſtiani Principes, Duce Carolo VII. Gallorum Rege) illud inter alia capita Inſtructionis ſuæ poſtulaſſe Germanici Imperii Electores: *Inſtabit Dominus Rex Francorum , quod S. D. Nicolaus Papa V. Concilium Conſtantienſe, Decretum* Frequens, *& alia ejus Decreta , ſicut cetera Concilia Catholicam Eccleſiam repræſentantia, ipſorum poteſtatem, honorem, & eminentiam,* SICUT ET CETERI ANTECESSORES SUI , *ſuſcipiet, amplectetur, & venerabitur* . Abdicavit ſe Pontificatu Felix , proteſtatus in Litteris Ceſſionis a Raynaldo deſcriptis, Definitionem Conſtantiæ factam Seſſione V. Definitionem quandam eſſe *nulla umquam oblivione delendam*. Proteſtati quoque ſunt Patres Synodi Lauſanenſis, qui Felicem V. ſecuti antehac fuerant; ſe pro vero & unico Pontifice amplecti Nicolaum V. *fida relatione intelligentes , ipſum eandem credere & tenere veritatem pro conſervanda auctoritate Sacrorum Conciliorum* IN SACROSANCTA SYNODO CONSTANTIENSI DEFINITAM ET DECLARATAM, *in Sacro Baſileenſi Concilio renovatam, nec non a Prælatis, Regibus & Principibus , Univerſitatibuſque Orbis ſuſceptam , &c.* His conditionibus redintegrata pax eſt: his in Cardinalium Collegium admiſſus a Nicolao V. competitor ejus Felix. Quin etiam his non contentus Nicolaus, irritavit præterea edita Bulla *Tanto nos*, quidquid Sententiarum & Proceſſuum in Baſileenſe ediderat Eugenius IV. Tantum ergo abeſt , ut proſcripta a Romanis Pontificibus fuerit quinta Seſſio Conſtantienſis , ut potius ab iiſdem probata cenſeri debeat . Quapropter pergamus jam oſtendere falſitatem aliorum argu-

To. XIX. Concil. p. 57.

Raynal. ad ann. 1449. num. 3. & 4.

To. XIX. p. 72.

gumentorum, quibus Conſtantienſis Decreti auctoritatem elevare conati ſunt quatuor Cardinales, Joannes a Turrecremata, Thomas Cajetanus, Robertus Bellarminus, & Joſephus Auguſtinus Orſius.

XXV. Omnes vero eo argumento tamquam inſolubili in nos utuntur: nempe cum Conſtantiæ V. Seſſio celebrata eſt, Concilio non interfuiſſe niſi Cardinales & Epiſcopos unius obedientiæ Joannis XXIII., qui, ſi Scriptores illos audimus, non amplius quam *tertiam partem* Eccleſiæ repræſentabant: aberant enim quotquot e Cardinalibus & Epiſcopis adhuc ſequebantur alterutrum Antipapam, Gregorium XII. vel Benedictum XIII. Obſervandum autem eſt, præter Cardinales quamplurimos, fuiſſe tunc temporis Conſtantiæ Epiſcopos circiter ducentos e Germania, Anglia, Polonia, Suecia, Novergia, Dania, Hungaria, Bohemia, Gallia, Belgio, & maxima parte Italiæ: Antiſtites præterea Benedictinorum, Carthuſianorum, Præmonſtratenſium, Ciſtercienſium, Dominicanorum, & Franciſcanorum: Procuratores item innumeroſque Doctores Academiarum Pariſienſis, Bononienſis, Viennenſis, Cracovienſis, Oxonienſis, & Pragenſis: ad hæc Sigiſmundum Cæſarem cum Oratoribus omnium fere Regnorum ſupra commemoratorum. Atque horum omnium cœtum tertiam Eccleſiæ partem vocat Bellarminus: cum tamen Benedicto XIII. ſoli tunc obedirent Caſtellani, Aragonenſes, & Navarri (num Luſitani noſtri a Joanne XXIII. erant): Gregorio vero XII. ſoli parerent Scoti, Appuli, aliique minores Populi. Quintus autem annus jam erat, cum & Benedictum & Gregorium Pſeudo-Papas declararat Generalis Synodus Piſana, qua convenerant cum Antiſtitibus omnium nationum ſupra deſcriptarum, Cardinales trium obedientia-

tiarum (*a*). Fateor equidem, poſt ſententiam Concilii Piſani pugnaſſe adhuc Hiſpanos pro Benedicto, Scotos vero & Appulos pro Gregorio. Verum enim vero, præterquamquod utrique ad celebrandum Conſtantiæ Concilium invitati fuerant, & quidem invitati a vero Pontifice, qualis extitit Joannes XXIII. utrique paullo poſt ipſi Concilio ſeſe adjunxere: nempe qui a Gregorio erant, Seſſione XII., qui vero Benedictum ſequebantur, Seſſionibus XXII. XXVI. & XXXV. Neutros vero præcedentium Seſſionum Decretis vel tantillum repugnaſſe conſtat (*b*).

Sed

(*a*) Conveniſſe etiam e Luſitania cum Oratoribus Regis noſtri Joannis I. Archiepiſcopum Oliſiponenſem, Epiſcopum Lamecenſem, & Moderatores cum Auguſtinianorum tum Franciſcanorum, teſtantur Acta a Raynaldo producta in Annalibus ad annum MCCCCIX. num. 45.

(*b*) Hoc eodem argumento Conſtantienſia Decreta tuiti poſtea ſunt a cavillis Eugenii IV. Baſileenſes Patres in Reſponſione Synodali an. MCCCCXXXIX. *Quid contradicere vult*, inquiunt, *de aliis obedientiis? Reclamavitne aliqua contra hujus veritatis declarationem?* (Conciliorum Tomo XVII. pag. 548.) Imo ex Actis Seſſionis XL. aperte diſcimus, Decreto Seſſionis V. non ſolum non reſtitiſſe, ſed etiam re & verbo ſubſcripſiſſe conflatam dudum ex omnibus obedientiis totam Synodum Conſtantienſem. Nam in illa Seſſione octodecim futuræ Reformationis capita ediderunt Patres, quorum unum illud erat: *Propter quæ & quomodo Papa poſſit corrigi vel deponi.* (Hardtius Tomo IV. pag. 1453.) Hujus autem capitis fundamentum eſſe Decretum Seſſionis V. nemo non videt. Vidit certe Thomas de Corcellis in aurea illa oratione, quam deſcribit Pithœus Cap. XII. num. 4. Vidit & Antonius Arnaldus in Libro Gallice inſcripto: *Eclairciſſemens ſur l'Autorité des Conciles Generaux & des Papes*, Cap. XIX. Probatione XI. Itaque hic adverſus Bellarminum locum habet, quod

Sed ponamus neutros Concilio acceſſiſſe: ponamus utroſque Decretis prioribus repugnaſſe. Illud tamen recta ratio poſtulabat, ne tanta vis ineſſe crederetur quinque vel ſex Chriſtianitatis fruſtis (quorum omnium collectio quintam partem non æquabat eorum, qui ab initio Conſtantiæ fuerant; quinimo ſolus Deus ſcit, qua conſcientia a Concilio abfuerint, qui eo proficiſci invitati erant); Poſtulabat, inquam, recta ratio, ne tanta vis ineſſe crederetur paucis his Chriſtianitatis fruſtis; ut ſua abſentia vel potius contumacia vigorem & auctoritatem eliderent vel elidere poſſent eorum Decretorum, quæ in publica Seſſione conſtituta & promulgata fuerant ab Epiſcopis decem Catholicarum Regionum latiſſimarum, ex quibus una Germania totam Hiſpaniam & Scotiam ſuperabat. Alioquin fateri debet Bellarminus, ſub eo rerum ſtatu Eccleſiam ſuam deſeruiſſe Chriſtum, eique abſtuliſſe vel denegaſſe vires, quibus illa omnino indigebat ad tot hæreſes & ſchiſmata e ſinu ſuo propulſanda. Fateri debet, Œcumenicum non fuiſſe Concilium Epheſinum, a quo nimirum pluſquam quadraginta Epiſcopi Antiochenæ Diœceſeos abfuerint & diſſenſerint. Fateri debet, Œcumenicum quoque non fuiſſe Concilium Florentinum: in eo enim deſiderati ſunt, quotquot interim Baſileæ remanſerant, etiam poſt editam ab Eugenio celeberrimam illam Conſtitutionem *Moyſes*. Sed reponunt quatuor Cardinales: cum quinta Seſſio celebrata eſt, aberat jam a Concilio Romanus Pontifex, qui e Conſtantia furtim in Schafuſam Auſtriæ oppidum

K ſe

quod ipſe adverſus Cajetanum argumentatur Lib.II. de Romano Pontifice, Cap. 30. *Si Eccleſia invitum Papam deponit, certe Eccleſia eſt ſupra Papam.*

ſe receperat. Veriſſimum illud eſt ſane. Sed nihilominus judicavit & definivit tota Synodus, repræſentari in ipſo Conſtantienſi Concilio Univerſalem Eccleſiam: hancque ejus Definitionem poſtea confirmavit Martinus V. Bulla *Inter cunctas*. Nihilominus tota Synodus eo perrexit, ut profugo Papæ diem dixerit: in ejus delicta inquiſierit, ut ſcandaloſum, incorrigibilem, & fuga ipſa ſchiſmati patrocinantem, Pontificatu privarit. Nihilominus in poteſtate ſe Synodi eſſe profeſſus eſt exauctoratus Pontifex: atque in ejus locum ſubſtitutus eſt Martinus V., quem verum ac legitimum Pontificem fuiſſe nemo dubitat. Nihilominus multo ante Martini electionem errores Joannis Wiclefi Seſſione VIII., errores vero Joannis Huſii Seſſione XV. condemnavit tota Synodus. Seſſione autem XLII. eadem Bulla definivit Martinus V. condemnationes illas rite & juſte factas eſſe, ac pro talibus habendas. *Quod dictæ condemnationes per Sacrum Generale Concilium rite & juſte factæ ſunt*. Ubi notatum velim, vocari a Papa *Generale Concilium* illud, quod Seſſionibus VIII. & XV. celebratum eſt: quamvis ipſe optime ſciret, abfuiſſe jam tum Joannem XXIII. nondumque Concilio ſe conjunxiſſe Benedicti aſſeclas. Quo poſito, utri, quæſo, fidem habituri ſumus? Concilio, an Bellarmino? Papæ, an Cardinali?

XXVI. Sed reclamant adhuc Bellarminus & Orſius. Fuerunt quidem, inquiunt, ordine & rite facta in Concilio, quæcumque in Wiclefum & Huſium decreta ſunt. Non ita vero ſe habuere Decreta Seſſionis V. utpote non ante librata & diſcuſſa, ſed temere promulgata. Hem, quam tranſverſos a recte ſentiendo homines agant præjudicatæ opiniones! Hac ratione facile erit hæreticis Definitiones quaſcumque Generalium Conciliorum eludere, eo nem-

pe

pe prætextu, quod temere, & nullo præcedente examine factæ fuerint. Quo admiſſo, nullus Canon, nullum Decretum valebit: ſed nutabunt omnia & vacillabunt. Quid? quod nullo pacto oſtendere adverſarii noſtri poſſunt, id quod Seſſione V. decretum eſt, non fuiſſe antea probe diſcuſſum & examinatum? imo contrarium nobis perſuadet cum ipſius rei gravitas, tum ſapientia & prudentia Epiſcoporum ducentorum, nec non innumerabilium Theologorum & Jureconſultorum, qui Concilio interfuere, ibique ſententias dixere. Adde quod eorum unus, iſque omnium maximus, ſapientiſſimus, & piiſſimus, nempe Joannes Gerſon, in Tractatu *de Poteſtate Eccleſiaſtica*, ſecundo poſt anno elucubrato, Conſideratione XII. plane adfirmat, Definitionem Seſſionis V. veritatem eſſe *ex Theologiæ principiis luce clariorem*. Non ſic autem loqueretur Gerſon, niſi principia illa jam ante a Theologis patefacta & diſcuſſa agnoſceret. Atque illa quidem jam cum aliis diſcuſſerat anno MCCCLXXXI. clariſſimus e Germania Doctor Henricus de Haſſia in ſuo *Concilio Pacis*, Capite XIII. (*a*). Diſcuſſe-

Gerſon Tomo II. pag. 247.

Henricus de Haſſiæ inter Opera Gerſonis Tomo II. pag. 824.

(*a*) Henrici verba ſunt, Tomo altero Gerſonianorum operum pag. 824. *Univerſalis Eccleſia, cujus Concilium Generale eſt repræſentativum, eſt ſuperior Collegio Cardinalium, & omni alia particulari Congregatione fidelium, & omni cujuſcumque dignitatis & præſidentiæ perſona, etiam Domino Papa, in caſibus inferius exprimendis. Itaque potiſſimum ad tale Concilium, tamquam ad ſupremam auctoritatem, in præſenti caſu tangente totam Eccleſiam recurrendum eſt. Conſequentia eſt notoria. Antecedens declaratur. Quia Eccleſia univerſalis non poteſt errare, nec mortali peccato eſſe obnoxia: itaque eſt ſuperior Collegio Cardinalium cum Papa, qui hanc prærogativam non habet: quia de eo non eſt dictum:* Et portæ inferorum non prævalebunt adverſus eam, *Matth. XVI.* 18., *ſed de Eccle-*

Plaollus apud Hardtiū Tom. II. pag. 29.

cuſſerat item anno MCCCCIX. Sorbonicus alter Petrus Plaollus in Oratione de eo argumento habita in Concilio Piſano Seſſione XIII. ex editione Hardtii (*a*). In

---

Eccleſia univerſali. Unde Anaſtaſius Papa II. incidit in hæreſim, & Marcellinus Papa in idolatriam, &c. ut legitur in Decretis & Geſtis Summorum Pontificum. Confirmatur hoc: quia Collegium Papæ cum Cardinalibus non videtur magis confirmatum, quam Collegium Beati Petri & ceterorum Apoſtolorum. Et tamen Petrus ter negavit Chriſtum, & omnes Apoſtoli fugerunt ab ipſo, & in fide vacillaverunt. Quid igitur dicere audebit, Collegium Papæ & Cardinalium impeccabile eſſe, cum etiam a Chriſto inſtitutum non inveniatur. Item quod etiam in Judiciis errare poſſit, & quod Concilio Generali ſubſit, probat Auguſtinus in epiſtula ad Eleuſium, Felicem Grammaticum, & reliquos Donatiſtas: ubi loquens de Collegio Papæ & Cardinalium dicit, quibus verbis eis adhuc dici poſſit & juſtiſſime dici: Ecce putemus illos Epiſcopos, qui Romæ judicaverunt, non bonos Judices fuiſſe. Reſtabat adhuc plenarium Eccleſiæ univerſæ Concilium, ubi etiam cum ipſis Judicibus cauſa poſſet agitari, ut ſi male judicaſſe convicti eſſent, eorum ſententiæ reſolverentur. *Eſt igitur auctoritas Generalis Concilii major auctoritate Papæ & Collegii Cardinalium. Quod etiam inſinuat beatus Hieronymus ad Evandrum.* Si auctoritas, *inquit*, quæritur, Orbis major eſt urbe . . . . *Item 19. Diſtinct. ſuper Capitulum* Anaſtaſius, *gloſſa dicit*: Videtur ergo quod Papa tenetur requirere Concilium, alias Concilium Epiſcoporum: quod verum eſt, ubi de Fide agitur. Et nunc Synodus major eſt Papa. *Item 15. Diſtinct. in Capitulo* Sicut Sancti, *in fine, Archidiaconus jam dictam gloſſam approbans dicit, quod* Nimis periculoſum eſt Fidem noſtram committere arbitrio unius hominis. Hæc ibi: lege & reliqua quæ inibi ſequuntur: ſunt enim pleraque magni momenti. Hoc autem Henrici de Haſſia opuſculum ante Dupinum publici juris fecerat Hardtius Tomo II. Parte I.

(*a*) Verba Actorum Piſanorum Seſſione XIII. ſic habent in editione Hardtii Tom. II. P. I. pag. 132.

Die

In Sermone itidem Conſtantiæ habito in Feſto S. Antonii Abbatis, Concilio ipſo audiente, teſtatur idem Gerſon, hanc eſſe *deciſionem clariſſimam ſolidiſſimamque, fundatam ſupra petram Sacræ Scripturæ*, ubi Chriſtus Petro dixit: Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi tamquam ethnicus & publicanus. *Gerſon Tom. II. pag.* 355.

Hanc ipſam doctrinam quamplurimis iiſque graviſſimis teſtimoniis e Scriptura & Traditione petitis comprobarat & illuſtrarat idem Gerſon, ante habitam Conſtantiæ Seſſionem V. videlicet anno MCCCCVIII. in Oratione ad Oratores Academiæ Oxonienſis, quæ incipit: *Congratulatur veſtræ devotioni*. *Ibid. p.* 123. Anno MCCCCXIV. in Tractatu *de Modis uniendi & reformandi univerſalem Eccleſiam in Concilio*, cujus initium eſt: *Dolentes quærebamus te*. *Ibid. p.* 161. Anno MCCCCXV. in Sermone ad Patres Concilii, ſtatim poſt fugam Papæ habito, qui ita incipit: *Ambulate dum lucem habetis*. *Ibid. p.* 201.

Quin etiam in ſermone alio Conſtantiæ item habito Seſſione XVII. *Pro Viagio Regis Romanorum*, teſtatur idem Cancellarius Pariſienſis, multa de eodem hoc argumento, antequam celebrata eſſet quinta Seſſio, ſcripſiſſe Præce-

Die Mercurii XXIX. dicti menſis Maji advenıente, ſervatis ſolemnitatibus & ceremoniis, ut ſupra, quidam valentiſſimus Magiſter in Theologia, nuncupatus Petrus Plaoul, aſcendit pulpitum, & propoſuit verbum Dei, videlicet: Congregabuntur filii Juda & filii Iſrael pariter, & ponent ſibimet caput unum. *Hoſ. I. in fine. Et deduxit pulchre, exaltando Eccleſiam, & aſſerens, eam eſſe ſupra Papam. Quod deduxit plurimis rationibus &c.* Et paullo poſt: *Ipſo autem deſcendente de Cathedra, aſcendit quidam Epiſcopus Italicus. Qui opinionem centum & trium Magiſtrorum in Theologia, & plurimum Licentiatorum, & Baccalaureorum formatorum, ac Univerſitatis Bononienſis, in quadam ſchedula publicavit, quæ eſt conformis opinioni Univerſitatis Pariſienſis.*

ptorem ſuum Cardinalem Alliacenſem, qui unus e Conſtantienſibus Patribus erat. *Scripſit ſuper hoc errore vel ſcandalo Reverendiſſimus Pater Dominus Cardinalis Cameracenſis, Præceptor meus inclytus*, DUDUM ET NUPER, ANTEQUAM FIERET HÆC CONSTITUTIO.

Ibid. p. 276.

Poſtremo Theodoricus Niemus (*a*), qui vitam ſcripſit ipſius Joannis XXIII. & Conſtantiæ in Concilio fuit, ubi & mortuus eſt: poſtquam Libro II. Capite 8. enarraſſet dictum quorumdam Cardinalium, qui abſentia & receſſu Papæ diſſolutum Concilium exiſtimabant: e veſtigio ſubjungit, quæ ſequuntur. *Et eis reſponſum fuit acriter per plures de Concilio, viros magnæ auctoritatis & ſcientificos*: *ſcilicet*, QUOD PAPA NON ESSET SUPRA CONCILIUM, SED ESSET SUB CONCILIO (*b*). Et quidem ex ipſis Actis conſtat, quæſtionem de auctoritate Concilii

(*a*) Protonotarius Apoſtolicus, idemque Epiſcopus Verdenſis, & poſtea Cameracenſis, natione Germanus, multis editis Scriptis ſæculo decimoquinto ineunte clariſſimus.

(*b*) In horum ſententiam pedibus ſe iviſſe, plane oſtendit idem Theodoricus in opere alio, quod *de Schiſmate univerſali* ſcripſit, cujus Excerpta debemus Goldaſto Tomo altero *de Monarchia S. R. I.* Parte II. pag. 1476. Sic enim habet Lib. III. Cap. XI. *Oportet eſſe Epiſcopum ſine crimine, quaſi Diſpenſatorem Dei, ſed multo magis Papam, qui omnibus præeſt. Nec credo illud obſtare*, quod Canoniſtæ dicunt, *quod Papa niſi a fide ſit devius, dejici non poſſit, & quod nemo judicat primam Sedem, quodque nullus poteſt auferre auctoritatem vel poteſtatem, quam conferre non poteſt. Quæ licet teneantur, tamen in putativo & contendente de Papatu in ſchiſmate variantur nec ſubſiſtunt: nec etiam intelliguntur rationabiliter in uno & indubitato Papa, malefico, & Eccleſiam ſcandalizante; quia ille revera dici non poteſt Chriſti Vicarius, quia Chriſti opera & mandata non ſequitur, nec obſervat, in detrimentum maximum Chriſtianorum, &c.*

cilii ſupra Papam antea ſæpius agitatam & diſcuſſam fuiſſe inter Patres & Theologos, quorum principes ſemper habiti ſunt Pariſienſes cum Conſtantiæ, tum etiam alibi.

Quæ hucuſque obſervavimus, ſatis erant cum ad revincendas tergiverſationes Bellarmini & Orſii; tum ad manifeſtandam prudentiam ac ſolertiam, qua in efformando & publicando Decreto Seſſionis quintæ uſi ſunt Conſtantienſes Patres. Verum hæc nos in ea urbe, in eoque Regno ſcribimus, ubi alte noſtrorum animis infixa ſunt Ultramontana placita: idque non alia de cauſa, quam quod veritatem illi e libris melioribus diſcere hactenus neglexere. Oportet ergo immorari nos paullo diutius in demonſtrando, quanti ab omnibus faciendum ſit Decretum tam illuſtris Concilii, quam fuit Conſtantienſe.

XXVII. Hoc ergo Decretum toto ſæculo XV. quo celebratum eſt Conſtantienſe Concilium, a Catholicis Epiſcopis & Theologis receptum eſſe, tamquam Decretum quoddam dogmaticum, ſeu fundamentalem Regulam totius juriſdictionis ſpiritualis Eccleſiæ reſpectu omnium quorumcumque Pontificum, ac pro omnibus & quibuſcumque temporibus & caſibus: factum quidem eſt, quod planiſſime demonſtratur ex iis Scriptoribus, qui vel Concilio ipſi interfuere, vel paullo poſt inclaruere. Inter eos qui Concilio interfuere principem locum obtinet Petrus de Alliaco Cardinalis & Epiſcopus Cameracenſis, qui in Tractatu *de Auctoritate Eccleſiæ, Concilii Generalis, & Romani Pontificis*, Conſtantiæ compoſito anno uno cum dimidio poſt celebratam Seſſionem V. ita ſcribit Parte III. Capite II. *Hæc concluſio* (nempe quod Papa ſubjiciatur judicio Concilii Generalis etiam extra caſum hæreſis) *in condemnatione & depoſitione Joannis Papæ XXIII. practica-*

Ad calcem Tomi II. Gerſon Oper. p. 951.

ſticata eſt per hoc Sacrum Concilium Generale, cujus determinationi contradicere non licet. Mox Capite III. *erroneam* vocat contrariam doctrinam ex eo, quod Conſtantienſibus Decretis adverſetur. *Præmiſſam opinionem erroneam eſſe, ſatis patet ex actis in hoc Sacro Concilio*.

Ibid. p. 956.

Secundo loco eſt Pariſienſis Cancellarius Joannes Gerſon, qui in ſuis Operibus Conſtantienſe Decretum identidem laudat & deſcribit ad verbum, tamquam Regulam quandam Catholicæ Fidei. Nempe in Tractatu *de Poteſtate Eccleſiaſtica*, Conſideratione IV. (qui Seſſione XXVI. publice lectus fuit:) in Sermone *pro Viagio Regis Romanorum*, in eodem Concilio habito, ſecundo menſe poſt publicatum Decretum Seſſione V. in Sermone S. Antonii Abbatis, habito item Conſtantiæ coram Concilio anno ſecundo poſt celebratam eandem Seſſionem V. & in Tractatu, *An liceat in cauſis Fidei a Summo Pontifice appellare?* Qui tertio anno poſt habitam eandem Seſſionem ſcriptus fuit.

Gerſon Tom. II. pag. 231. & 275. & 303. & 355.

Tertius nobis occurrit clarus ille ex Hiſpania Theologus Benedictini Ordinis, Andreas Eſcobarius, Epiſcopus Megarenſis: qui in *Gubernaculo Conciliorum* adfirmat primo, ſe Conſtantiæ fuiſſe in Concilio, cum Decretum quintæ Seſſionis publicatum eſt die ſexta Aprilis, anno MCCCCXV., atque eadem ipſa die concionatum ſe eſſe coram Patribus. *Me qui hæc ſcribo, eadem die coram Concilio ſermocinante*. Adfirmat præterea, Decretum hoc definitum ac promulgatum eſſe in Concilio de conſenſu, beneplacito, & mandato Patrum omnium. *Præſentibus omnibus Cardinalibus S. R. E. & multis Archiepiſcopis, Patriarchis, Epiſcopis & Prælatis, ac diverſorum Principum Ambaſſiatoribus, & Illuſtriſſimo Principe Domino Sigiſmundo Romanorum Rege, de conſenſu omnium, beneplacito & mandato, Sacro-*

Hartdius Tom. VI. p. 153. & 154.

Digitized by Google

Sacroſanctum Concilium Conſtantienſe promulgavit & promulgari fecit & definivit hoc perpetuum ſtatutum in quinta Seſſione, &c. Adfirmat item, Decretum hoc Conſtantienſe prædicari, ſcribi, promulgarique debere, tamquam unum ex capitibus Catholicæ Fidei. Et quamvis in eo tres tantum caſus exprimantur, in quibus Generalia Concilia Romano Pontifice ſuperiora ſint: nempe caſus Fidei, ſchiſmatis, & reformationis Eccleſiaſticæ in capite, & in membris: non propterea tamen fuiſſe mentem Concilii, ſuam in Papam auctoritatem aliquo pacto coarctare: ſed tribus illis indicatis oſtendere, in omnibus ipſo Pontifice ſuperiora eſſe Concilia Generalia: omnia enim ſub tribus illis a Conſtantienſi Decreto indicatis comprehendi. *Hoc Decretum*, inquit, *de Poteſtate Conciliorum affirmatum & decretatum in Sacris Conciliis Conſtantienſi & Baſileenſi, debet ita per Sacra Concilia ſæpius prædicari, ſcribi perpetuo & promulgari, quod præcipiatur cunctis fidelibus Chriſtianis æque firmiſſime & ſine dubitatione credi, ſicut creditur aliquis articulus fidei, &c.* Et rurſus: *Ex quibus ſequitur, quod ſimpliciter & ſine additione debet teneri & credi, quod poteſtas Eccleſiæ in omnibus eſt major quam poteſtas Papæ, in auctoritate, in juriſdictione, & in executione.* Et infra de ipſa verborum generalitate agens: *Duobus Decretis*, inquit, *Concilii Conſtantienſis comprehenditur quidquid eſt corrigendum, quidquid eſt reformandum, quidquid eſt emendandum in Clero, in Populo Chriſtiano, & in Pontifice Romano. Quia ponuntur in eis tres gradus, in quibus Papa ſubjicitur Concilio & eſt inferior eo. Primo quod ſubjicitur in his quæ ſunt fidei & reformationis cujuſcumque. Secundo ſubjicitur in his omnibus quæ pertinent ad fidem & reformationem. Tertio ſubjicitur in pertinentibus ad per-*

Ibid. p. 300.

Ibid. p. 316.

pertinentia ad fidem & reformationem . Et hic gradus eſt tantæ extenſionis , quod vix excogitari poteſt, quod non ſub ipſo comprehendatur.

XXVIII. Maximi ſane momenti eſt in rem noſtram ſuperius teſtimonium. Auctorem enim habet Theologum graviſſimum, qui & Concilio interfuit, & natione Hiſpanus erat: ut uno ictu proinde Andreas Eſcobarius omnes machinationes dejiciat, quibus Conſtantienſia Decreta evertere conati ſunt Cajetanus , Bellarminus , & Orſius . Inde enim conſtat, licet Seſſione V. a Concilio adhuc abfuerint Hiſpani: tamen poſt exauctoratum in Concilio Antipapam Benedictum XIII., cui antehac adhæſiſſent, conſenſiſſe mox cum ceteris nationibus Hiſpanos ipſos in recipienda Decreta , recipiendaſque Definitiones quaſcumque a Concilio prius factas & promulgatas. Conſtat Decretum Seſſionis V. non pro eo tantum tempore intelligendum eſſe, quo diviſa Eccleſia ſit, vel dubius Pontifex : ſed pro omnibus temporibus, ac de uno etiam atque indubitato Pontifice, qui quovis tempore Eccleſiæ Dei præſit. Conſtat verba illa Decreti, *in his quæ pertinent ad fidem, & extirpationem ſchiſmatis, & reformationem univerſalis Eccleſiæ in capite & in membris*: non reſtrictionis, ſed exempli gratia poſita eſſe : illiſque proinde contineri caſus quoſcumque , ubi e re Eccleſiæ viſum fuerit , ſua in Papam auctoritate uti Concilium Generale. Conſtat denique, Decretum promulgatum eſſe coram omnibus Cardinalibus , deque unanimi conſenſu, adprobatione , & mandato omnium Patrum : proindeque unum ex illis Decretis eſſe , quæ Martinus V. adprobavit tum, cum Seſſione XLIV. in publico Conſiſtorio proteſtatus eſt , probari ſibi rataque haberi quæcumque a Concilio promulgata. eſſent

Con-

Conciliariter: hoc eſt, in publica Seſſione, atque toto Concilio conſentiente (*a*).

XXIX. Ad extremum moneo, teſtimonio hocce Epiſcopi Megarenſis uſurum dubio procul fuiſſe Illuſtriſſimum Boſſuetum, ſi ad manum jam tunc habuiſſet: eſt enim graviſſimum & luculentiſſimum. Sed cum *Defenſionem Declarationis Cleri Gallicani* ſub finem ſuperioris ſæculi ſcribebat laudatiſſimus Præſul, eruditorum pleroſque adhuc latebat Eſcobarii Opuſculum. Sub illud enim tempus *Gubernaculum Conciliorum* ex arcanis Helmſtadienſis Bibliothecæ Codicibus Mss. primus edidit Hermannus Von-der-

(*a*) Poſtulabant ſumma contentione a Martino V. Poloniæ Regis Legati Seſſione XLIV. ut feralem Librum Joannis a Falkemberga, jam *rite damnatum per Deputatos in cauſa Fidei, ac etiam per omnes Nationes Concilii, in Seſſione publica per Sacrum Concilium damnaretur, ſeu publice damnatum pronuntiaretur*. (Hardtius Tomo IV. pag. 1550.) Negavit ea damnatione opus eſſe Pontifex: ſive quod Concilium diutius prorogatum nollet, ſive quod exiſtimaret, doctrina Joannis Parvi damnata Seſſ. XV. damnatum conſequenter eſſe hunc libellum, ſive qualibet alia de cauſa. Itaque *impoſito omnibus ſilentio, dixit, quod omnia & ſingula determinata & concluſa & decreta in materiis fidei per præſens Sacrum Concilium Generale Conſtantienſe* CONCILIARITER, *tenere & inviolabiliter obſervare volebat, & nunquam contravenire quoque modo. Ipſeque ſic* CONCILIARITER *facta approbat & ratificat, &c.* (Hardtius ibid. pag. 1557.) Atqui pertinere ad fidem ea, quæ pertinent ad interpretationem divini juris, & ad traditam immediate a Chriſto ſive Petri Succeſſoribus, ſive Epiſcopis in Concilio Generali ſedentibus poteſtatem; quis, quæſo, inficias ire poſſit? Ergo Decreta Seſſione V. adprobabat & rata declarabat Martinus V. cum probari ſibi & rata haberi proteſtabatur, *quæcumque in materiis fidei Conciliariter determinata & concluſa & decreta* Conſtantiæ fuerant.

der-Hardtius. Jam diu tamen monuerat in *Bibliotheca Antiqua Hiſpaniæ* Nicolaus Antonius, reperiri etiam hoc Opuſculum in Mss. Vaticanis: optandumque eſſe, ut illud Collectioni Conciliorum a ſe adornatæ inſeruiſſet Labbæus. Quin & illud ego ab eodem Nicolao Antonio didici, cognomen laudatiſſimo huic Hiſpano fuiſſe *Eſcobarium*: neque adpellandum *Andream Epiſcopum Magorenſem*, ut ab Hardtio Hardtiumque ſecuto Febronio ubique adpellatur: ſed *Andream Epiſcopum Megarenſem*, quæ Achajæ urbs eſt inter Athenas & Corinthum ſita, cujus ille Titularis, opinor, fuit Epiſcopus (*a*).

XXX. Quarto loco pro aperiendo ſenſu Conſtantienſium Decretorum nobis adſunt multi e Baſileenſibus Patribus, qui & ipſi Conſtantienſi Concilio interfuerant: in his tres Archiepiſcopi: Bituricenſis, Lugdunenſis, & Arelatenſis (*b*), qui fuit Beatus Ludovicus Allemandus, a Martino V. factus Cardinalis, idemque poſtea ſanctorum albo adſcriptus a Clemente Papa VII. Etenim Seſſione II. anno MCCCCXXXII. habita (quam dubitare nemo poteſt fuiſſe legitimam & Œcumenicam, ac pro tali habitam ab Eugenio IV. in Bulla *Du-*

(*a*) *Gubernaculum Conciliorum* Andreas ſcribebat poſt annum MCCCCXXXII. Eundem tamen poſt noviſſimas turbas Baſileenſes ad Eugenii partes transvolaſſe, colligo ex Actis Concilii Florentini, ubi Decreto unionis ſubſcriptus invenitur *Andreas Epiſcopus Megarenſis*. (Concil. Tomo XVIII. pag. 529.)

(*b*) Pro quo male in Luſitana editione ſcriptus fuit *Cameracenſis*. Quod ſi anonymum Scriptorem audimus, qui *Analyſin ſeu Ideam Generalem Conciliorum* Gallice edidit Coloniæ anno MDCCVI. *La plupart des Peres qui s'etoient trouvez à Conſtance, ſe rendirent encore à Bâle*,

Dudum Sacrum), Conſtantienſia Decreta (*a*) adlegavere Baſileenſes, ut fundamenta quædam totius Reformationis Eccleſiaſticæ: idque eo tempore, quo idem Eugenius unus atque indubitatus Papa habebatur: Concilioque præſidebat delegatus ab Eugenio ipſo Julianus Cardinalis, qui & Conſtantiæ fuerat. Cum autem ſtatim ab initio Concilium diſſolvere, aliudque Bononiæ celebrare conaretur Eugenius: hæc molienti impigre obſtitere Baſileenſes, proteſtati ſæpius in Reſponſionibus Synodalibus: ſalva auctoritate Conſtantienſium Decretorum (ut ſalvam eſſe oportebat), in poteſtate Eugenii non eſſe Concilium diſſolvere ſuo arbitratu: imo ſe Concilii Decretis ſubmittere debere ipſum Eugenium. Uno in loco ita diſſerebant. *Quis jam de poteſtate Concilii ſuper omnes alias poteſtates ambigere poterit, tot irrefragabilibus teſtimoniis comprobata? Ex quibus manifeſte conſtat, auctoritates quas de ſummi poteſtate Pontificis allegaſtis, non probare quominus ipſe Pontifex mandatis univerſalis Eccleſiæ & Concilii Generalis obedire teneatur. Sed id dumtaxat probant, quod omnes ſingulares homines particulareſque Eccleſiæ, ipſi Pontifici obedire debent, niſi in iis quæ huic Sacræ Synodo & cuilibet alteri legitime congregatæ præjudicium generarent. Nam etſi ſit caput miniſteriale Eccleſiæ, non tamen eſt major tota Eccleſia: alioquin errante Pontifice, ſicut ſæpe contigit & contingere poteſt, tota erraret Eccleſia, quod eſſe non poteſt.* In alio ita: *Hoc quod dixit Chriſtus*, Si peccaverit in te frater tuus,

Concil. T. XVII. p. 236. & 287.

Ibid. p. 458.

Ibid. p. 459.

(*a*) Non adlegavere tantum, ſed deſcripſere etiam ad verbum: idque non ſolum Seſſione II., ſed rurſus etiam Seſſione XVIII., cum ſe jam Concilio iterum adjunxiſſet Eugenius edita Bulla *Dudum Sacrum*, quæ Actis Seſſionis XVI. inſerta eſt.

tuus, dic Eccleſiæ; *omnes homines comprehendit. Et quod Petrus & ejus Succeſſores illa auctoritate comprehendantur*, *oſtendit Paulus*, *qui in faciem reſtitit Cephæ coram omnibus. Eccleſiæ enim dixiſſe videtur, qui coram omnibus dixit*. Probe quidem agnoſcimus, ſeptimo poſt anno, hoc eſt, anno MCCCCXXXIX. Bulla *Moyſes* damnata ab Eugenio eſſe Acta Baſileenſia: ſed quænam, quæſo, Acta damnata? ipſa Bulla teſtante, non alia ſane, quam quæ translationem Concilii in Ferrariam ſubſecuta ſunt anno MCCCCXXXVII.

XXXI. Ex his qui Conſtantiæ quidem non fuere, ſed paucis tamen poſt annis de hoc argumento ſcripſere; habemus Cardinalem de Cuſa e Canonicis Regularibus S. Auguſtini Epiſcopum Brixienſem, qui Libro II. *de Concordantia Catholica*, ad calcem Capitis 17. hæc habet: *Manifeſtum eſt ex his, univerſale Concilium ſimpliciter ſupra Papam eſſe, nec amplius de hoc opus eſt exempla producere, quum habeamus varia Decreta Sacri Baſileenſis Concilii, & etiam Conſtantienſis, quomodo Papa dicatur ſubeſſe Conciliis. Et licet Conſtantienſe tantum in tribus caſibus loquatur, clarum eſt, quod omnes Canones facti, aut amplius factibiles, ad ipſos reducuntur*. Et Capite 20. *In his tribus jam definitio præceſſit in Conſtantienſi Concilio amplius indiſputabilis & immutabilis*. Habemus clariſſimos ejuſdem ævi Carthuſianos duos, Dionyſium Rickelium Belgam, & Jacobum de Paradiſo Germanum, qui id ipſum pariter adfirmant. Ille in Tractatu *de Auctoritate Papæ & Concilii Generalis*, ſupra a nobis jam laudato, Articulo XIX. hic vero in Tractatu *de Septem Statibus Eccleſiæ*, a Goldaſto recuſſo. Obſervandum autem eſt, a Jacobo non laudari ſolum Conſtantienſe Decretum, ut Regulam quandam fundamentalem & dogmaticam; ſed etiam

Cuſa p. 738.

Ibid. p. 748.

Carthuſ. Tom. X. fol. 370. verſ.

Goldaſtus Tomo II. p. 1571.

etiam receptum ab omnibus generaliter per totam Eccleſiam ipſum Decretum dici. Nam de Romanis verba faciens ita ſcribit: *Totaliter nituntur ſuffocare auctoritatem Conciliorum, contra decretationem ab omnibus acceptam, in Conſtantienſi & Baſileenſi Generalibus Conciliis publice promulgatam.*

Habemus præterea inclytas Academias quatuor: Colonienſem, Erfurdienſem, Viennenſem, & Cracovienſem: quæ mentem ſuam de auctoritate Conciliorum aperire juſſæ anno MCCCCXL. omnes Conſtantienſe Decretum pro fundamentali Eccleſiæ Lege habendum judicavere. Qui illarum ſententias legere volet, adeat Bulæum in *Hiſtoria Univerſitatis Pariſienſis*, Tomo V. Habemus denique ejuſdem ætatis tres alios Scriptores longe graviſſimos, unum quidem Hiſpanum, duos vero Italos.

Bulæus Tom. V. p. 460. & 462. & 471. & 479.

XXXII. Hiſpanus eſt clariſſimus Joannes de Segovia, Archidiaconus Ovetenſis, & poſtea Archiepiſcopus Cæſarienſis, qui in Baſileenſi Concilio Theologum egit cum Salmaticenſis Academiæ, tum Joannis II. Caſtellæ Regis anno MCCCCXXXII. Heic magnus ille vir ſpiſſum Opus *de Eccleſiaſtica Poteſtate* elucubravit, quod quidem dolendum eſt nondum per typographos cum litterario Orbe communicaſſe quemquam. Unum illud e ſuis Mss. hujus Operis Fragmentum nobis dedit novitius e Germania Scriptor Hardtius, quod ita habet: *Conſtat in Generalibus Conciliis factos fuiſſe plurimos Canones ad regulandas actiones Summorum Pontificum. Ex quo docemur, quod Eccleſia ſe habet ad Papam ut formalis cauſa. Poteſtas enim Papæ eſt informabilis & dirigibilis per regulas Eccleſiæ. Unde manifeſte patet, quod illud verbum: Nemo poteſt dicere Papæ, Cur ita facis, vel ſimile, non comprehendit Generale Concilium. Et licet de his hactenus fortaſſe fuerit dubium apud ali-*

Hardt. Tom. VI. pag. 7.

aliquos: jam tamen ut nemini liceat dubitare, ſuper hac materia facta fuit per Eccleſiam declaratio in Concilio Conſtantienſi Moguntinenſis Provinciæ, die VI. Aprilis Anno Domini MCCCCXV. ſub hoc tenore, &c.

XXXIII. Duorum Italorum primus eſt Nicolaus de Tudeſchis, Cardinalis & Archiepiſcopus Panormitanus, unde & nomen accepit: qui in eodem Baſileenſi Concilio vaſtum quoque Librum compoſuit *de Auctoritate Concilii ſupra Papam*, unde ſequens Fragmentum deſcripſit memoratus Hardtius. *Hodie ceſſent diſputationes, gloſſæ, & opiniones Magiſtrorum, per declarationem veritatis factam in illa magna Synodo Conſtantienſi: ubi fuit declaratum, quod in his quæ pertinent ad fidem, & ad extirpationem ſchiſmatis, & ad reformationem Eccleſiæ univerſalis in capite & in membris, Concilium eſt ſuper Papam*. Doctrinæ hujus a Panormitano traditæ meminit illuſtris Martinus Navarrus in Commentariis ad Caput *Novit*, *De Judicis*, quos ille Conimbricæ dictavit an. MDXLVIII. *Panormitanus*, inquit, *quem frequentius noſtri ſequuntur*. Unde & illud habemus, communiorem hanc eſſe opinionem Canoniſtarum. Anno vero MDLXXVIII. Oliſipone typis commiſſa eſt *Defenſio Tridentinæ Fidei*, Auctore magno illo Sebaſtiani Regis apud Tridentinam Synodum Theologo, Didaco Paiva Antradio. Qui Libro I. fol. 19. Decreta Conſtantienſia e Seſſione IV. & V. laudat, tamquam Decreta Catholicæ Fidei, ſaltem qua parte definiunt, Concilium Generale repræſentare Eccleſiam univerſalem, habereque immediate a Chriſto ſuam auctoritatem. Folio 30. oſtendit & propugnat, confirmatione Pontificia minime opus eſſe, ut Definitionibus Concilii Generalis ſua vis conſtet & infallibilitas. Folio 36. docet ex Turrecremata, diſſidentibus inter ſe Concilio & Papa,

Hardt. ibid. p. 16.

Papa, ſtandum eſſe potius judicio Concilii quam Papæ. Audin' quam a Majorum placitis aliena dogmata in Luſitaniam invexerit magiſterium Jeſuiticum!

XXXIV. Panormitanum excipit Æneas Silvius, qui antequam ſub nomine Pii II. Romanus Pontifex eſſet, Concilii Baſileenſis a Secretis fuerat: & Libro I. de Geſtis ejuſdem Concilii hæc ſcribit: *Illud in primis cupio notum, quia Romanum Papam omnes qui aliquo numero ſunt, Concilio ſubjiciunt*. Et infra: *Sufficere nobis Conſtantienſe Concilium poſſet, cujus non minor auctoritas fuit, quam illorum quatuor, quæ illuſtris Doctor Gregorius ut quatuor Evangelia venerari ſe dicit*. Paullo ante monuerat idem Scriptor, contrariæ doctrinæ tantummodo patrocinari eos, qui vel adſequendis honoribus vel captandæ gloriæ inhiabant. *Sive avidi gloriæ, ſive quod adulando præmia expectant* (a). *Silvius p. 773. & 774. edit. Pinſon. Ibid. p. 772.*

L Quod

(a) Unus de horum numero fuit Nicolaus de Cuſa, qui cum diu Baſileenſi Synodo ſumma cum laude interfuiſſet & adhæſiſſet, idemque ſub priori diſſolutione ab Eugenio tentata tres Libros *de Concordantia Catholica* conſcripſiſſet pro ſacrorum Conciliorum auctoritate: (opus ſane elaboratiſſimum & optimæ frugis) tandem ab ipſo Eugenio ſpe honorum ampliſſimorum delinitus, Baſileenſium partes deſeruit, factuſque eſt poſtea Cardinalis & Epiſcopus Brixienſis. De eo enim hæc memoriæ prodidit idem Æneas Silvius initio prioris Libri de Geſtis Concilii Baſileenſis pag. 764. *Ex his quamplures Moguntiam perrexerunt, Eugenium ſiqua parte quirent defenſuri. Hercules autem omnium Nicolaus Cuſanus exiſtimatus eſt, homo & priſcarum litterarum eruditus, & multarum rerum uſu perdoctus: cujuſque dolendum ſit tam nobile ingenium ad illa ſchiſmatis ſtudia divertiſſe, ut legatione ad Græcos vigore falſi Decreti fungeretur*. Sed Cuſani exemplum aliquot poſt annos ſecutus eſt idem Æneas: nam ſive avidus gloriæ, ſive adulando

Quod ipſum octogeſimo anno poſt admonuit & Joannes Major Theologus Pariſienſis, in Commentariis ad Caput XVIII. Matthæi his verbis: *Concilium raro congregatur, nec dat Dignitates Eccleſiaſticas: Papa dat eas: hinc homines ei blandiuntur, dicentes quod ſolus poteſt omnia: quadrare rotunda, & rotundare quadrata, tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus*. Illud magis admirationem movet: quod Æneas ipſe jam Pontifex factus Pius II. eadem Bulla *In minoribus* ab Harduino deſcripta, ubi Baſileenſis Concilii Acta poſteriora damnat; Conſtantienſe Concilium nihilominus pro Œcumenico, ſancto, & legitimo Concilio veneratur: ejuſque Definitiones de poteſtate Eccleſiaſtica adprobare & amplecti ſe dicit. *Cum his & Generalis Concilii auctoritatem & poteſtatem complectimur, quemadmodum & ævo noſtro Conſtantiæ, dum ibi fuit Synodus univerſalis, declaratum definitumque eſt. Veneramur enim Conſtantienſe Concilium, &c.* (a).

Ad calcem Tomi II.; Gerſon. p. 1144.

Harduinus Concil. Tom. IX. p. 1450.

XXXV. Ex tota hac Diſſertatione noſtra facile

---

do præmia expectans, & Baſileenſium doctrinam ejuravit, & omnia a ſe pro Baſileenſibus ſcripta revocavit.

(a) Eſt & illud memorabile, quod in eadem Bulla *In minoribus* adfirmat Pius II. pag. 1453. *Aderant* (Baſileæ) *Legati Pariſienſis Scholæ, cujus eſt fama percelebris: adfuerunt & aliquando veſtri & aliorum ſtudiorum Germanicæ nationis oratores: & uno cuncti ore Concilii Generalis auctoritatem ad cælum efferebant*. Et infra de Juliano Cardinale jam ad Eugenii partes converſo loquens: *Turbamus antiquam ſententiam, ille novam defendebat. Extollebamus Concilii Generalis auctoritatem: ille Apoſtolicæ Sedis poteſtatem magnopere collaudabat*. Adéo vel in ipſa Bulla, in qua Conſtantienſia Decreta oblique impetebat, diffiteri auſus non eſt Pius II. antiquam eſſe, & celeberrimis quibuſque Academiis unice probatam eam doctrinam, quæ Concilium Pontifici præferebat.

cile jam intelliget unuſquiſque lector, cur Sancti Patres atque ipſi etiam Romani Pontifices, & Generalium Conciliorum Canonibus & receptis ubique per Eccleſiam moribus, accepta retulerint multa de privilegiis & decoribus Romani Primatus. Veluti cum ad Orientales ita ſcribebat Julius Papa: *An ignoratis, Canonem eſſe Eccleſiaſticum, ut prius nobis ſcribatur, &c.* Patres item Chalcedonenſis Concilii Canone XXVIII. *Sedi ſenioris Romæ, eo quod urbs illa imperaret, jure Patres privilegia tribuerunt.* Similiter Afri Epiſcopi in Synodica ad Theodorum Papam, ubi de Romano Pontifice ſermo eſt: *Cui etiam in honorem Beatiſſimi Petri Patrum Decreta peculiarem quandam ſanxere reverentiam.*

Intelliget, cur Nicæni Patres, ubi Canone VI. majorum Diœceſium fines deſcriptos deſignatoſque voluere: non ad Conſtitutionem aliquam provocarint Romani Pontificis, ſed ad ſolam conſuetudinem ubique invaleſcentem in Eccleſia a temporibus Apoſtolorum. *Antiqua conſuetudo ſervetur per Ægyptum, Pentapolim & Libyam: ut Alexandrinus Epiſcopus horum omnium adminiſtrationem habeat. Similiter & apud Antiochiam &c.* Illi etiam qui ſecundo Generali Concilio interfuere, Canone II. *Juxta Canones*, inquiunt, *Alexandrinus Epiſcopus quæ in Ægypto ſunt regat ſolummodo: & Orientis Epiſcopi Orientem tantum gubernent, &c.* Ex quo ſequitur, diviſionem Diœceſium non eſſe a divino jure, ſed ab humano Eccleſiaſtico: id quod poſt S. Hieronymum a Gratiano laudatum in Capite *Olim*, Diſt. 93. obſervavit Cardinalis Cuſanus Libro II. *de Concordantia Catholica*, Cap. 13. Ad hæc diviſionem ipſam non unius Papæ auctoritati adſcribi debere, ſed auctoritati potius totius Corporis Eccleſiæ in id conſpirantis, ſive lege ſive conſuetudine: prout docent Gerſon in

Lib. *de Poteſtate Ecclaſiaſtica*, Conſid. IX. Cardinalis Cuſanus Lib. II. Capite 32. Illuſtriſſimus Petrus de Marca Lib. VI. *de Concordia*, Capite I. Illuſtriſſimus Boſſuetus Lib. VIII. Capite 15. novæ editionis: Ludovicus Dupinus Diſſertatione I. quæ eſt de *Forma & Diſtributione Eccleſiarum*, §. 7. & Diſſertatione IV. quæ eſt de *Primatu Romani Pontificis*, Capite II. §. 3. Edmundus Richerius Libro I. *Hiſtoriæ Conciliorum Generalium*, Capite II. numero 14. & Capite III. numero 17. quo quidem nullus Theologorum melius pertractavit hoc argumentum.

XXXVI. Intelligit etiam, cur Pontificibus jus non ſit abrogandi vel labefactandi Canones Conciliorum Generalium: neque ſpoliandi Epiſcopos prærogativis illis, quas eorum Ordini a primis ſæculis adnexas voluit Eccleſia. Intelliget, Pontifices ipſos non Dominos, ſed Executores eſſe Eccleſiaſticorum Canonum: atque Canonibus ipſis potius, quam ſuamet auctoritate innixos, obviam iviſſe olim ipſos Pontifices conatibus cum Euſebianorum, tum Meletii & Flaviani Antiochenſium, tum Theophili Alexandrini, tum etiam Anatolii & Acacii Conſtantinopolitanorum, tum aliorum denique Autocephalorum Epiſcoporum. Id quod plane adfirmat S. Gelaſius in Epiſtula IV. ubi de Prædeceſſore ſuo Felice III. verba faciens ita ſcribit: *Executorem fuiſſe veteris inſtituti, non novæ conſtitutionis auctorem. Quod non ſolum Præſuli Apoſtolico facere licet, ſed & cuicumque Pontifici* (a).

In-

(a) Huc ſpectat illud Liberii Papæ in epiſtula ad Conſtantium Imperatorem: *Numquam mea ſtatuta, ſed Apoſtolica, ut eſſent ſemper firmata & cuſtodita perfeci. Secutus morem ordinemque majorum, nihil addidi Epiſcopatui urbis Romæ, nihil minui paſſus ſum.*

Et

Intelliget, Papam quidem in Eccleſia eſſe ſupremum Principem; ſed non ita tamen ſupremum, ut Legibus totius Corporis minime ſubjaceat. Formam item regiminis a Chriſto inſtituti & ab Apoſtolis exerciti; formam quidem eſſe regiminis Monarchici, ſed Ariſtocratico tamen & Democratico temperati: quemadmodum diſerte docuit apud Conſtantienſem Synodum Cardinalis de Alliaco in Tractatu *de Auctoritate Concilii Generalis & Romani Pontificis*, Parte II. & Gerſon in ſuis Operibus paſſim, conſentientibus ceteris, quos hucuſque laudavimus & ſecuti ſumus (*a*).

Et illud Innocentii I. ad Victricium Rothomagenſem: *Non quo nova præcepta aliqua imperentur, ſed ea quæ per deſidiam aliquorum neglecta ſunt, ab omnibus obſervari cupiamus; quæ tamen Apoſtolica & Patrum traditione ſunt conſtituta*. Et illud Bonifacii I. ad Hilarium Narbonenſem: *Quod nequaquam poſſumus ferre patienter, quia convenit nos paternarum ſanctionum diligentes eſſe cuſtodes*. Et illud Leonis Magni ad Martianum Imperatorem, ubi de obſervandis Nicænis Canonibus agit: *In quo opere auxiliante Chriſto fideliter exequendo, neceſſe eſt perſeverantem me exhibere famulatum: quoniam diſpenſatio mihi credita eſt, & ad meum tendit reatum, ſi paternarum regulæ Sanctionum, quæ Spiritu Dei inſpirante ſunt conditæ, me connivente violentur*.

(*a*) Gerſon *de Poteſtate Eccleſiaſtica* Conſid. IV. pag. 231. de loco illo agens Matthæi XVIII. 15. *Si te non audierit, dic Eccleſiæ*, hoc modo diſſerit: *Fundatur abſque omni calumnia poſſibili in hoc textu plenitudo poteſtatis gladii ſpiritualis, & executio ejus in Eccleſia, ſuper quemlibet Chriſtianum, qui eſt frater noſter, etiamſi Papa fuerit*. Rurſus Conſid. VIII. pag. 237. *Teneatur ergo ſuum judicium, & maneat Eccleſiaſtica Politia optimo regimine, quale fuit ſub Moyſe gubernata, quoniam mixta fuit ex triplici Politia. Regali in Moyſe: Ariſtocratica in LXXII. Senioribus: & Timocratica dum de populo & ſingulis tribubus ſub Moyſe*

Intelliget denique, titulos illos *Capitis & Paſtoris Eccleſiæ univerſalis*, *Patris & Magiſtri omnium Chriſtianorum*, quos Eugenius IV. in Bulla *Lætentur Cœli* apud Concilium Florentinum edita anno MCCCCXXXIX. adſerit jure divino competere Romano Pontifici: ſingulos eo in ſenſu accipiendos eſſe, quem declararat Martinus V. Eugenii Prædeceſſor in Bulla *Inter cunctas*, apud Conſtantienſe Concilium promulgata an. MCCCCXVIII. Articulus Joannis Wiclefi XLI. talis erat: *Non eſt de neceſſitate ſalutis credere, Romanam Eccleſiam eſſe ſupremam inter alias Eccleſias*. Hunc Sancta Synodus primum, deinde Martinus V. hac cenſura confixit: *Error, ſi per Romanam Eccleſiam intelligat univerſalem Eccleſiam aut Concilium Generale, aut pro quanto negaret Primatum Summi Pon-*

Concil. To. XVIII. *p.* 527.

Hard. Tom. IV. p. 1525.

Moyſe rectores ſumebantur. Idem Conſid. XIII. pag. 254. poſtquam ex Ariſtotele explicaſſet triplicem Politiam civilem; nempe Monarchiam, Ariſtocratiam, & Timocratiam: e veſtigio dicere pergit in hunc modum: *Omnis Politia Eccleſiaſtica, ſive dominetur unus, ſive pauci, ſive plures boni, dicitur proprie divina: quia ſecundum leges ſupernaturales debet quilibet regulationem accipere. Et ita perſpicuum eſt, quod tres iſtæ Politiæ uniuntur in Eccleſia, aliter quam in civili Politia, propter divinæ legis unitatem*. Et paullo infra: *Poſſumus conformiter ad prædictam Philoſophi Politiam tripliciter diſtinctam, in naturali regimine Politiam Eccleſiaſticam dividere: quod alia eſt Papalis, alia Collegialis, alia Synodalis, ſeu Concilii Generalis. Papalis imitatur Regalem: Collegialis Dominorum Cardinalium imitatur Ariſtocraticam: Synodalis Generalis imitatur Timocratiam, vel potius eſt perfecta Politia, quæ reſultat ex omnibus*. Idem in Sermone *ſuper Proceſſionibus pro viagio Regis Romanorum*, Parte III. Direct. II. pag. 279. *Eſſet omnium optima & ſaluberrima Politia, quæ triplicem hanc bonam complecteretur, Regalem, Ariſtocratiam, & Timocratiam. Eſt autem Generale Concilium Politia talis com-*

Pontificis ſuper alias Eccleſias particulares. Unde colligitur, Summum Pontificem eſſe quidem Caput, & Magiſtrum, & Paſtorem univerſalis Eccleſiæ; ſed Eccleſiæ quidem univerſalis diſtributive ſumptæ (ut ajunt Philoſophi), hoc eſt, ſpectatæ in ſingulis Eccleſiis particularibus; non vero collective ſumptæ, hoc eſt, ſpectatæ ut univerſalis, & acceptæ pro toto Corpore, vel pro Concilio Generali illud repræſentante. Namque ſecundo hoc ſenſu non eſt Papa Caput Eccleſiæ nec Concilii Generalis, ſed Chriſtus tantummodo. Imo huic Eccleſiæ ſic generatim & pro toto Corpore ſumptæ Papa ipſe eſt ſubditus, ut membrum & filius ejuſdem Eccleſiæ, licet nobilius & ſuperius ſingulis aliis membris.

XXXVII. Scilicet id erat, quod dicebant Pa-

compoſita, &c. Denique ut alia omittamus, idem in Tractatu *de Statu Summi Pontificis*, Conſid. II. pag. 530. *Papatus has Politiarum ſpecies* (nempe Ariſtocratiam & Democratiam) *non excludit*, *ſed aſſumit: quemadmodum de Sacro Dominorum Cardinalium Collegio*, & *de Generali Concilio videre eſt*. Quod igitur Gerſon cum in Libro *de Auferibilitate Papæ*, Conſid. VIII., tum aliis in locis Papam Monarcham vocat, ac pro Monarcha habendum decernit: id eo ſenſu intelligendum eſt, quatenus reſpectu ſingulorum Chriſtianorum ſingularumque Eccleſiarum ſupremus in Eccleſia Catholica Princeps, ſupremuſque Canonum Executor & Vindex eſt Romanus Pontifex: vel quatenus ipſe, certis quibuſdam caſibus exceptis, quorum cognitio ac deciſio ad Concilium Generale ſpectat: cetera omnia ſummo jure ſummoque imperio moderatur. Conſule ſis Nicolaum Cuſanum Libro II. *de Concordantia Catholica* Cap. 20., Edmundum Richerium *de Eccleſiaſtica & Politica Poteſtate* Cap. III. & ſeqq., Illuſtriſſimum Boſſuetum Lib. I. *Appendicis* Cap. III., & Ludovicum Maiburgum *de Eccleſia Romana* Cap. XXV.

Patres Concilii Baſileenſis: *Papam eſſe ſuperiorem in Eccleſia, ſed non Eccleſia ſuperiorem*. Id erat, quod prædicabat Gerſon in Sermone S. Antonii Abbatis: *Dandam eſſe ſupremam & plenam Summo Pontifici poteſtatem Eccleſiaſticam, ſed in comparatione ad fideles ſingulos & ad particulares Eccleſias*. Addebat hoc ſenſu intelligenda eſſe, quæcumque de ſuprema Papæ poteſtate tradidiſſet uterque Sanctus Doctor, Thomas & Bonaventura. Atque in eandem doctrinam conſentiunt Theologi ceteri, quos ſupra citavimus: e Cardinalibus Zabarella, Alliacenſis, & Cuſanus: ex Epiſcopis Abulenſis, Megarenſis, & Cæſarienſis: Panormitanus item, Æneas Silvius, & ipſæ Academiæ Pariſienſis, Colonienſis, Viennenſis, Erfurdienſis, & Cracovienſis. Audiatur pro omnibus una Colonienſis, quæ ab Archiepiſcopo ſuo ſententiam rogata ita reſpondit an. MCCCCXL. *Eccleſia Synodaliter congregata habet ſupremam juriſdictionem in terris, cui omne membrum Eccleſiæ, cujuſcumque dignitatis fuerit, etiam Papalis, obedire tenetur*. Et paullo inferius: *Omnes obedire tenentur Chriſto ſuæque Sponſæ Eccleſiæ, in qua prima præſidentia eſt Sedis Apoſtolicæ*, SUPER OMNES ALIAS ECCLESIAS PARTICULARES ET SEDES INFERIORES, *non ſuper totam univerſalem prælatæ*.

Tom. V. Hiſt. Univerſ. Pariſ. pag. 460.

XXXVIII. Confirmet ſuperiora omnia celebris Gloſſa Capitis *A recta ergo*, Decreti Parte II. Cauſa XXIV. 9. *Quæro de qua Eccleſia intelligas, quod hic dicitur, quod Eccleſia errare non poteſt? Si de ipſo Papa, qui Eccleſia dicitur? Sed certum eſt quod Papa errare poteſt* (a). Re-

(a) Si Papa, etiam quatenus Eccleſia dicitur, errare poteſt: errare utique poteſt ut Papa. Atqui Gloſſæ Auctori, nempe Bartholomæo Brixienſi, qui ſæ-

Reſponde: *ipſa Congregatio fidelium hic dicitur Eccleſia*, *& talis Eccleſia non poteſt non eſſe*, *nam Dominus orat pro Eccleſia :* Ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua *: & voluntate labiorum ſuorum non fraudabitur*. Confirmet Gloſſam Innocentius Papa III. qui ad Philippum Auguſtum Galliæ Regem ſcribens ita inquit Lib. XV. Epiſt. 106. *Si ſuper hoc* ABSQUE GENERALIS DELIBERATIONE CONCILII *determinare aliquid tentaremus*, *præter divinam offenſam & mundanam infamiam*, *forſan ordinis & officii nobis periculum immineret*. *Innocentius Tomo II. p. 639. edit. Baluz.*

XXXIX. Supereſt pro finienda longiſſima hac Diſ-

ſæculo XIII. florebat ſub Gregorio IX., hac etiam in parte præiverat ipſe Decreti Auctor Gratianus in Caput *Ita Dominus*, Diſt. XIX. 7. ipſo fatente Melchiore Cano Libro VI. *de Locis Theologicis*, Cap. 1. Manavitque hæc eadem doctrina ad poſteros etiam ante Concilium Conſtantienſe : ut ex egregio loco Jacobi Furnierii Cardinalis S. Priſcæ, poſtea Benedicti Papæ XII. ab Aimerico ejuſdem ævi ſcriptore memorato in Directorio Inquiſitorum, Part. I. Quæſt. XVII. obſervavit Illuſtriſſ. Boſſuetus in Diſſertatione Prævia, §. XLVIII. & Dupinus in Probationibus Quartæ Propoſitionis Cleri Gallicani, pag. 732. Eſt & illud memorandum, quod eadem Gloſſa habet in Caput *Legimus*, Diſt. XCIII. ad illud Hieronymi. *Si auctoritas quæritur*, *orbis major eſt urbe*. Sic enim ſcribit: *Eſt hic argumentum*, *quod ſtatuta Concilii præjudicant ſtatuto Papæ*, *ſi contradicant*. Et rurſus in Caput *Nemo*, Cauſa IX. Quæſt. III. *Cum Papa peccat*, *poteſt ejus peccatum etiam Eccleſiæ denuntiari*, *ſecundum admonitionem Evangelii*. Et in Caput *Si Papa*, Diſt. XL. *Certe credo*, *quod ſi notorium eſt crimen Papæ*, *quandocumque inde ſcandalizatur Eccleſia*, *& incorrigibilis eſt*, *quod inde poſſit accuſari : nam contumacia dicitur hæreſis diſt.81. Can. Si qui Presbyteri*. Adeo certum erat vel ipſis Canoniſtis ante Baſileenſes turbas, Papam Generali Concilio Eccleſiam repræſentanti ſubjacere, etiam extra caſum hæreſis.

Diſſertatione ſatisfacere poſtremo argumento, quo Decreta Conſtantienſia oppugnant Theologi de Curia. Deſumptum autem eſt ex Bulla *Paſtor æternus*, a Leone X. in Lateranenſi Quinto Concilio edita: ubi Pontifex ille adſerit, *Romanum Pontificem ſupra omnia Concilia poteſtatem habere*. Mirum vero, quam exultent hoc Leonis teſtimonio memorati Theologi, præſertim Bellarminus Lib. II. *de Conciliis*, Capite 13. & Andreas Duvallius Pariſienſis Doctor, qui a Perronio Cardinale ſubornatus, initio ſuperioris ſæculi inter alia elucubravit Tractatum *De Suprema Romanorum Pontificum Poteſtate*, ubi majorum doctrinæ nuntium remittens, acerrimum ſe præbuit Ultramontanorum placitorum defenſorem. Uterque tamen Theologus, cum negare non auderet, Bullam haud præſeferre notas dogmaticæ Definitionis; faſſus tandem eſt, nihil ex illa concludi poſſe, quo terrendi eſſent ſuffragatores contrariæ doctrinæ. Nam Parte IV. Libri ſui, Quæſtione VII. id profitetur Duvallius: *Non tantum neutram harum opinionum hæreticam eſſe, ſed & neutram eſſe erroneam & temerariam*. Cauſa vero illa eſt: quoniam ex una parte, ipſo fatente Bellarmino & Duvallio, certum non eſt, Lateranenſe Quintum Concilium fuiſſe Œcumenicum. Nam ex Epiſcopis & Cardinalibus vix interfuere octoginta, atque horum quidem plerique ex Italia collecti: exteros enim a Romano itinere prohibebant bella, quibus tunc temporis flagrabat Italia, diſſidentibus inter ſe, deque Mediolanenſi Ducatu acriter contendentibus Gallis & Germanis, quibus utrinque fœderati alii ſe adjunxerant. Ex alia parte memorata Leonis verba Bullæ inſerta inveniuntur non per modum definitionis, ſed per modum narrationis vel ratiocinationis Theologicæ. Dudum vero admonuit magnus Canus Libro

Duvallius Tom. III. Bibl. Pontif. p. 564.

bro VI. Capite 8. in Conſtitutionibus Pontificiis *aliud eſſe intentionem concluſionemque Decreti*, *aliud rationem & cauſam* (*a*). Intentio ergo Bullæ una erat abrogare Pragmaticam Sanctionem Caroli VII. Gallorum Regis. Hinc pro re nata varia argumenta conceſſit Leo X. pro ſuprema auctoritate Pontificum Romanorum. *Canus p. 202. novæ edit.*

XL. Hæc autem argumenta adeo infirma ſunt, ut ſiquis contendat pro dogmatico Decreto habendum id eſſe, quod loco illo docet Bulla Leonis; næ is pro Catholicæ Fidei Dogmate nobis obtrudat id, quod ad fidem pertinere nullo modo evincitur ex teſtimoniis adlatis ab ipſo Papa, vel a Theologo quopiam artifice Bullæ. Ex Sacris Scripturis unum illud pro Suprema Romani Pontificis auctoritate in ipſo mox Bullæ initio urget Leo. *Petri Succeſſoribus, ex Libri Regum teſtimonio ita obedire neceſſe eſt, ut qui non obedierit, morte moriatur*. Nolo ſcribæ oſcitationem coarguere, Libris Regum adſcribentis teſtimonium illud, quod (ut in vetuſtis aliquibus Lateranenſis hujus Concilii exemplaribus ad oram adnotatum eſt) in uno Deuteronomii Libro reperitur, nempe Capite XVII. verſu 12. Non debet tamen ſilentio a nobis premi, non ſolum in hac Bulla *Paſtor æternus* Leonis X. ſed etiam in Ca-

(*a*) Hocce Cani principio innixus, ſumptum e Lateranenſi Concilio argumentum egregie diluit Launojus, quem vide in Epiſtula ad Ludovicum Maræſium, quæ eſt XI. Libri I. pag. 114. & ſeqq. ubi & illud invenies adnotatum. *In Lateranenſi Concilio adfuerunt tantum Cardinales, Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi, XVI. Patriarchæ & Aſſiſtentes Papæ & Oratores XI. Archiepiſcopi & Epiſcopi LIII. Abbates & Ordinum Generales V. omnes octoginta quinque: magnam partem ex Italis conſtans Synodus*.

Capite *Per venerabilem*, 13. *Qui filii ſint legitimi*, Innocentii III. mutilum vel corruptum laudari huiuſmodi teſtimonium. Laudatur mutilus in Bulla *Paſtor æternus*: quia ita laudatur, quaſi ſic in Sacra Scriptura legeretur: *Qui non obedierit Sacerdotis imperio, morte moriatur*. Laudatur corruptus in Capite *Per venerabilem*: ac ſi talis eſſet in Apographo: *Qui non obedierit Sacerdotis imperio, decreto judicis moriatur*. Atqui ſincerus locus, qualem vulgata Editio repræſentat, alium plane ſenſum exhibet. Sic enim habet: *Qui non obedierit Sacerdotis imperio & decreto judicis, morte moriatur*. Nempe ut crimen capitale eſſet, debebat reus duobus non obedire, non autem ſoli Sacerdoti. Adde, quod ex ſenſu allegorico (qualis a Leone X. & Innocentio III. adhibetur) exploratum eſt apud Theologos, non bene probari dogma Catholicum. Quin etiam monuit jampridem nos Illuſtriſſimus Petrus de Marca Libro II. Capite 5. e Politia Synagogæ male ad Eccleſiæ Politiam argumentum trahi. *Non bene merentur*, inquit, *de Romano Pontifice, nec de Regibus Chriſtianis, qui auctoritatem harum dignitatum in Eccleſia Chriſtiana ex inſtitutis Judaicis metiuntur*.

Marca P. I. p.70.

XLI. Traditionis Monumenta a Leone producta hæc ſunt quæ ſequuntur. Primum: Epiſtula Synodi Alexandrinæ ad Felicem Papam ſub S. Athanaſio: quam cum reliquis ab Iſidoro Mercatore evulgatis, ut ſpuriam & ſuppoſititiam rejiciunt hodierni critici ad unum omnes: idque Baronio duce ad annum CCCLVII. Accedit, quod etiamſi hanc Epiſtulam ut genuinam admitteremus, nihil illa faveret Leoni. Alterum: unius Leonis Magni auctoritate translatam eſſe Chalcedonem Secundam Synodum Epheſinam. Id vero cum ipſa Hiſtoriæ veritate pugnat: ex qua conſtat, Synodum Chalcedonenſem celebratam fuiſſe anno uno poſt

poſt concluſam & ſolutam Epheſinam. Imo ex Actis liquet, primum auctorem convocandæ Synodi fuiſſe Martianum Imperatorem, adprobante licet & conſentiente S. Leone Papa. Legatur Natalis Alexander Diſſertatione XI. in Hiſtoriam Quinti Sæculi. Tertium: nullo Epiſcoporum adſenſu expectato, translatam pariter eſſe Baſileam a Martino V. Synodum Senenſem. Ego vero in Bulla ejuſdem Pontificis, quæ incipit, *Dum onus*, invenio de communi conſenſu Papæ & Epiſcoporum decretam eſſe hujuſmodi translationem. *In Concilio*, inquit, *Senenſi per noſtros & Apoſtolicæ Sedis Nuncios tum in dicto Concilio præſidentes, eodem adprobante Concilio Civitas Baſileenſis deputata extitit*. Atque ita translationem fieri oportebat ex Decreto *Frequens* Conſtantiæ edito, quod idem Martinus adlegat. *Concil. To.xviii. p. 226.*

Cetera exempla laudata a Leone X. nihil aliud ſunt, quam communes quidam loci tantum generatim probantes maximam illam obſervantiam, qua Romanos Pontifices ſemper proſecutæ ſunt & proſequi debent ipſæ Synodi Œcumenicæ. Legatur Epiſtula Launoji ad Ludovicum Maræſium, quæ eſt XI. Libri I.

XLII. Quod ſiquis præterea verba penſitarit Theologorum quorumdam graviſſimorum, qui diu poſt celebratam Lateranenſem Quintam Synodum etiam extra Galliam hoc idem argumentum de auctoritate Conciliorum verſavere: exinde rurſus ipſe conficiet non immerito, Bullam Leonis X. non eſſe dogmaticam; nihilque auctoritatis per illam detractum eſſe de Conſtantienſibus Decretis. Joannes Driedo Lovanienſis Doctor apud Belgas, Lib. IV. *de Eccleſiaſticis Dogmatibus* Capite 4. (quod Opus Lovaniæ primum editum eſt an. MDXXXIII.) quæſtiones illas agitans, de quibus loquimur: *Utrum Succeſſor Apoſtoli Petri ſit prælatus omnibus*

bus aliorum Epiſcoporum Eccleſiis? Utrum univerſalis Eccleſiæ auctoritas ſit major auctoritate ſeu poteſtate Papæ, an e contrario? hæc e veſtigio ſubjungit: *Videntur has quæſtiones ſolvere doctrina Chriſti & determinatio Conſtantienſis Concilii. Doctrina quidem Chriſti in Evangelio docentis: Si peccaverit in te frater tuus, dic Eccleſiæ, &c. Cum ergo Papa ſit frater & membrum in corpore Chriſti, conſequens videtur, quod ipſe aut a fide devians aut ſcandaloſe vivens, ſit ſubjectus judicio Eccleſiæ, cui in toto Apoſtolorum Collegio deſignatæ Chriſtus ibidem inquit: Quæcumque alligaveritis ſuper terram, &c. Item & definitio Concilii Conſtantienſis Seſſione V. declaravit & definivit, quod illa Synodus, &c.*

Driedo p. 566. Lovan. 1533.

Antonius a Corduba Hiſpanus Theologus Ordinis Minorum, iſque doctiſſimus, & qui Tridentino Concilio interfuit, Lib. IV. Quæſtionum Theologicarum, Quæſtione IV. *Utrum Concilium ſit ſuper Papam, vel e converſo? Opinio prima eſt, quod Concilium eſt ſupra Papam indiſtincte, quam ſequitur innumerabilis turba Doctorum utriuſque Juris, & Univerſitas Pariſienſis, & quædam aliæ Univerſitates amplexæ ſunt, &c.* Toleti primum editum eſt hujuſmodi Opus an. MDLXXVIII. teſte Bibliotheca Franciſcana.

Dominicus Sotus & ipſe Hiſpanus ex Prædicatorum Ordine, idemque unus de primariis Theologis Tridentinis, in IV. Sententiarum, Diſtinctione XX. Quæſtione I. articulo 4. *Non aliter Concilium habet auctoritatem a Summo Pontifice, quam quod Epiſcopi creantur ab ipſo: & e contrario, ſi aliqua ratione Concilium eſt ſupra Papam, non eſt quod ipſe a Concilio recipiat auctoritatem; ſed quia omne membrum, etiam caput, eſt pars totius, & ideo tenetur ſtare decreto & ſententiæ totius.*

Sotus p. 555. Lovan. 1573.

Franciſcus de Victoria, Hiſpanus & ipſe Theologus ex eodem Ordine; cujus eximiæ lit-

litteraturæ, quando alia deeſſent, illud nobile argumentum foret, quod apud Salmaticenſes Primarium Theologiæ Profeſſorem egerit, ibique diſcipulum habuerit magnum illum Canarienſium Epiſcopum Melchiorem Canum. Is Franciſcus de Victoria in Relectione *de Poteſtate Papæ & Concilii* cum aliis cuſa Salmanticæ anno MDLXV. in hunc modum ſcribit: *De comparatione poteſtatis Papæ eſt duplex ſententia: altera S. Thomæ & ſequacium multorum & aliorum Doctorum tam in Theologia quam in Jure Canonico, quod Papa eſt ſupra Concilium: altera eſt communis ſententia Pariſienſium, & multorum aliorum Doctorum in Theologia & Canonibus, ut Panormitani & aliorum: quod Concilium eſt ſupra Papam.*

XLIII. Optandum ſane eſſet, ut Theologi de Curia, ubi de Pariſienſibus placitis verba faciunt, tam viderentur a partium ſtudiis alieni, quam ante ducentos annos, ac diu poſt celebrata Concilia Florentinum & Lateranenſe erant primarii Theologi de Hiſpania; nondum ſcilicet illorum mentes præoccupantibus Libris Bellarmini, Aguirrii, Rocabertii; & Orſii. Ut autem intelligas, eadem omnino cum Hiſpanis ſenſiſſe tunc temporis Luſitanos; jam in ſuperioribus expoſuimus, quid de illiſmet quæſtionibus ſcripſerit & ſenſerit apud Conimbricenſes laudatiſſimus Doctor Navarrus, cum anno MDXLVIII. Caput *Novit*, *De Judiciis*, ſuis commentariis illuſtraret. Nunc autem poſtremo loco oſtendemus, quænam temporibus illis ſententia fuerit magni Didaci Payvæ Andradii, Sebaſtiani Regis apud Tridentinam Synodum Theologi: tum cum a jugo & ſervitute, quibus poſtea a Jeſuitis Magiſtris oppreſſæ ſunt, liberæ adhuc erant Luſitanæ Scholæ.

Ejus incomparabile Opus, quod inſcribitur *De-*

Defenſio Tridentinæ Fidei, jubente Henrico Cardinale Generali Inquiſitore, examinatum fuit a Patre Fratre Bartholomæo Ferreria Ordinis Prædicatorum; deinde typis commiſſum in Cœnobio Beatæ Mariæ de Gratia Oliſipone anno MDLXXVIII. adſentiente etiam Chriſtophoro Archiepiſcopo Oliſiponenſi. In hoc autem Opere, ubi argumentorum ſoliditati par eſt orationis nitor & facundia: Libro I. hanc doctrinam tradit Payva. Non pugnare cum obedientia Romano Pontifici debita, ſiquis interdum illis Pontificis mandatis reſiſtat, quæ ſibi injuſta & noxia videantur. Ea autem pro injuſtis & noxiis habenda, quæ moribus illis vel legibus adverſentur, quas ad Eccleſiam ſanctè inſtituendam & regendam Chriſtus, vel Apoſtoli, vel Sancti Patres condiderint. *Non inficior quod ſi aliquando Romanus Pontifex ita deſipiat, ut quæ injuſta & perniciosa ſunt, imperet: audacter ſit illius voluntati repugnandum, & ſcelerata juſſa forti & invicto animo contemnenda: quod tamen non eſt obedientiam abjicere, ſed humanæ voluntati divinam anteferre. Ubi enim (inquit Urbanus) aperte Dominus vel ejus Apoſtoli, & eos ſequentes Sancti Patres ſententialiter aliquid definierunt, ibi non novam legem Romanus Pontifex dare, ſed potius quod prædicatum eſt, uſque ad animam & ſanguinem confirmare debet: ſecus enim faciens non ſententiam dare, ſed magis errare confirmaretur.*

Payva fol. 48.

Ut vero intelligas, Payvam loqui non ſolum de illis Decretis, quæ cum Fide pugnarent; ſed etiam & potiſſimum de illis loqui, quæ ſpectant ad Diſciplinam: audi quid ille in ſequentibus ſcribat: *Unde extitit conſtans illa Theologorum ſententia, Romanis Pontificibus tantam illam poteſtatem a Chriſto tributam eſſe, ut Eccleſiæ rationibus conſulant, non ut omnia licenter diſturbent, diſſipent, confundant: atque ideo ne-*

Ibid. fol. 48. *verſ.*

nefarium etiam ab illis ſcelus admitti, ſi Eccleſiaſticarum legum ſeveritatem diſpenſationum temeritate relaxent, & levitate magis quam neceſſitate ad diſpenſandum inducantur. Id cum confirmaſſet Payva illis Gelaſii I. & Leonis IV. teſtimoniis, quæ nos ipſi, antequam apud Payvam legiſſemus, alio jam in loco laudavimus: orationem ſuam his ille verbis tandem concludit: *Quod fortaſſe Concilium Conſtantienſe permovit, ut quemvis ſuprema etiam in Eccleſia auctoritate fulgentem, Concilii ſanctionibus ſubjectum eſſe dixerit: quippe quia horrenda ſint in eos ſupplicia a Deo conſtituta, qui leges ſanctiſſimas frangunt, aut de earum ſeveritate quidquam nullis legitimis de cauſis remittunt.* *Ibid. fol. 49.*

Qui de Conſtantienſi Concilio ita loquitur, is ſane neque illud contemnit, neque reprobatum judicat. Illud porro ſcite obſervat Joannes Launojus Libro III. Epiſtula 3. numero 82. ex eo quod graviter peccant Romani Pontifices abrogando vel immutando nulla de cauſa leges Conciliorum Generalium, (peccare autem fatentur omnes Theologi) recte colligi, legibus ipſis Pontifices ſubjacere. Nemo enim peccat in legem, cui ipſe non ſubeſt.

PRINCIPIUM VI.

Quando Epiſcopi in Reſervationes Pontificias conſenſere (ſi tamen conſenſere , vel ſi conſenſere in omnes) , factum id omnino ſub illa conditione fuit , ut ubi aliqua ratione adiri Roma non poſſet , ad illos ſtatim devolveretur , & penes illos interim remaneret auctoritas priſtina .
Teſtimonia SS. Cypriani , Auguſtini , Joannis Chryſoſtomi , Cæleſtini Papæ I. , Joannis Gerſonis : exempla item SS. Athanaſii Alexandrini , Euſebii Samoſatenſis , & Cleri Gallicani .

PROBATIONES.

I. FInis quo Epiſcopi a ſe ad Romanam Sedem tranſmiſere jura & facultates , quibus antea potiebantur , alius eſſe non poterat , quam major utilitas Eccleſiæ univerſalis & ſingularum Parœciarum ; quarum neceſſitatibus ſublevandis , ceu promptus quidam & ſapiens Proviſor , Romanus Pontifex parabatur . Ubi igitur occluſo Romano commercio ceſſarit finis hujuſmodi : ceſſat pariter Reſervatio , in quam conſenſerant Epiſcopi . Ratio hujus eſt : quoniam Epiſcoporum officium jure divino eſt officium paſcendi . Sic enim docet Petrus Apoſtolus : *Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei , non coacte , ſed ſpontanee* . Et rurſus : *Non dominantes in Clero , ſed forma facti gregis* (a) . Pa-

(a) Summa caritate, non ſummo jure tractandas oves Paſtores Eccleſiaſticos hic monet Petrus . Nazianzenus in Apologetico : *Vel maxime id lex noſtra & legislator noſter ſanxit , ut grex non coacte , ſed ſponte ac libenti animo paſcatur* . Auguſtinus in Epiſtula ad Cæleſtinum Papam : *Non permittas iſta fieri obſecro te per Chriſti Sanguinem , per Beati Petri memoriam , qui Chriſtianorum Præpoſitos populorum monuit , ne violenter dominentur in fratres .*

Paſtores autem ſola facit cura ovium : quibus illi providere debent , quidquid ad ſpiritualem earum conſervationem & vitam opus fuerit. Namque propter ſolas oves curandas & paſcendas Paſtores Chriſtus inſtituit , qui ſunt Epiſcopi. Auguſtinus Libro II. *contra Creſconium,* Capite XI. *Neque enim Epiſcopi propter nos ſumus, ſed propter alios ſumus.* Nemo autem inficiari poteſt, uno illo maxime indigere oves Chriſti ſeu fideles ejus populos, ut aliquo ſive morbo ſive periculo laborantibus miſericorditer & paterne quis ſubveniat , remittens illarum gratia ſeveritatem Canonum & Legum Eccleſiaſticarum. Neque enim ſummo jure in omnibus, vel rigore nobis utendum : ut præclare omnino cum Tridentinis Patribus Seſſione XXV. Capite 18. docent Paſchalis Papa II. in Epiſtula XLII. ad Anſelmum Cantuarienſem , & Ivo Carnotenſis in Proœmio Decreti ſui. Cum ergo hinc poteſtas relaxandi Canones acceſſorium quoddam ſit, quod divelli ab Epiſcopatu non poteſt: hinc exercitio hujuſmodi poteſtatis ſummopere indigeat Eccleſia: maximo ſane damno adficeretur ipſa Eccleſia , vergeretque in deſtructionem potius , quam in ædificationem inſtituta a Chriſto poteſtas ; ſi clauſo Romano itinere non poſſent Epiſcopi illa in ſubditos œconomia uti , qua per Canones uti licet.

Tom.IX. p. 415.

Hinc colligebat magnus Gerſon , nullam ex certis quibuſdam Reſervationibus Pontificiis, quantavis antiquitate pollentem , præſcribere aut valere quidquam poſſe adverſus publicam utilitatem Eccleſiarum & Diœceſium : juſque proinde eſſe Epiſcopis eas contemnere, ubi aliter ovium ſuarum pernicies vitari non poſſet. *Exurgant Prælati Eccleſiæ offerentes Deo ſacrificium juſtitiæ, & has rapinas, furta, & latrocinia Romanæ Curiæ* (his ille nominibus Reſer-

Gerſon Tom. II. pag. 184.

vationes donat) *dignentur penitus amovere* : *quia non poſſunt in detrimentum univerſalis Eccleſiæ ſtare aut præſcribi , cum ſint contra naturam propriam corporis myſtici , & contra omnem ordinem juſtitiæ* , *&c.*

II. Huic argumento vires addunt teſtimonia graviſſimorum illorum Theologorum , & Canoniſtarum , quæ Parte altera hujus Diſſertationis ſum deſcripturus : omnes enim conſentiunt , in illo rerum ſtatu devolvi rurſus ad Epiſcopos juriſdictionem priſtinam , quæ in illis quidem exiſtimari non debet delegata , ſed ordinaria .

Vires quoque addit cum conſuetudo , tum communis perſuaſio , quæ Epiſcopis ſemper inſedit ut crederent ; impedito ad Apoſtolicam Sedem acceſſu vel cauſa bellorum , vel occaſione alicujus longi ſchiſmatis , vel prohibitione Principum Supremorum : poſſe Epiſcopos diſpenſationes & abſolutiones elargiri in omnibus caſibus Papæ reſervatis , quoties ex mora in grave ſalutis ſuæ diſcrimen adducuntur ſubditi . Ita judicarunt & reipſa fecerunt , Avenionenſi ſchiſmate per annos quadraginta conflagrante , cum Epiſcopi Hiſpani anno Chriſti MCCCXCIX. ſub Rege Henrico III. tum Galli anno MCCCCVIII. ſub Rege Carolo VI. Ita judicarunt & reipſa fecerunt , diffidentibus inter ſe Ludovico XII. & Julio II. iidem Galliæ Epiſcopi : diffidentibus vero Philippo II. & Paulo IV. iidem Epiſcopi Hiſpaniæ . Quæ omnia aliaque ejus generis Documenta etiam in Secunda Parte Diſſertationis hujus deſcribam.

III. Ut penitus intelligatur penituſque illuſtretur Sextum hoc Principium , opus eſt meminiſſe Theologiæ cujuſdam , quæ licet apud omnes Sanctos Patres vulgaris ſit & explorata ; erunt fortaſſe ex lectoribus meis nonnulli , qui ignorent . Scilicet ut Grex Chriſti unus eſt in

in multos diviſus (unde & ipſa Eccleſia una dicitur, licet in plures diviſa ſit), ita cura ipſius gregis communis eſt omnibus Paſtoribus, nempe Epiſcopis: ut aliis deficientibus, adcurrant alii ad oves Chriſti paſcendas (*a*). S. Cyprianus Epiſtula LXVIII. *Etſi paſtores multi ſumus, unum tamen gregem paſcimus; & oves univerſas, quas Chriſtus ſanguine ſuo & paſſione quæſivit, colligere & fovere debemus*. Et rurſus alio loco: *A Chriſto una Eccleſia per totum mundum in multa membra diviſa. Item Epiſcopatus unus, Epiſcoporum multorum concordi numeroſitate diffuſus*. S. Auguſtinus Libro I. *contra duas Epiſtulas Pelagianorum*, Capite I. *Communis eſt nobis*,

Cyprianus pag. 293.

Auguſt. Tom. X. p. 412.

M 3

(*a*) Tractat hoc argumentum egregie Natalis Alexander Scholio III. in Diſſertationem IV. Sæculi I. Tomo III. editionis Pariſienſis pag. 117., ubi hanc propoſitionem tuetur. *Epiſcopos univerſalis Eccleſiæ curam ſuſtinere ratione caritatis, qua proſequi Eccleſiam, eique ſubſidium ferre debent: non ratione auctoritatis, qua univerſali Eccleſiæ præſint: vel ratione auctoritatis in tota Eccleſia, non quidem ſemper exercendæ, ſed in Eccleſiæ neceſſitatibus & periculis*. Quo illud ſane ſpectat Epiphanii in epiſtula ad Joannem Jeroſolymitanum Tomo II. pag. 312. *Ob Dei timorem hoc ſumus facere compulſi: maxime cum nulla ſit diverſitas in Sacerdotio Dei, & ubi utilitati Eccleſiæ providetur. Nam etſi ſinguli Epiſcopi habent ſub ſe Eccleſias, qui bus curam videntur impendere, & nemo ſuper alienam menſuram extenditur; tamen præponitur omnibus caritas Chriſti, in qua nulla ſimulatio eſt. Nec conſiderandum quid factum ſit, ſed quo tempore, & quomodo, & in quibus, & quare factum ſit*. Item illud Pauli Papæ II. in epiſtula ſcripta ad Archiepiſcopum Colocenſem anno MCCCCLX. *Quia unum corpus & unus ſpiritus omnes ſumus, qui unum Deum, unam fidem prædicamus & colimus. Unde & unitatem firmiter tenere & vindicare debemus omnes Epiſcopi, ut Epiſcopatum quoque, ut B. Cyprianus inquit, unum & individuum comprobemus*.

nobis, qui fungimur Epiſcopatus officio, ſpecula paſtoralis. Facio quod poſſum pro mei particula muneris, quantum mihi Dominus dare dignatur. S. Cæleſtinus Papa I. Epiſtula ad Synodum Epheſinam: *Hereditario in hanc ſollicitudinem jure conſtringimur, quicumque per diverſa terrarum loca Apoſtolorum vice nomen Domini prædicamus.* S. Joannes Chryſoſtomus Oratione de laudibus Euſtathii Antiocheni: *Edoctus probe fuerat a ſpiritus gratia, Eccleſiæ Antiſtitem non de illa ſolum, quæ ipſi ab ſpiritu ſit commiſſa, curam debere gerere: verum etiam de univerſa, quæ per orbem terrarum degit, &c.*

Concil. Tom.III. p.1143.

IV. Hinc porro ſequitur, deficiente vel impedito Supremo Paſtore, qui eſt Romanus Pontifex; poſſe ac debere Epiſcopos ſpiritualiter providere neceſſitatibus omnibus ſuorum ſubditorum. Nam ſola hac ratione vere dici poteſt, numquam Chriſti gregi deeſſe paſtores. Sola hac impoſitum ſibi munus ſtrenue exequentur Epiſcopi, quibus dixit Paulus Apoſtolus: *Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Sola hac facient Epiſcopi, ne cum eis Deus ita expoſtulet, quemadmodum apud Ezechielem legimus: *Quod infirmatum eſt, non conſortaſtis: & quod male habuit, non corroboraſtis: & quod tribulatum eſt, non conſolidaſtis* (*a*). Sola hac imitatores ſe gerent S. Athanaſii quem eo nomine celebrat S. Gregorius Nazianzenus Oratione XXI. quod cum Alexandrinæ Eccleſiæ præſideret, ea tamen ſollicitudine eoque zelo ceteris conſulebat, ut univerſalis Eccleſiæ

(*a*) Cum hæc primum deſcribebam, mihi erat ob oculos Cyprianus, qui Ezechielis locum e Græco expreſſit pene ad verbum. Vide Sabatierii Notas in Ezechielis XXXIV. 4.

ſiæ Epiſcopus videretur. Quod ipſum de illo adfirmavit S.Baſilius Cæſarienſis Epiſtula LXIX. alias LII. *Tantam geris omnium Eccleſiarum curam, quantam ejus quæ tibi peculiariter a Deo concredita eſt*. Sola hac exemplum ſequentur S.Euſebii Epiſcopi Samoſatenſis, qui, ut Theodoretus memorat Libro IV. Capite 13. cum ſub Valentis perſecutione multas Eccleſias paſtoribus viduatas inveniſſet in Syria, Phœnice, & Palæſtina, quas & ipſe extorris factus peragrabat: multos ibi ordinavit Epiſcopos, licet ipſe ſimplex quidam Suffraganeus eſſet ab Euphrateſia. Denique ſola hac ejus ſe Theologiæ ſectatores profitebuntur, quam re & verbo docuere Galli Epiſcopi, cum in Encyclica Epiſtula 10. Januarii, anno MDCXXXI. ita ſcribebant: *Limites habet Juriſdictio Epiſcoporum, non habet caritas. Omnes illud Apoſtoli uſurpare & poſſumus & debemus*: Inſtantia mea quotidiana, ſollicitudo omnium Eccleſiarum. *Itaque veteri atque Apoſtolico inſtituto, ſi qua in noſtris Parœciis ſchiſmata oriuntur aut hæreſes, auctoritate compeſcimus: ſi alibi, medemur amore; qui tum demum Chriſto dignus eſt animarum noſtrarum Epiſcopo, cum omnes complectitur, ſicut pro omnibus ille mortuus eſt*. Hæc cum dicimus, non eſt illud nobis propoſitum, ut Epiſcopis auctores ſimus invadendi in alienas Parœcias: ſed ut omnes intelligant, in eo rerum ſtatu, in quo Supremus Paſtor impeditus ſit providere neceſſitatibus Chriſtiani gregis; poſſe ac debere Epiſcopos vicem ejus ſupplere, ſingulos in ſingulis Parœciis.

Baſil. Tom.III. pag.161.

Theodor. pag.166.

Operibus Petri Aurelii præfixa extat.

PRINCIPIUM VII.

Quando a Regibus & Supremis Principibus prohibentur ſubditi Romam adire, nihil ad Epiſcopos pertinet inveſtigare, rectene, an ſecus prohibeantur: ſed obedire ipſis debent, ſubditiſque interim providere, quidquid ad eorum ſpirituale bonum opus fuerit.

Doctrina Apoſtolorum de obedientia Supremis Principibus exhibenda.

Teſtimonia SS. Athanaſii, Auguſtini, & aliorum Patrum de eodem argumento.

PROBATIONES.

I. Ethices Evangelicæ Principium eſt: ubi Princeps ſuo jure utatur, ipſaque præcepti materia neque divino jure, neque naturali legi repugnet (tunc enim *obedire oportet Deo magis quam hominibus*, ut inquit Apoſtolus): debere nos dicto audientes eſſe Principi. Audiamus Apoſtolorum Summum Pontificem, in ſua priori Epiſtula, Capite II. *Subjecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum: ſive Regi quaſi præcellenti, ſive Ducibus tamquam ab eo miſſis*. Et mox: *Servi ſubditi eſtote in omni timore dominis, non ſolum bonis & modeſtis, ſed etiam dyſcolis* (Græce: *ſed etiam aſperis & pravis*). *Hæc eſt enim gratia, ſi propter Dei conſcientiam ſuſtinet quis triſtitias patiens injuſte*. Hac doctrina Chriſtianos imbuebat S. Petrus, jubens obedire eos non invite Principibus legitimis, etiamſi tam eſſent injuſti & improbi, quam ipſe Nero, quo imperante hæc ſcribebat Apoſtolus (*a*). Ut ejuſdem Scholæ diſci-

(*a*) Eſtius in epiſtulam Petri pag. 1130. *Quo tempore ſcripta fuit hæc epiſtula, princeps imperii Romani era*

ſcipulus, tradit eandem doctrinam S.Paulus in Epiſtula ad Romanos Capite XIII. ubi ita ſcribit: *Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Ideo neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam* (*a*).

II. Sic a Chriſto & Apoſtolis inſtituti paſſim docent antiqui Patres, Principi quantumvis injuſte, ſuo tamen jure ſuaque auctoritate utenti, parendum eſſe in omnibus: niſi forte ea imperet, quæ vel cum divina vel cum naturali lege pugnent. Is Tertulliani ſenſus erat cum ita ſcribebat: *In omni obſequio ſubditos nos eſſe debere poteſtatibus intra limites diſciplinæ*. Is Auguſtini erat, cum ita dicebat: *Sive poteſtas veritati favens aliquem corrigat, laudem habet ex illa qui fuerit emendatus: ſive inimica veritati in aliquem ſæviat, laudem habet ex illa qui fuerit coronatus*. Et rurſus: *Ita a plebibus Principes & a ſervis Domini ferendi ſunt, ut ſub expectatione tolerantiæ ſuſtineantur temporalia, & ſperentur æterna*. Quid iniquius imperari poteſt, quam pelli in exilium fidei cauſa Chriſtianum? Et tamen in Epiſtula XIII. ad Rogatianum adfirmat S.Cyprianus, Chriſtianum eum, qui injuſſu Imperatoris vel Proconſulis ethnici ab exi-

---

erat Domitius Nero, Chriſtianorum graviſſimus perſecutor, ſub quo Petrus ipſe qui hæc ſcribit, & Paulus martyrium ſubierunt. Liquet ergo ex doctrina Apoſtolica, Principibus etiam infidelibus & valde malis obediendum eſſe.

(*a*) Eſtius hic pag. 156. *Non ſolum propter iram, id eſt, propter pœnam evadendam, quam leges minantur: ſed etiam & maxime propter conſcientiam, id eſt, quia animus noſter lege naturali & divina informatus hoc nobis dictat & loquitur, principibus obediendum eſſe tamquam Dei miniſtris & vicariis: ac proinde nos in Deum peccare, ſi minus illorum dictis, & imperatis audientes fuerimus.*

exilio revertitur, non jam ut Chriſti amicum, ſed ut Cæſaris inimicum pœnas dare. *Alius*
Cypr. p. 190. *in patriam, unde extorris factus eſt, regreditur, ut deprehenſus non jam quaſi Chriſtianus, ſed quaſi nocens pereat.* Sanctus quidem Euſebius Epiſcopus Samoſatenſis, cum eum ſua plebs prohibere vellet, ne in exilium proficiſceretur, contra ac juſſerat Valens, teſte Theodoreto Lib.
Theod. p. 167. IV. Capite IV. *Legem Apoſtolicam recitavit, quæ diſerte præcepit obediendum eſſe Magiſtratibus ac Poteſtatibus: hortatuſque ut pro Apoſtolica doctrina fortiter propugnarent, ad Iſtrum perrexit.* Similiter duo alii Catholici Epiſcopi, Eleuſyus Cyzici, & Sylvanus Tarſi: cum ipſis depoſitionem ab Epiſcopatu impius Conſtantius minaretur, niſi in Ariana dogmata conſentirent: eodem Theodoreto referente Libro II. Capi-
Theod. p. 123. te 27. *dixerunt Imperatori, penes illum jus eſſe ſtatuendi de ſupplicio: penes ipſos vero de pietate atque impietate.* Et S. Athanaſius in Apologia ad eundem Conſtantium, numero 26. diſerte proteſtatur, non ingreſſurum ſe in Alexandriam, unde ipſius juſſu erat extorris factus, niſi ſibi ingrediendi facultatem daret Im-
Athan. p. 511. perator. *Pietatis tuæ mandato minime repugnavi: neque Alexandriam ingredi conabor, donec humanitati tuæ id placuerit.* Et paullo ante profeſſus fuerat idem Athanaſius, pariturum ſe eſſe Quæſtori urbis perinde, ac ipſi Imperato-
Ibid. p. 507. ri. *Non tanti quippe ſum, ut obſiſtam vel Quæſtori urbis, nedum tanto Imperatori* (*a*).

Probe agnoſcebant ſancti iſti Epiſcopi, juſſa Imperatoris eſſe injuſta, eſſe iniqua, eſſe tyrannica. Verum enim vero cum hinc viderent,

(*a*) Plura ejus generis teſtimonia SS. Patrum inquirentibus dabunt Theſes noſtræ *de Suprema Regum etiam in Clericos Poteſtate*, Propoſitione X.

rent, præceptorum materiam non adverſari legi divinæ; hinc vero intelligerent, jure ſuo Imperatorem uti: dicto audientes erant non inviti, atque illud etiam proteſtabantur, ſic obediendo legem ſe illam exequi, quam Chriſtianis omnibus præſcripſiſſent Chriſtus & Apoſtoli.

III. Si ergo etiam tum, cum Princeps ſua poteſtate ſic abutitur, quemadmodum Conſtantius aut Julianus, juſſa ejus impigre exequebantur Athanaſii, Meletii, Cyrilli, Euſebii: ſi etiam tum docebant & proteſtabantur ſancti Epiſcopi, Principibus obediendum eſſe: quis, quæſo, Luſitanos Antiſtites liberabit ab obligatione exequendi præceptum illud adeo juſtum, quale piiſſimus ſapientiſſimuſque Rex noſter impoſuit, cum edicto vetuit, nequis ſubditorum ullum cum Romanis haberet commercium, Romamve adiret?

Eſt ab hoc præcepto non ſolum innata illa & notiſſima pietas, quæ velut hereditaria quædam virtus omnibus Regis ac Domini noſtri factis ineſſe ſolet: verum etiam conſuetudo omnium Catholicorum Regum, quibus mos eſt edicti hujuſmodi læſam Majeſtatem ſuam a Romanorum injuriis vindicare, idque nullo religionis diſpendio. Ad hæc minime ad ſubditos ſpectat explorare vel librare, juſte ne, an injuſte hæc a Regibus imperentur. Neque Rex item tenetur præcepti cauſas docere ſubditos. Eſt enim in confeſſo apud omnes, ubi præcepti materia Regiæ poteſtatis limites non tranſgreditur, ſed in illa potius continetur: debere ſemper a Rege eſſe præſumptionem juſtitiæ. Atqui æque exploratum eſt, id quod a Rege noſtro eſt imperatum, cum Luſitanos omnes prohibuit a commercio cum Romanis: materiam propriam eſſe Regiæ poteſtatis, cujus ſolius eſt decernere, expediatne ſubditos regno exce-

excedere, an non excedere? commercium item cum his vel illis exteris nationibus habere, an non habere? Ergo vel tum, cum Regii Decreti æquitas non ita pateret, quemadmodum ex tot Regiis Inſtrumentis Oliſipone evulgatis patuit: id leges ſane tum caritatis in proximum, tum pietatis in Principem poſtulabant, ut habere pro juſtiſſimo Decretum ipſum deberemus.

IV. Sed ponamus alicui (quod abſit) Decretum iniquum videri. At iniquius profecto non eſt illo Conſtantii aut Valentis, cum Athanaſium & Euſebium excedere Alexandria & Samoſata jubebant, quos ibi gregi ſuo Deus præfecerat. Et tamen, ubi eos inde excedere jubet Imperator, uterque excedit, uterque excedendum ſibi eſſe proteſtatur. Iniquius non eſt altero illo ejuſdem Conſtantii, quo per multos menſes Arimini conſiſtere juſſi ſunt Epiſcopi fere ſexcenti, non minori corporum, quam animarum damno: hyems enim maxime ſæviebat, erantque interim Paſtoribus orbatæ per Occidentem ſexcentæ Eccleſiæ. Et tamen tota hæc frequentiſſima Synodus, etiam tum cum legitima erat (Orthodoxa enim ſemper fuit), Imperatorem ſupplex obteſtabatur, daret ſibi veniam redeundi in ſuas Provincias, quandoquidem injuſſu ejus non liceret abire.

Apud Athanaſ. p. 724. *Tuam clementiam iterum obteſtamur, Imperator Auguſtiſſime, ut ante hyemis aſperitatem, modo tuæ pietati viſum fuerit, nobis ad noſtras Eccleſias reverti facias poteſtatem*. Iniquius non eſt illo Mauritii, quo a Monaſtica profeſſione milites arcebantur. Et tamen S. Gregorius Magnus, legem ipſam ab Imperatore promulgare juſſus, promulgare non abnuit: profeſſus ſe Imperatoris ſubditum, vel cum diſcordantia a divina lege præcipiebat. *Ego quidem juſſioni ſubjectus eandem legem per diverſas terrarum par-*

Gregor. Tom. II. p. 677.

tes

tet tranſmitti feci : & quia lex Omnipotenti Deo minime concordat , ecce Sereniſſimis Dominis nuntiavi. Denique iniquius non eſt eo , de quo loquitur Innocentius Papa III. cum in Epiſtula ad quendam Angliæ Epiſcopum data , unde deſumptum eſt Caput *Paſtoralis* , Libro I. Titulo XXIX. *De Officio & Poteſtate Judicis Delegati* , hæc docet : *Quia vero ſæpe contingit , quod executio ſententiæ Ordinario demandatur : quæſiviſti , an ſi ipſam injuſtam eſſe cognoverit , debeat eam executioni mandare ? an ſit ei potius ſubſiſtendum ? Reſpondemus , quod cum Ordinarius teneatur obſequi Delegato , etſi ſciat ſententiam illam injuſtam , exequi nihilominus tenetur eandem , niſi apud eum efficere poſſit , ut ab hoc onere ipſum abſolvat*.

V. Ad extremum quæcumque natura ſit & ratio Decreti Regii , certum eſt , prohiberi illo nos reipſa ab omni commercio cum Romanis. Certum eſt, illius vi arceri reipſa Luſitanos omnes ab adeunda Sede Apoſtolica , idque ſub graviſſimis pœnis. Certum eſt , non eſſe in poteſtate vel Epiſcoporum vel aliorum ſubditorum Decretum impedire , Romanumque aditum patefacere . In eo ergo rerum ſtatu conſtituti ſumus , ut vere dici queat , non poſſe a nobis adiri Romam : impoſſibilem nobis eſſe acceſſum ad Apoſtolicam Sedem , idque nulla culpa eorum , quibus acceſſus ille opus eſt. Eam ergo agendi rationem adhibere in hoc rerum ſtatu debent Epiſcopi , quam tunc adhibituri eſſent , cum Romanum acceſſum occluderet vel bellum , vel peſtilentia , vel ſchiſma aliquod pertinax , ubi incerti eſſemus , quis eſſet verus Papa . Neque enim tunc anxie quærendum erat , juſtumne , an injuſtum fieret bellum : juſtene , an injuſte præciperet Rex neutri Pontifici obedire . Hac ratione uſi ſunt tempore belli & ſchiſmatis Epiſcopi Galli Hiſpanique :

nique: hac uti ſub hodierna ſciſſura debent Epiſcopi Luſitani, recordantes præſtantiſſimum illud dictamen, quod Libro XXI. contra Fauſtum Capite 75. ſcribit S. Auguſtinus, quodque ex S. Auguſtino refert Gratianus in Capite *Quid culpatur*, Parte II. Cauſa XXIII. Quæſt. I. *Vir juſtus, ſi forte ſub Rege homine etiam ſacrilego militet, recte poteſt illo jubente bellare, ſi quod ſibi jubetur vel non eſſe contra Dei præceptum certum eſt; vel utrum ſit, certum non eſt: ita ut fortaſſe reum faciat Regem iniquitas imperandi, innocentem autem militem oſtendat ordo ſerviendi.*

Auguſt. To. VIII. p. 405.

PRINCIPUM VIII.

Ubi diſpenſandi juſta cauſa non adeſt, tam non licet diſpenſare Summis Pontificibus, quam Epiſcopis. Utriſque enim una & ſola diſpenſandi norma eſt neceſſitas aut utilitas ſubditorum. Loca S. Bernardi, Gerſonis, Conſultorum Pauli III. & noſtri Didaci Payvæ Andradii.

PROBATIONES.

I. HAnc regulam ſibimetipſis præſcribunt Romani Pontifices Capitibus XIII. & XIX. & XXX. & XXXVIII. *de Electione*: Capitibus item XIX. *de Sententia & Re Judicata*, & III. *de Translatione Epiſcopi*: ut alia omittamus a Dupino indicata in Tractatu Gallico *de Poteſtate Eccleſiaſtica*, ubi agit de probanda tertia Propoſitione Cleri Gallicani: indicata item a Giberto Tomo II. Titulo VII. *de Prælatis*, ubi ita lectores monet: *Canones qui docent ſine juſta cauſa diſpenſare non licere, deſumuntur ex Epiſtulis Pontificum, in quibus de ſe ipſis dicunt, ſe non poſſe diſpenſare, niſi juſta ſubſit cauſa. Unde patet veritati contrarium eſſe,* quod

Dupin. p. 662.

Gibert. Tom. II. p. 105.

quod Canoniſtæ nonnulli ponunt diſcrimen inter Papam & Epiſcopum, in eoque ſitum, quod Papa ſine cauſa diſpenſare poſſit, Epiſcopus vero non valeat.

II. Illuſtriſſimus Petrus de Marca Archiepiſcopus Pariſienſis Libro III. *de Concordia* Capite XV. numero I. teſtatur, hanc doctrinam Theologis & Canoniſtis vulgo probari. *Pleriſque Theologis & Juris Canonici Interpretibus placuit, nec Summum Pontificem nec Reges ipſos licite a legibus ſuis poſſe abſolvere ſubditos ſine juſta cauſa*. Mox numero II. adfirmat, eſſe in eadem ſententia S. Bernardum, Goffridum Abbatem, Joannem Saresherienſem, Gerſonem cum ceteris Pariſienſibus, Gabrielem Vaſquezium & pleroſque Juris cum Pontificii cum Cæſarei Profeſſores: qui & in illud conſpirant, non ſolum injuſtas, ſed etiam invalidas eſſe in foro conſcientiæ diſpenſationes ſine cauſa. *Marca P. 1. p. 184.*

III. Illuſtriſſimus Boſſuetus Lib. XI. a Capite XVI. ad XX. multus eſt in demonſtrando eodem argumento teſtimoniis S. Symmachi Papæ in Epiſtula XII. ad Avitum Viennenſem: Concilii Baſileenſis in quinta Synodica quæ incipit, *Hodie in noſtra*: S. Bernardi, Gerſonis, & novem illorum Conſultorum, qui ea de re longiſſime doctiſſimeque diſſeruere apud Papam Paulum III. anno MDXXXVIII. ut jam alio in loco adnotavimus. *Boſſuetus Tom. II. a p. 282. ad 286.*

IV. Subſcribit eidem ſententiæ Ludovicus Thomaſſinus Parte altera *De Diſciplina circa Beneficia*, Lib. III. Capite XXVIII. & XXIX. ubi illam plurimis firmat teſtimoniis SS. Patrum, Conciliorum, Pontificum Romanorum, & Doctorum Scholaſticorum: ex quibus citat S. Thomam Libro *Contra Impugnatores Religionum* Capite 4. & Secunda Secundæ, Quæſtione LXXXVIII. articulo XII. Thomam Cantipratenſem Libro I. Capite XIX. numero 9. *Thomaſ. Tom. II. P. II. a pag. 330. ad 340.*

& Li-

& Libro II. Capite III. numero *6.* Henricum Gandavenſem, Alexandrum Alenſem, Joannem Gerſonem, & Proſperum Fagnanum.

Vaneſpen. Tomo II. p. 235. V. Bernardus Vaneſpenius in Tractatu *De Diſpenſationibus*, Capite II. idem argumentum late proſequitur & demonſtrat ex Patribus, Conciliis, Pontificibus, unanimique conſenſu omnium Theologorum Ducem ſequentium S. Thomam non in illis ſolum locis a Thomaſſino laudatis, ſed in Prima etiam Secundæ, Quæſtione LXXIX. articulo 4. in Corpore: e primariis item Juris Canonici Interpretibus, utputa Panormitano, Hoſtienſi, Joanne Andrea, Covarruvia, & Fagnano: qui de eo argumento ſapienter diſſerit Commentariis in Caput *Ex parte*, *De Clerico non reſidente*; & in Caput *Nimis*, *De Filiis Presbyterorum*.

VI. Ego ex tot ſuffragiis quatuor tantum hic deſcribam. Primum S.Bernardi Libro III. *de Conſideratione ad Eugenium Papam*, Capite *Bernard. Tom. I. p. 433.* IV. numero 18. *Ubi neceſſitas urget, excuſabilis diſpenſatio eſt: ubi utilitas provocat, laudabilis diſpenſatio eſt. Utilitas, dico, communis non propria: nam cum nihil horum eſt, non plane fidelis diſpenſatio eſt, ſed crudelis diſſipatio eſt.* Alterum Gerſonis Sermone ad Alexandrum Papam *Gerſon Tom. II. p. 140.* V. *Leges recte latas, quantalibet importunitate petentium fatigeris, numquam diſpenſabis: niſi aut neceſſitas urgeat, aut communis provocet utilitas. Alioquin fuerit potius crudelis diſſipatio, quam juſta diſpenſatio.* Tertium novem Con- *Apud Ricberium Lib. IV. Hiſtor. Concil. P. II. p. 73.* ſultorum Pauli Papæ III. quorum ſententia talis fuit: *Nec putemus nobis licere diſpenſare in legibus, niſi urgenti de cauſa & neceſſaria. Nulla namque pernicioſior conſuetudo in quavis Republica induci poteſt, quam hæc legum inobſervantia, quas ſanctas majores noſtri eſſe voluerunt, eorumque poteſtatem venerandam & divinam appellaverunt.* Quartum noſtri Didaci Payvæ Andradii,

dradii, Sebaſtiani Regis apud Concilium Tridentinum Theologi, qui Libro I. Defenſionis ejuſdem Concilii ita ſcribit: *Conſtans extat Theologorum ſententia, nefarium etiam ab ipſis Romanis Pontificibus ſcelus admitti, ſi Eccleſiaſticarum legum ſeveritatem diſpenſationum temeritate relaxent, & levitate magis quam neceſſitate ad diſpenſandum inducantur.* *Paiva fol. 48. verſ.*

PRINCIPIUM IX.

Nunc apud Luſitanos diſpenſandi in impedimentis Matrimonii cauſa exiſtit non ſolum ſufficiens, ſed etiam neceſſaria & valde urgens, eaque publica.

PROBATIONES.

I. SIve de plebeis loquamur, ſive de Patritiis, conſtat extare nunc eandem cauſam, ac cum Romæ aditus patebat. Cum ergo obligatio non diſpenſandi ſine cauſa tam obſtringat Papam, quam Epiſcopos: conſequens eſt, ut ſi Papæ cauſa adeſt ad diſpenſandum (adeſſe autem inficiatur nemo), eadem quoque adſit Epiſcopis.

Quinimo in præſentia major adeſt cauſa. Nam defectu vel mora diſpenſationum graviſſimum damnum ſpirituale & etiam temporale faciunt innumeri de plebe homines: qui ſpe diſpenſationum obtinendarum (quas de Roma poſtularunt multi, & propediem interim expectabant), ſponſalia contraxere cum propinquis, eoque titulo magna inter ſe conjunctione & familiaritate utuntur, non ſine diſcrimine animarum. Multoque adhuc gravius damnum faciunt plebei alii, quos conſtat diu futuris ſponſis perinde uti, ac ſi uxores jam eſſent legitimæ.

Quandoquidem vero tum ubi de diſpenſationibus agitur, tum in aliis quibuſque rebus, maxima ſemper Optimatum habenda eſt ratio: iſtorum gratia paullo diutius immorabor in amplificando hoc argumento, quod proportione quadam etiam militat pro multitudine.

II. Nemo igitur neſcit, in concedendis diſpenſationibus generis nobilitati plurimum ſemper tribuiſſe Eccleſiam. Concilium Generale Lateranenſe IV. cum Canone XXIX. vetuiſſet, nequis duplici Beneficio potiretur, cui animarum cura eſſet injuncta; mox ita decernit: *Circa ſublimes tamen perſonas, quæ majoribus ſunt Beneficiis honorandæ, cum ratio poſtulaverit, per Sedem Apoſtolicam poterit diſpenſari*. Generale Concilium Tridentinum Seſſione XXIV. Capite V. monet, *inter magnos Principes* diſpenſari in ſecundo gradu poſſe *ob publicam cauſam*. Cum vero de gratiis agatur, Conciliumque non *inter ſupremos Principes*, ſed *inter magnos Principes* dixerit: nihil ſane eſt, quo cogamur *magnos Principes* intelligere ſolos ſupremos. Itaque magnorum Principum nomine conſiderare poſſumus & hujus Regni Proceres ſive Optimates: qui pro Regio avorum ſanguine quo multi gloriantur, & pro ſplendido loco quo apud Regem ſunt omnes, magni quidem Principes vocari & haberi poſſunt quam aptiſſime. Utcumque res ſe habeat, conſtat Apoſtolicam Sedem ſumma ſemper liberalitate Proceribus noſtris indulſiſſe diſpenſationes ſecundi gradus: quod argumento eſt, vel pro magnis Principibus haberi eos a Papa, ad mentem Concilii Tridentini; vel judicio illius debere jam hodiernis temporibus hujuſmodi diſpenſationes concedi facilius, quam tempore Concilii. Eſt ergo ad diſpenſandum inter Luſitanos Optimates cauſa ſufficiens, eaque publica: non ſolum propter ſplendorem hominum,

ſed

ſed etiam propter ingens emolumentum quod ex diſpenſationibus redundat in totum Regnum: cui quidem ad conſervandum ſplendorem, gloriam, & tranquillitatem, tantum confert primaria nobilitas, quantum diſpenſationum largitio.

II. Atque hic jam elucet, cauſam eſſe non ſolum ſufficientem & publicam, ſed etiam neceſſariam & maxime urgentem. Norunt quippe omnes, matrimoniis Procerum & nobilitari Regnum, & publicam ali pacem. Norunt etiam omnes, neque hunc Regni ſplendorem, neque publicam hanc pacem poſſe conſiſtere, niſi cum & uterque conjux natalium claritate ſplendeſcit, & ipſæ familiæ inter ſe amico fœdere copulantur. At illud æque conſtat, Patritias Familias in Luſitania haud eſſe multo plures, quam ſexaginta: conſtat item, omnes vel fere omnes arctiſſimo ſeſe propinquitatis vinculo invicem contingere. Diſpenſationibus ergo negatis vel dilatis, eo adducuntur Luſitani Proceres, ut vel uxores deſponſuri ſint diſparis generis (id quod jure Rex vetaret), vel in diſcrimen venturi ſint faciendi jacturam generis, Titulorum, & Primogeniturarum: cum tamen in conſervatione horum trium omnino conſiſtat totum Regnorum decus, totaque Familiarum gloria. Eſt ergo neceſſaria, eſt valde urgens, eſt & publica cauſa ad diſpenſandum.

Neque dicas, deficientibus Primogenitis poſſe ſuccedere minores natu fratres. Nam primo multarum Domorum unus tantum eſt maſculus heres. Deinde quibus periculis obnoxia eſt Primogenitorum vita, iiſdem obnoxii ſunt minores fratres. Adde quod graviſſimum damnum mortales omnes ducunt, ſucceſſores ac heredes habere non ſuos, ſed fratrum filios. Denique tam multæ virgines nobiliſſimæ tot jam annos deſponſæ, niſi jam matrimonium ineant, ma-

gis in dies magiſque inhabiles redduntur liberis procreandis : niſi vero aliquando ineant ſponſalibus celebratis, acceptis etiam ultro citroque mutui amoris pignoribus, ad hæc tot annos ſponſorum crebro conſpectu crebriſque obſequiis adamatæ : his profecto incommodis & doloribus ſubjacebunt, quæ mente quidem concipi poſſunt, ſed verbis explicari non decet.

IV. His alia accedit ratio, quæ ſemper in Eccleſia magni momenti habita fuit ad diſpenſationes non ægre elargiendas. Eſt autem animarum diſcrimen moraliter certum, quo adducuntur tot Proceres & Patritii ætate juvenes, nobilitate & opibus florentes, utpote clariſſimarum opulentiſſimarumque Domorum heredes : quibus diſpenſationum difficultas vel mora occaſio forte eſt quærendi extra matrimonium, quod non liceat : vel abutendi etiam ea conſuetudine & familiaritate, quam & moribus noſtris & jure ſponſalium habere illi ſolent, & ſeptimum jam annum habent cum virginibus ſibi deſponſis.

Jam ſi ſcandala contemplemur, quæ ex dilatis diſpenſationibus oriri poſſunt, & fortaſſe jam orta fuere : multo adhuc vehementior exſurgit ratio, qua moti Epiſcopi diſpenſare debeant. Nam diſpenſationibus negatis vel dilatis quærimoniæ ſubnaſcuntur & murmura adverſus Principem, qui Romanum aditum interclusit : ſubnaſcuntur temeraria judicia de æquitate ejuſdem Principis : ſubnaſcuntur diſſidia inter oves & Paſtores. Si enim hi dicant, poſſe ſe quidem diſpenſare, ſed nolle ; in eos neceſſario male animati erunt ſubditi. Si vero dicant, velle ſe quidem diſpenſare, ſed non poſſe ; eam illi quidem in ſubditorum animis opinionem infigunt & alunt, qua credant, Papam omnia pro libitu poſſe, Papæque meros Vicarios eſſe Epiſcopos, qui nihil aliud poſſint,

ſint, niſi quod Papa velit eos poſſe: pernicioſam quidem opinionem, quam *monſtruoſam & horrendam* vocat magnus Gerſon Parte prima Sermonis *Pro Viagio Regis Romanorum*: & quæ, Contareno Cardinale judice in Epiſtula quadam ad Paulum III. *idololatriam ſapit*. Unde conficimus, ab exequendis optatis diſpenſationibus pendere publicam tranquillitatem, pendere obedientiam & pietatem Regi debitam, pendere exiſtimationem & honorem Ordinis Epiſcopalis, pendere caritatem erga tot proximos. In eo rerum ſtatu quis inficias ire poterit, cauſam valde urgentem publicæque utilitatis Epiſcopis adeſſe ad diſpenſandum? Certe negari non poteſt, eandem illam cauſam adeſſe, quæ omnibus temporibus Summum Pontificem ipſum moveret elargiri diſpenſationes non ſolis Regni Optimatibus, ſed vel hominibus ipſis de trivio.

Gerſon Tom. II. p. 275.
Contarenus Tomo XIII. Bibl. Pontif. *pag.* 182.

PRINCIPIUM X.

Vereri non debent Luſitani Epiſcopi, ne Summus Pontifex iniquo animo ferat vel improbet diſpenſationes matrimoniales ab ipſis conceſſas. Eſt enim indoles Apoſtolicæ Sedis & totius Eccleſiæ (quacum debet Supremus Paſtor concordare), adſentiri diſpenſationibus hujuſmodi, quando illas ab Epiſcopis extorquent tam urgentes cauſæ, quam quæ nunc in Luſitania exiſtunt.

Admiranda loca SS. Symmachi Papæ, Auguſtini, Columbani, Bernardi, Hincmari Remenſis, aliorumque Patrum de hoc eodem argumento.

Axioma veterum Theologorum & Canoniſtarum: Papa omnia poteſt, clave non errante.

PROBATIONES.

I. Probe agnoſcit Apoſtolica Sedes, quam late ſe extendat poteſtas Epiſcopalis, præſertim ſi ejus inſtitutio uſuſque priorum ſæculorum ſpectetur. Agnoſcit, ideo ab Apoſtolorum Principe *animarum noſtrarum Epiſcopum* vocatum eſſe Chriſtum, ut inde intelligeremus, totam juriſdictionem ſpiritualem quam idem Chriſtus Eccleſiæ ſuæ reliquit, in Epiſcopatu concludi & contineri. Agnoſcit per multa ſæcula in ea poſſeſſione fuiſſe Epiſcopos, ut ſummo imperio Parœcias ſuas ipſi regerent & adminiſtrarent, tamquam ſupremi & abſoluti quidam Diſpenſatores omnium Sacramentorum & donorum a Chriſto inſtitutorum. Agnoſcit pari auctoritate uſos illos fuiſſe in relaxandis legibus quibuſcumque etiam generalibus, quoties id ſubditorum neceſſitas aut utilitas poſtulaſſet. Agnoſcit, ſi diligenter in id incumbere debent Epiſcopi, ut ſuus Diſciplinæ nervo vigor non deſit: pari quidem, imo majori

jori ſtudio curare id debere Romanum Pontificem. Agnoſcit, ſi Eccleſiaſticorum Canonum magnæ vires ſunt, ne ſine urgenti neceſſitate laxentur: majores quidem eſſe caritatis vires, ut ſe Paſtores omnes vel temporum iniquitati, vel ſubditorum neceſſitati adcommodare debeant.

II. Agnoſcit, ad Eugenium Papam hæc ſcripſiſſe S. Bernardum Libro III. de *Conſideratione* Capite 7. *Conſideres Romanam Eccleſiam aliarum Eccleſiarum Matrem eſſe, non Dominam: te vero non Dominum Epiſcoporum, ſed unum ex ipſis.* Agnoſcit Capite quarto ejuſdem Libri III. hæc præmiſiſſe eundem Bernardum: *Quid tam indignum tibi, quam ut totum tenens non ſis contentus toto, niſi minutias quaſdam & exiguas portiones tibi creditæ Univerſitatis ſatagas ſacere tuas?* *Bernard. Tom. I. p. 450.* *Ibid. p.* 438.

III. Agnoſcit, Nicænis Canonibus cautum eſſe, ne duo Epiſcopi uni civitati præſiderent. Nihilominus, quo inter ſe & Paulinum ortæ diſcordiæ radicitus tollerentur, pactum eſſe cum eo magnum Meletium, ut ambo in commune unum eundemque Antiochenum gregem paſcerent ſub hac conditione, ut alterutro e vivis excedente, alter ſolidam Diœceſim gubernaret. Agnoſcit hujuſmodi pactionem toti fuiſſe Orienti probatam: ac tum etiam, cum Romanus Pontifex S. Damaſus Meletium pro Epiſcopo habere abnuebat, habitum illum pro vero ac legitimo Epiſcopo a Baſilio Cæſarienſi, & ab utroque Gregorio, Nazianzeno & Nyſſeno, quibuſcum tandem concordavit idem Damaſus, poſtquam experientia didicit, Meletium virum eſſe & integerrima fide & moribus probatiſſimis, talique proinde Epiſcopo maxime indigere Orientis Eccleſias (*a*).

N 4 Agno-

(*a*) Meletii Epiſcopatum fuiſſe Damaſo Pontifici tandem aliquando probatum & acceptum, diſerte do-

Agnoſcit, Canonibus aliis vetitum eſſe, ne Epiſcopus ab una Parœcia in aliam transferretur, neve unus duabus præficeretur. Nihilominus Armeniæ Epiſcopis placuiſſe, ut quando id Nicopolitanæ Eccleſiæ maxime intererat, in hanc Metropolim ſic tranſmigraret Euphonius Colonienſis Epiſcopus, ut ſimul Colonienſem regeret. Quam œconomiam S. Baſilius totius Ponticæ Diœceſeos Exarcus non ſolum confirmavit: ſed etiam ſcripto docuit fuiſſe a Deo inſpiratam, omnibuſque proinde pacis amatoribus gratam eſſe oportere.

Baſil. epiſt. 227. novæ edition.

IV. Agnoſcit, lege alia ab ipſis Apoſtolis promulgata, & ubique per Eccleſiam recepta conſtitutum eſſe, ne neophyti Epiſcopi ordinarentur. Nihilominus Patres Concilii Conſtantinopolitani I. (in quibus erant S. Amphilochius Iconienſis, S. Gregorius Nyſſenus, S. Cyrillus Jeroſolymitanus, S. Acholius Theſſalonicenſis) Thracicarum Eccleſiarum utilitati conſulentes, Conſtantinopolitanum Archiepiſcopum ordinaſſe Nectarium adhuc neophytum, & patria Tarſenſem. Quo facto duos illi Canones relaxarunt: nempe & eum qui neophytos, & eum qui exteros Epiſcopos fieri vetabat. Et tamen Nicolaus Papa I. in Epiſtula VI. ubi Phocii neophyti ordinationem tamquam non legitimam damnat: antiquam illam Nectarii legitimam fuiſſe adfirmat, quippe quam non alia ratione tunc perfecerint Patres Conſtantinopolitani Concilii, niſi quod difficillimis temporibus non alius facile inveniretur, qui Conſtan-

docent Acta Orientalis Synodi ſub Damaſo & Meletio, quæ deſcribit Holſtenius in *Collectione Romana Bipartita* pag. 176. Quod argumentum fuſe & erudite proſecutus poſtea fuit Franciſcus Antonius de Simeonibus *De Judiciaria Romani Pontificis Poteſtate* Capite VI. §. VI. Tomo I. pag. 148. & ſeqq.

ſtantinopolitanam Eccleſiam melius regeret quam Nectarius. *Nectarium Sancta Secunda Synodus non ob aliud ad Sacerdotalem eligere de laicali ordine voluit dignitatem, niſi quia magnæ neceſſitatis contritione anxiebatur*. Atque hæc eadem proculdubio cauſa fuit, cur S. Damaſus Papa Nectarii electioni adſenſus eſt, ut conſtat ex Epiſtula XV. Bonifacii I. ad Epiſcopos Macedoniæ. *Tom. IX. Concil. p. 1304. Tom. V. Concil. p. 852.*

V. Agnoſcit, anno CCCC. litteras dediſſe ad Epiſcopos Africæ Anaſtaſium Papam I., in quibus ex præſcripto Concilii Capuani præcipiebat, ita Donatiſtarum improbitatem & inſolentiam comprimendam ab illis eſſe, ut ne eos quidem, qui a Donati factione ad Eccleſiæ unitatem tranſiſſent, fungi gradus ſui honoribus paterentur. Patres tamen Africanos anno ſequenti CCCCI. Carthagine congregatos Præſide S. Aurelio Archiepiſcopo, cum animadvertiſſent, lenitate magis quam ſeveritate multos a ſchiſmate revocari poſſe: unanimi conſenſu decreviſſe, ut litteræ mitterentur ad Anaſtaſium Papam ceteroſque Italiæ Epiſcopos, quibus utrique monerentur: *Habere Africam magnam neceſſitatem, propter Eccleſiæ pacem & utilitatem: ut ex ipſis Donatiſtis quicumque Clerici correcto conſilio ad Catholicam unitatem tranſire voluerint, ſecundum uniuſcujuſque Epiſcopi Catholici voluntatem atque conſilium, qui in eodem loco gubernat Eccleſiam, ſi hoc paci Catholicæ prodeſſe viſum fuerit, in ſuis honoribus ſuſciperentur, ſicut prioribus ejuſdem diviſionis temporibus factum erat*. Quid de eo negotio Africanis Epiſcopis Papa reſponderit, neſcire ſe fatetur Schelſtratius Diſſertatione III. de Eccleſia Africana, Cap. X. num. 3. Conſtat tamen ex Auguſtini Epiſtula CLXXXV. & Lib. II. *contra Creſconium*, Cap. XI. hanc diſpenſationem executos diu eſſe Africanos Antiſtites, atque in his Auguſti- *Tom. II. Concil. p. 1489. Codex Canonum Eccleſ. Afric. Can. 68. ex edit. Juſtelli Tomo I. p. 136.*

guſtinum ipſum, qui unus fuerat ex Patribus Concilii Carthaginenſis.

VI. Agnoſcit, Creſconio hanc Eccleſiæ œconomiam erga ſuos culpanti, præclare illud reſpondiſſe eundem Auguſtinum Lib.II.Cap.XI. quod Catholicis Antiſtitibus omnibus norma debet eſſe regendi. Nempe Epiſcopos non propter ſe eſſe, ſed propter ſubditos: adeoque pro ſubditorum neceſſitate meriti debere Epiſcopos uſum poteſtatis ſuæ. *Neque enim Epiſcopi propter nos ſumus, ſed propter eos quibus verbum & Sacramentum dominicum miniſtramus: ac per hoc ut eorum ſine ſcandalo gubernandorum ſeſe neceſſitas tulerit, ita vel eſſe vel non eſſe debemus, quod non propter nos, ſed propter alios ſumus* (*a*).

*Auguſt. Tom.IX. pag.*415.

Agnoſcit, eodem Auguſtino judice Lib. II. *contra Parmenianum* Cap. 13. ea vi, eoque privilegio neceſſitatem gaudere; ut quod nulla exiſtente neceſſitate reprehenſibilis uſurpatio eſt, neceſſitate exiſtente vel nullum vel veniale ſit peccatum. *Nulla urgente neceſſitate ſi fiat, alieni muneris uſurpatio eſt: ſi autem neceſſitas urgeat, aut nullum aut veniale delictum eſt.* Cui concinit Regula Juris: *Quod non eſt licitum in lege, neceſſitas licitum facit. V. De Regulis Juris, Capite IV.* Concinit & id, quod ad Leonem Auguſtum Imperatorem ſcripſere Epiſcopi Ponticæ Diœceſeos: nempe difficillimis temporibus debere Eccleſiam Canonibus uti *non Ariſtotelice ſed Piſcatorie*.

Ibid. p. 44.

*Tom.IV. Concil. p.*1914.

VII. Agnoſcit pariter Sedes Apoſtolica, quo tem-

(*a*) Hunc Auguſtini locum ſane egregium anno MCCCXCVIII. laudavit Carolus VI. Rex Francorum in celeberrimo illo Decreto, quod publici juris fecit Petrus Pithœus Cap. XX. num. I. *Cum pro pace Chriſti Eccleſiæ Epiſcopi eſſe debeant vel non eſſe, cumque non propter eos Epiſcopi ſint, ſed propter populum cui Sacramenta miniſtrant, &c.*

tempore Vigilius Papa & famoſa tria Capitula Neſtoriana damnare, & Quintæ Synodo Generali pro illorum condemnatione collectæ intereſſe abnuebat, nihil hac Pontificis repugnantia fuiſſe deterritos Patres centum ſexaginta & amplius, qui eo convenerant, quominus Concilium celebrarent, in eoque damnarent tria Capitula cum ſuis Defenſoribus: exiſtimabant enim, vel invito Pontifice, utpote præter rationem invito, conſulere ſe debere publicæ Eccleſiarum neceſſitati. Atque iiſdemmet rationibus convictum, Patrum Definitioni tandem acquieviſſe ipſum Vigilium: qui in Decretali Epiſtula ad S. Eutychium Conſtantinopolitanum Patriarcham Concilii Præſidem, & ad totam præjacentem Sanctam Synodum data, & errorem ſuum agnovit, & agendi rationem a Patribus adhibitam comprobavit, anno DLII. *Concil. Tom.VI. p.38. & 239.*

Agnoſcit, S.Martinum Papam I. cum ad ſe relatæ eſſent certæ quædam diſpenſationes circa electiones & ordinationes Epiſcoporum in Oriente peractæ, Orientalibus iiſdem hoc documentum dediſſe Epiſtula V. quando Eccleſiaſticorum Canonum relaxationem non contemptus Canonum ipſorum, ſed temporum extorquet iniquitas; non debere Sedem Apoſtolicam relaxationis uſum improbare, ſed permittere. *Novit Canon afflictorum temporum perſecutionibus veniam tribuere, in quibus contemptus non præceſſit, prævaricationem arguens: ſed anguſtia magis & penuria, quæ propter neceſſitatem & miſericordiam cogit multam diligentiam prætermittere.* *Concil. To. VII. pag. 26.*

VIII. Agnoſcit, S. Symmachum Papam in Epiſtula ad Avitum Viennenſem, hanc ei regulam præſcripſiſſe pro diſpenſationibus librandis: *Quod fit præter regulam, modo ſit ex juſta cauſa, non infringit regulam, quam ſola pervicacia & antiquitatis contemptus lædit. Nam quamvis a Patribus ſtatuta diligenti obſervatione & obſer-* *Spicilegii Dacheriani To. III. pag.307. novæ editionis.*

ſervanti diligentia ſint cuſtodienda : nihilominus propter aliquod bonum de rigore legis aliquid relaxatur: quod & ipſa lex caviſſet, ſi prævidiſſet. Et ſæpe crudele eſſet inſiſtere legi, cum obſervantia ejus eſſe præjudicabilis Eccleſiæ videtur.

Agnoſcit, S. Fulbertum Epiſcopum Carnotenſem, cum Epiſcopus alter Provinciæ Remenſis ſibi timeret a Romano Pontifice, ſi adſenſu ſuo comprobaret electionem & ordinationem hominis ceteroquin Epiſcopatu digni, ſed laici, quem Remenſi Metropoli præficere Comprovinciales Epiſcopi volebant, ei hunc ſcrupulum exemiſſe his verbis, quæ habetur in Epiſtula XXXVIII. *Dominus Papa, cujus animadverſionem te revereri ſignificaſti, non habebit quod tibi merito debeat ſuccenſere, ſi te graviter collapſæ Eccleſiæ aliquam ſpem reſurrectionis audierit providiſſe.*

Bibl. PP. T. XVIII. pag. 15.

IX. Agnoſcit, Paſchalem Papam II. B. Anſelmo Cantuarienſi Archiepiſcopo poſtulanti, non ſolum conceſſiſſe ampliſſimam nulliſque limitibus circumſcriptam facultatem diſpenſandi circa varios caſus; ſed etiam teſtimonio B. Cyrilli Alexandrini oſtendiſſe, uſum diſpenſationum difficillimis temporibus eſſe Eccleſiaſtici ſpiritus maxime proprium. *Diſpenſationis modus, ſicut & B. Cyrillus in Epiſtula Epheſinæ Synodi loquitur, nulli umquam ſapientum diſplicuit. Novimus enim Sanctos Patres noſtros & ipſos Apoſtolos, pro temporum articulis & qualitatibus perſonarum, diſpenſationibus uſos, &c.*

Concil. To. XII. p. 1008.

Agnoſcit, Sanctos Pontifices Gregorium I. & Gregorium II. publicæ neceſſitati conſulentes Provinciarum Anglicanarum & Germanicarum, prudentiæ & judicio Auguſtini Angliæ & Bonifacii Germaniæ Primatis crediſſe diſpenſationes matrimoniales circa certos quoſdam propinquitatis gradus elargiendas : quod Auguſtino quidem Gregorius I. anno DCI. Bonifa-

Tom. I. Concil. Angl. p. 20. Tom. I. Concil. Gall. p. 519.

niſacio autem Gregorius II. commiſit anno DCCXXVII.

X. Agnoſcit denique Apoſtolica Sedes, Avenionenſi ſchiſmate perdurante, id auctoribus Epiſcopis & Academiis conſtitutum eſſe in Gallia, Hiſpania, aliiſque Regnis: ut quando aliud tanto incendio extinguendo remedium non ſupererat, neutri de Pontificatu contendentium pareretur. Atque ſub eo rerum ſtatu fixum ratumque apud omnes fuiſſe, nullo ad Apoſtolicam Sedem patente aditu jus eſſe penes Epiſcopos ea omnia moderari, quæ lege vel conſuetudine Summo Pontifici ceteroquin reſervata erant, quoties id ſubditorum neceſſitas poſtulaſſet. Judicarunt enim definieruntque, in his aliiſque id genus eventibus ad Ordinarios devolvi eam poteſtatem, quæ ipſis tamquam Epiſcopis antea competebat. Poſtea vero Piſis Generali Synodo celebrata an. MCCCCIX. *Concil. To. XV. p.* 1146. legitimas validaſque declaratas eſſe a vero Summo Pontifice Alexandro V. omnes diſpenſationes, proviſiones, & abſolutiones ab Epiſcopis impertitas: quemadmodum conſtat ex ejuſdem Concilii Seſſione XXII.

Tot rationibus in medium adductis minime vereri debent Domini Epiſcopi, ne ſi in præſentia diſpenſationes concedant, ſtomachum moveant Summo Pontifici. Aliter enim ſe habet Spiritus Eccleſiæ, cui adcommodare ſe debet Supremus Paſtor: quippe qui (ut in Caput *Quando*, *De Jurejurando* ſcribit Innocentius IV.) ita poteſtatis clave uti perpetuo ſolet ac debet, ut prius adhibeat clavem diſcretionis. Unde Axioma illud profectum eſt, quod in Caput *Sua nobis*, *De Confirm. utili vel inutili* (*a*), cum ceteris Pontificii Juris Interpre-

(*a*) Pro eo male in Luſitanam editionem irrepſit Caput *Venerabilem*, *De Electione*. Sic autem ſe habet

precibus uſurpat Panormitanus : *Papa omnia poteſt, ſed* CLAVE NON ERRANTE , *& ſine injuria alterius* (*a*).

XI.

---

bet locus Panormitani Tomo V. fol. 143. *Manet poteſtas ſeu ſententia Petri, dum vere judicat, & clavis non errat, ut Cap. Manet, XXIII. Quæſt. I.*

(*a*) S. Gelaſius Papa apud Gratianum Cauſa XI. Quæſt. III. *Cui eſt illata ſententia, deponat errorem, & vacua eſt. Sed ſi injuſta eſt, tanto eam curare non debet, quanto apud Deum & Eccleſiam neminem poteſt iniqua gravare ſententia. Ita ergo ea ſe non abſolvi deſideret, qua ſe nullatenus proſpicit obligatum.* S. Gregorius Magnus eodem in loco Gratiani: *Sæpe in ligandis ac ſolvendis ſubditis Paſtor ſuæ voluntatis motus, non autem cauſarum merita ſequitur. Unde fit, ut ipſe hac ligandi & ſolvendi poteſtate ſe privet, qui hanc pro ſuis voluntatibus exercet. Unde recte per Prophetam Ezechielem dicitur*: Mortificabant animas quæ non moriuntur, & vivificabant animas quæ non vivunt. *Non morientem quippe mortificat, qui juſtum damnat: & non victurum vivificare nititur, qui reum a ſupplicio abſolvere nititur.* S. Nilo in epiſtula ad Endiſtium, quæ extat ad calcem Nomocanonis Phocii : *Scias autem Pater, quod divinæ ſcripturæ cum divinis canonibus definiunt, quod injuſtæ quæ imponuntur punitiones, apud Deum non ligant, etiamſi Pontifex eas impoſuerit, quanto magis inferior, dicit S. Dionyſius. Qui itaque inconſiderata ſententia & intemperanti animo aliquem a fidelibus ſeparavit, eum non ſolum non attingit, ſed in ejus etiam caput recurrit, ſicut Sanctæ Synodi pronuntiant.* S. Anſelmus Cantuarienſis in Caput Matthæi XVI. *Claves Regni Cælorum ipſam diſcernendi ſcientiam & potentiam nominat. . . Et ideo quod ſequitur ita exponendum eſt: Quodcumque ligaveris, ſubaudi his clavibus, ideſt, ex potentia & diſcretione ſuper terram, erit ligatum & in cælis.* S. Thomas Libro IV. contra Gentiles Cap. 72. *Hæc duo dicuntur duæ claves Eccleſiæ, ſcientia diſcernendi & potentia ligandi & ſolvendi, quas Dominus Petro commiſit juxta illud Matthæi XVI.* Auguſtinus de Ancona in Summa Quæſt. XX. art. IV. *Iſti tres actus ponuntur in defini-*

fini-

XI. Sed ponamus, Sanctiſſimum Patrem Clementem XIII. vel quemvis alium de ejus ſucceſſoribus, reprobare atque irritas declarare matri-

---

finitione clavis, *quæ ponitur IV. Sent. diſt. XVIII.*, *ubi dicitur*, *quod clavis Eccleſiæ eſt poteſtas ligandi ex ſcientia*, *qua dignos debet recipere*, *& indignos excludere a Regno Eccleſiæ*. Alvarus Pelagius Libro I. *de Planctu Eccleſiæ*, art. 63. *Claves ſunt diſcernendi ſcientia & potentia: quia dignos recipere*, *& indignos debet excludere a Regno*. Joannes Tabiena in Summa, verbo *Clavis*, cum hanc quæſtionem poſuiſſet. *Qualiter Sacerdotes dicuntur ſolvere ac ligare*, ſic reſpondet: *Reſpondeo ſecundum Raymundum*, *quod illa auctoritas*, Quodcumque ligaveritis vel ſolveritis ſuper terram, &c. *non eſt ſimpliciter intelligenda*, *ſed tunc de jure tantum*, *cum Sacerdos juſte ligat & ſolvit*. Joannes de Pariſiis in Libro *de Poteſtate Regia & Papali*, Capite XV. ex Richardo de S. Victore: *Non dicit Dominus*, *quodcumque volueris ſolvere & ligare*, *ſed quodcumque ligaveris & ſolveris: ligat autem & abſolvit Sacerdos ſententia juſta*, *non injuſta*. *Unde vulgaris formula*, CLAVE NON ERRANTE. Joannes Gerſon Tractatu *ſuper materiam excommunicationum & irregularitatum*, Conſid. VII. *Contemptus clavium debet inveſtigari ex poteſtate legitima & uſu legitimo poteſtatis illius*, *qui præcipiendo excommunicat vel irregularitatem comminatur: alioquin Prælati poſſent inducere qualemcumque vellent ſuper illos ſervitutem*, *ſi ſuis ſententiis iniquis & erroneis ſemper eſſet obediendum: & ita patet*, *quod hoc commune dictum*, Sententia Prælati vel Judicis etiam injuſta timenda eſt, *indiget gloſſa: alioquin non eſt generaliter verum*, *ſi timenda dicatur*, *quia eſt ſuſtinenda: imo in caſu pati illam*, *eſſet aſinina patientia & timor leporinus*. Hæc nos partim e Launojo Libro VII. Epiſtula XI., partem e Richerio ad calcem Defenſionis ſuæ adverſus Duvallium, hoc eſt, Libro V. Capite XII. Quibus nunc addo ex Franciſco Zabarella in Libro *de Schiſmate* locum illum, quem anno MDCVI. pro ſe adlegarunt Veneti apud Thuanum Libro CXXXVII. Cap. VII. Tomo VI. pag. 297. *Plenitudo poteſtatis in univerſitate*

matrimoniales diſpenſationes, quas tempore ſciſſuræ noſtræ conceſſiſſent Epiſcopi Luſitani. Revera enim Clemens XI. Brevi ſuo ad Hiſpaniæ Epiſcopos dato, anno MDCCIX. irritaſſe fertur diſpenſationes & proviſiones ab ipſis factas tum, cum Rex Philippus V. ſubditis ſuis interdixiſſet commercium cum Romanis quoad temporalia. Ex quo nullum in Luſitaniam poteſt argumentum duci: non ſolum quod in re verſamur meræ Diſciplinæ ubi pro diverſo rerum ſitu, diverſoque Legislatorum animo & intentione, valere poteſt reſpectu unius Regni, quod reſpectu alterius non valet: non ſolum etiam quod in negotio Hiſpanorum interdictum ponitur commercium cum Romana Curia non quoad ſpiritualia, ſed quoad temporalia: ſed potiſſimum propter rationes illas, quas hucuſque ponderavimus & ſtabilivimus; quaſque ad extremum in ſummam redigemus pro plena ſolutione omnium dubiorum. Ponamus ergo, ut ajebam, Summum Pontificem Clementem XIII. qui nunc Eccleſiæ præeſt, vel alium quemvis de ejus Succeſſoribus, reprobare atque irritas declarare matrimoniales diſpenſatio-

---

te eſt tamquam in fundamento, hoc eſt, in Eccleſia: in Papa tamquam in principali miniſtro, ſed non ſolo, per quem poteſtas illa explicetur: & ita juxta Innocentium IV. ut diſcretionis clavis præcedat, & CLAVE NON ERRANTE *poteſtas exerceatur*. Item ex Bochello Libro IV. *Decretorum Eccleſiæ Gallicanæ*, Tit. XXII. Cap. II. pag. 683. formam proteſtationis, qua anno MCCCCVIII. uſi ſunt Galli Epiſcopi in Pariſienſi Conventu: *Hæc omnia deliberata ſunt, ſalva debita Sanctæ Sedi Apoſtolicæ reverentia, & Domino Papæ futuro legitimo*, CLAVE NON ERRANTE. Paulus Sarpius ad calcem Conſiderationum ſuarum pag. 205. *Dicono li Canoniſti che la poteſtà di ligare & ſciogliere s' intende* CHIAVE NON ERRANTE.

ſationes, quas Romano commercio occluſo conceſſiſſent noſtri Epiſcopi. Nixus Principiis illis ſane invictis, quæ in ſuperioribus ſtabilivi, ajo Pontificium Breve pro nullo & obreptitio habendum eſſe, quaſi præter mentem Supremi Paſtoris, eoque non plene inſtructo emiſſum.

XII. Fundamentum meæ adſertionis eſt: quod ubi ab Apoſtolica Sede Reſcriptum aliquod proficiſcitur, quo alterius jura lædantur, unanimi conſenſu tradunt Doctores omnes, hujuſmodi Reſcriptum reputari debere obreptitium; proindeque nullius vigoris nulliuſque effectus. Hac de cauſa S.Cyprianus Epiſtula LXVII. ad Hiſpanos data, pro nullo atque obreptitio habet Decretum S.Stephani Papæ, a duobus Epiſcopis Baſilide Legionenſi & Martiale Aſturicenſi impetratum pro recuperando Epiſcopatu, unde ſecundum Canones judicio Provincialis Synodi uterque exciderat, utpote de idololatria convictus. Cum enim a S. Cornelio Papa totoque Epiſcoporum Corpore ſtatutum eſſet, ut qui immolaſſent idolis, omni ſacerdotali munere exuerentur; hinc Cyprianus concludebat, ſalva Diſciplina ſalviſque Epiſcoporum Juribus, non poſſe Stephanum reſtituere reos, adeoque obreptitium nullumque habendum Pontificium Breve. Eodem nixi Principio Decretis Zozimi, Bonifacii, & Cæleſtini, in cauſa Appellationum reclamarunt Afri Epiſcopi: reclamarunt Reſcriptis Leonis Magni & Joannis VIII. S. Hilarius Archiepiſcopus Arelatenſis & S.Ignatius Conſtantinopolitanus, nequaquam Pontificiis minis diriſque deterriti. Reclamarunt Galli Epiſcopi Hadriano II. in cauſa Hincmari Laudunenſis: Gregorio item IX. in cauſa Præbendarum, quas ille ſibi reſervare conabatur.

Cyprian. pag. 219.

XIII. Atqui ex Principiis ſuperius ſtabilitis

manifeſtum eſt, Litteris illis, de quibus hypotheſis noſtra loquitur, læſum iri a Summo Pontifice jus cum Epiſcoporum, tum ſubditorum. Nam cum, ut jam oſtendimus, legitima & ordinaria eſſet juriſdictio, qua Epiſcopi in diſpenſando uterentur: (ad eos enim, cum Romanus Pontifex adiri non poteſt, primæva auctoritas tota redit; idque non ex gratia Papæ, ſed ex inſtitutione Eccleſiæ, & veluti ex ipſa rei natura) utroſque ſane injuria adficeret Pontifex, ſi nullas declaraſſet diſpenſationes ab illis impertitas, quibus jus & auctoritas erat impertiendi; nullumque etiam Matrimonium declaraſſet eo diſpenſante contractum, qui legitime poterat diſpenſare. Quemadmodum & Pœnitenti & Confeſſario injurius eſſet Papa, ſi in irritum mittere conaretur abſolutionem, quam ſubdito ſuo impertitus fuiſſet verus Parochus.

Verbo dicam: ubi Dominis Epiſcopis fixum ratumque ſit, (quemadmedum eſſe debet) aliud eſſe moderata conſtantia ſua jura tueri, aliud eſſe ſchiſmaticum: non pugnare cum eximia quadam ſanctitate, (qualis illa fuit SS. Hilarii Arelatenſis & Ignatii Conſtantinopolitani) ſi quis Apoſtolicæ Sedis conatibus legitime obluctetur (*a*): Epiſcopatus unum auctorem

(*a*) Veneti in Epiſtula ad Paulum V. apud Thuanum Libro CXXXVII. Cap. VII. *Stat ſimul reſiſtere præcepto Pontificis omnia turbantis, & non deſerere communionem Eccleſiæ Romanæ & Religionem Catbolicam. Ignatius Patriarcba Conſtantinopolitanus, qui anatbemate injuſto a Joanne VIII. vulneratus non paruit, poſt mortem nibilominus miraculis inclaruit, & in Sanctorum numerum relatus eſt*. Joannes Major Commentariis in Matthæi XVIII. ad calcem Tomi II. Gerſonianorum Operum pag. 1144. *Stat aliquem Papæ contradicere, & eſſe de unitate Eccleſiæ. Adde etiam quod æquitas*

rem eſſe Chriſtum : juriſdictionem ejus non a Papa , ſed ab Spiritu Sancto immediate proficiſci : poteſtatem a Chriſto adnexam Ordini Epiſcopali ex ſe eſſe abſolutam & nullis limitibus circumſcriptam reſpectu ſingularum Parœciarum . Hac poteſtate a Papa ſpoliari non potuiſſe invitos Epiſcopos . Quando Reſervationibus Apoſtolicis acquievere Epiſcopi , ſub ea omnino conditione acquieviſſe eos ; ut ubi quacumque de cauſa , & nulla ipſorum Epiſcoporum culpa impediretur influxus Sedis Apoſtolicæ ; ad ſe continuo rediret veluti reviviſcens primæva auctoritas , utpote ordinaria & ſui ordinis propria . Ubi denique ipſis ratum fixumque fuerit veriſſimum illud ineluctabileque venerandi doctiſſimique Gerſonis Axioma , quod ita habet ; *Omnes Conſtitutiones Apoſtolicæ , ſive Leges factæ in favorem Papæ , intelliguntur & intelligi debent , ubi Reſpublica Eccleſiaſtica directe vel indirecte , in parte vel in toto , detrimento non videtur ſubeſſe* . Ubi , inquam , Principia hæc a me in ſuperioribus ſtabilita , & a Sanctis Pa-

Gerſon Tomo II. pag. 166.

 tri-

tas naturalis eſt pro hoc modo , & contra omnem rationem eſt , dicere quod ſi Papa male agat , non poteſt argui . Paulus Petrum arguebat poſt Pontificatum Summum . Et ſi ſit incorrigibilis eſt deponendus , imo ſine culpa ſua , licet non ſine cauſa eſt deponendus : utpote ſi ſit captivus apud infideles , & nulla eſt ſpes liberationis ejus : vel ſi duo contendant , & aliter pax procurari non poteſt : vel ſi ſit demens & inutilis . Huc referenda etiam eſt cenſura Sacræ Facultatis Pariſienſis anno MCCCCLXXXII. lata adverſus hanc Propoſitionem Joannis Angeli Minoritæ : *Quicumque contradicit voluntati Papæ paganizat , & ſententiam excommunicationis incurrit ipſo facto : & in nullo Papa reprehendi poteſt , niſi in materia hæreſis* . Quam hac cenſura confixit Academia Pariſienſis : *Hæc propoſitio eſt falſa , ſcandaloſa , & ſapiens hæreſim manifeſtam* . (Bulæus *Hiſt. Univerſ. Pariſ.* Tomo V. pag. 754) .

tribus re & verbo confirmata, Epiſcoporum animis alte inſederint: mox ſua ſponte fit conſequens, Romano acceſſu ſeptimum jam annum occluſo, devolvi ad eoſdem Dominos Epiſcopos poteſtatem, qua ipſi antiquitus fruebantur, & per multa ſæcula uſi ſunt; ut poſſint ac debeant providere, abſolvere, ac diſpenſare in omnibus, quæ antehac Apoſtolicæ Sedi privative erant reſervata: idque non jure præſumptionis, ſive arbitrariæ cujuſdam epicheiæ, nec ad modum juriſdictionis delegatæ: ſed ex ſenſu illo, qui apud Eccleſiam ſemper viguit de juriſdictione Epiſcoporum, quam pro hujuſmodi caſibus ipſa Eccleſia ſemper agnovit eſſe juriſdictionem ordinariam, licet pro eo tantum tempore exercendam, quo ſciſſura exiſtat. Nam conciliata inter nos & Romanos pace, ad Supremum Paſtorem eadem illa juriſdictio redire poteſt, quemadmodum ex ſuperioribus Principiis noſtris conficitur.

XIV. Firmabitur autem hæc doctrina magis magiſque, ſi in memoriam revocaverimus alteram illam, quam Principio V. ex Hincmaro Remenſi audivimus. Cum enim mentis aciem intendiſſet Hincmarus in celeberrimum illud S. Leonis Magni Documentum: *Manet Petri privilegium, ubi ex ipſius æquitate fertur judicium;* hinc ille colligit, carere omni robore firmitatis, quidquid non ex Petri æquitate protulerint Succeſſores Petri (*a*). *Qua ſententia conſtat, quia non manet Petri privilegium, ubi ex ipſius æquitate non fertur judicium.* Conſtat

Suppl. Concil. Gall. p. 273.

(*a*) Idem argumentum ex Leonis verbis deſumptum dextre urget Paulus Sarpius, cum ad calcem *Conſiderationum*, tum in *Apologia Gerſonis*, §.V. pag. 91. Quod etiam de illo obſervavit Thuanus Libro CXXXVII. Cap. VII.

ſtat autem, mandatum Papæ uſum diſpenſationum interdicentis Luſitanis Epiſcopis, illis nempe Epiſcopis, qui divino jure legitimi Paſtores ſunt hujus Regni; idque eo tempore, quo diſpenſationes ipſæ ſunt omnino juſtæ & neceſſariæ: mandatum quoddam eſſe omni exutum æquitate, & ex quo graviſſima ſcandala oritura eſſent. Rebus autem ſic ſe habentibus, jam ex Alexandro Papa tertio audivimus, quid agendum foret. Nam in Capite *Cum teneamur, De Præbendis*, hanc ille tradit Regulam: *Si non poteſt ſine ſcandalo provideri, æquanimiter ſuſtinemus, ſi mandatum noſtrum non duxeris exequendum*. In quo Summi Pontifices probare videntur illam doctrinam, quam paullo ante expoſuimus, & cui antiqui Canoniſtæ Theologique omnes ſubſcribunt. Illam autem celeberrimus ex Italia Doctor ſub Eugenio IV. Jordanus Britius ſic deſcribit in quodam Tractatu, quem Miſcellaneis ſuis inſeruit Baluzius. *Ad id quod dicitur*. Quodcumque ligaveris, *reſpondetur quod verum eſt, ſi juſte faciat, & mediante juſtitia, clave non errante. Idem tenet Archid. expreſſe: idem Guillelmus in Speculo: idem Magiſter Nicolaus de Lyra in dicto cap. 16. Matth.* Quodcumque ligaveris: *Scilicet ſuppoſite in terra debito uſu clavis, Deus approbat in cælis, aliter non. Verba ſunt Nicolai de Lyra*. Omnibus antiquior eandem doctrinam tradiderat S. Columbanus Abbas in Epiſtula ad Bonifacium Papam. *Tamdiu poteſtas apud vos erit, quamdiu recta ratio permanſerit. Ille enim certus Regni Cælorum clavicularius eſt, qui dignis per veram ſententiam aperit, & indignis claudit* (*a*).

Baluz. To. III. pag.335.

Bibl.PP. To. XII. pag.30.

O 3 CON-

(*a*) Baluzius in Notis ad Cypriani Epiſtulam LXXIII. pag. 501. relata Columbani ſententia: *Hæc*, inquit, *inſinuanda ſunt Romanis. Multi enim Romani Pon-*

CONCLUSIO HORUM PRINCIPIORUM.

Reſpondetur argumentis, quæ adverſus doctrinam noſtram fieri poſſint ex prima Propoſitione damnata ab Innocentio XI. ex Declaratione Sacræ Congregationis Concilii a Rigantio deſcripta: ex Jurejurando quo ſe obſtringunt Epiſcopi in ſua Ordinatione: ex Formula qua ipſi utuntur, cum ſe inſcribunt Epiſcopos Sanctæ Apoſtolicæ Sedis gratia.

Quæ Gallorum Theologorum doctrina fuerit ſub memorabili illo diſſidio, quod Regem noſtrum Joannem IV. Romanumque Pontificem Innocentium X. diu exercuit.

I. EX Principiis decem hucuſque ſtabilitis, quibus ſane refragari ſolus poterit, qui vel nimio adulandi ſtudio ſit abreptus, vel ſumma ignorantia laboret: illud tandem conſequens ſit & concluditur, quando tot per annos nobis inacceſſa eſt Apoſtolica Sedes, poſſe ac debere Epiſcopos primæva ſua auctoritate reſumpta, diſpenſare circa publica impedimenta conſanguinitatis & adfinitatis: id enim exigunt eædem prorſus, imo vero graviores cauſæ,

---

Pontifices ab hac regula diſceſſerunt. Confer Marcam Libro IV. *de Concordia Sacerdotii & Imperii* Cap. VI. Matthæus Pariſienſis in Hiſtoria Anglorum ad annum MCCXLVII. de Innocentio Papa IV. auctoritate Primatus ſui abutente in Gallos, hæc ſcribit pag. 719. *Videbant enim omnes & ſinguli & videntes ſentiebant, ipſum dominum Papam pecuniæ & pecuniarum rapinis in multorum damnum & depauperationem inſatiabiliter inhiare.* NEC CREDEBANT JAM MULTI, *ipſum poteſtatem B. Petro conceſſam cælitus, videlicet ligandi & ſolvendi obtinere*, QUI PENITUS B. PETRO DISSIMILIS PROBABATUR.

ſæ, quam quibus Summus Pontifex procul dubio moveretur ad diſpenſationes elargiendas, maxime Proceribus & Patritiis Luſitanis.

II. Nec obſtat, quod Innocentius XI. anno MDCLXXIX. ſequentem Propoſitionem cum aliis damnaverit: *Non eſt illicitum in conferendis Sacramentis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore.* Reſpondeo enim primo: cenſuram Pontificiam intelligendam eſſe de illis tantum Sacramentis, quorum materiæ & formæ Eccleſiæ juriſdictioni non ſubſunt: qualia ſunt Baptiſmus, Ordo, ceteraque omnia præter Matrimonium. Ratio vero diſcriminis eſt: quoniam in aliis Sacramentis nequit Eccleſia ſupplere id, quod de materiis & formis deerit: eorum quippe ſingulæ ab una Chriſti inſtitutione dependent. In Matrimonio autem, cum ejus materia a ſolo extrinſeco Eccleſiæ impedimento reddatur inepta; ubi per diſpenſationem removetur impedimentum, mox conficiendo Sacramento apta efficitur eadem materia. Atque hæc etiam cauſa eſt, cur Theologi omnes, qui de damnatis Propoſitionibus ſcripſere, cum Patre Viva ſtatuunt, hac Propoſitione de qua loquimur, minime comprehendi opiniones illas, quæ verſantur circa juriſdictionem Miniſtri. Cum enim hanc juriſdictionem ſupplere poſſit Eccleſia, jam Sacramentum nullitatis periculo non exponitur: quod unum Papa reſpexit & cavere voluit, quando in adminiſtratione Sacramentorum damnavit uſum opinionis probabilis, relicta tutiore. Itaque docent illi Theologi, Pontificiæ cenſuræ non adverſari Sacerdotem, qui ſola nixus opinione probabili de ſua juriſdictione pœnitentem abſolvit. Ergo & ille Pontificis Definitionem minime violat, qui ſe legitima diſpenſatione probabiliter munitum exiſtimans, Matrimonium contrahit cum propinqua. Cenſura

enim caſum illum tantummodo comprehendit, ubi Eccleſia ſupplere non poteſt, quod ad Sacramenti validitatem eſſentialiter requiritur.

III. Reſpondeo ſecundo: cenſuram Pontificiam ſolum loqui, cum agitur *de valore Sacramenti*. Multi autem ſunt caſus, ubi Matrimonium licite celebrari poſſit etiam a Chriſtianis, quin ſit Sacramentum. Non eſt Sacramentum judice ſubtili Doctore illuſtrique ejus Schola, quoties Matrimonium nutibus celebratur, ut mutis accidit. Non eſt Sacramentum, judicibus e Dominicano Ordine tribus maximis Theologis, Durando Epiſcopo Meldenſi, Cajetano Cardinale, & Melchiore Cano Canarienſi Epiſcopo deſignato: quoties inter abſentes per litteras procuratoreſque contrahitur: (quæ quidem doctrina quam gravibus fundamentis innixa ſit, diſcere quilibet ab ipſo Cano poterit, Libro VIII. *de Locis Theologicis*, Capite V.). Non eſt Sacramentum de ſententia Guillelmi Pariſienſis Epiſcopi, Toleti Cardinalis, Guillelmi Eſtii Duacenſis Cancellarii, doctiſſimorumque Thomiſtarum Petri Paludani, Melchioris Cani, Vincentii Contenſonii, Natalis Alexandri, aliorumque plurium cum hujus, tum aliarum Scholarum, quos laudat novitius e Sorbona Doctor Hyacinthus Serrius Dominicanus, in Vindiciis ſupra memorati Cani, Capite VII. quoties Matrimonii Miniſter Parochus non eſt, vel alius Sacerdos, qui ejus vices agat: quemadmodum ante celebratam Tridentinam Synodum ubique contigebat in Matrimoniis clandeſtinis, & poſt celebratam eandem Synodum adhuc contingit in Gallia, aliiſque in Provinciis, ubi quoad hanc partem recepta non ſunt ejus Decreta. Non eſt Sacramentum de ſententia Baſilii Pontii & Rebelli, (uterque autem *probabiliorem communioremque* vocat) quoties a contrahentibus

Canus p. 242. nov. edit.

bus abeſt neceſſaria faciendi Sacramenti intentio: quo caſu valere quidem dicunt Matrimonium *in ratione contractus*, *non autem in ratione Sacramenti*: quod & Launojus obſervat in Opere *de Regia in Matrimonium Poteſtate*, Parte I. Articulo II. Capite VIII. Falſa ergo eſt, vel ſaltem minime certa doctrina Bellarmini, dum Libro I. *de Matrimonio*, Capite III. adfirmat, ex inſtitutione Chriſti eſſe, ut inter Chriſtianos nullum Matrimonium contrahatur quod non ſit Sacramentum. Eſt & illud conſequens, multos eſſe caſus, ubi Chriſtianis liceat Matrimonium contrahere, quod Sacramentum non ſit. Cum autem Definitio Innocentii XI. de eo tantum caſu loquatur, in quo agatur de validitate Sacramenti: conſequitur, ſine ullo Pontificiæ cenſuræ contrahendæ periculo, poſſe in multis locum habere doctrinam noſtram: fieri enim ſubinde poteſt, ut licite contrahatur Matrimonium, quin Sacramentum celebretur.

Launojus Tomo I. p.694.

IV. Reſpondeo tertio ex ſententia omnium Theologorum: quando Innocentius XI. definivit, licitum non eſſe in adminiſtratione Sacramentorum uti opinione probabili de valore eorumdem, relicta tutiore: non opponi à Papa opinionem tutiorem ei, quæ ſit moraliter certa, quamvis minus tuta; ſed opponi ei, quæ ſpeculativa tantum, non practica probabilitate gaudet. Quare omnes conſentiunt, cenſura hacce minime comprehendi opinionem eorum, qui docent, pro materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ ſatis eſſe contritionem imperfectam, quæ in attritione conſiſtit: quamvis tutior ſit eorum ſententia, qui perfectam contritionem requirunt. Nam ſufficere attritionem, inquiunt, vel caritatem initialem, doctrina eſt moraliter certa: Papa autem hujuſmodi doctrinarum uſum non damnat: aliter enim graviſſimum nobis & intolerandum onus ſub-

ſubeundum foret, ſi in omnibus ſequi deberemus quod eſſet tutius, nec ſatis eſſet judicium moraliter certum. Atqui negari non poteſt, doctrinam noſtram de poteſtate Epiſcoporum tempore ſciſſuræ tot tamque gravibus fundamentis inniti: ut nullus Theologus, qui libero a præjudiciis animo ea fundamenta librarit, poſſit illam non judicare valde probabilem in praxi, imo etiam moraliter certam: proindeque minime illam involvi damnatione Innocentii XI., quæ de illis tantum doctrinis loquitur, quæ præterquamquod minus tutæ ſunt, ſimplicis opinionis limites non excedunt.

V. Addo quarto & poſtremo loco: multas harum Propoſitionum ea ſolum de cauſa proſcriptas eſſe, quod nimis generaliter loquerentur. Sub hac autem rerum ſpecie, nec Eccleſiæ nec Summi Pontificis mens eſt cenſura ſua comprehendere caſus raros & urgentis neceſſitatis, qualis ille eſt in quo verſamur. Itaque paſſim videmus, in adminiſtratione Baptiſmi & Pœnitentiæ, vi neceſſitatis multas opiniones uſurpari, quæ certe non ſunt de tutioribus: neque tamen propterea generalitati illius cenſuræ Pontificiæ quam tractamus, adverſari ii cenſentur, qui talia agunt. Revera Martinus Eſparza Jeſuita, qui unus fuit e Conſultoribus Innocentii XI. in quadam Epiſtula Romæ data VI. Aprilis, MDCLXXX. teſtatur: cauſam damnandæ hujus Propoſitionis fuiſſe generalitatem verborum, quibus concepta erat. *Prima illa propoſitio fuit reprobata propter ſuam illimitatam amplitudinem & generalitatem, &c.* Cujus Epiſtulæ inter alios meminit Pater Concina.

VI. Non obſtat etiam Declaratio Sacræ Congregationis Concilii deſcripta a Rigantio in Notis ad Regulam Cancellariæ XLIX. ubi ille commemorat, Archiepiſcopo Syracuſano anno MDCLX. per Cardinalem Prodatarium ſequentem

tem quæſtionem proponenti: *An Epiſcopus in caſu urgentiſſimæ neceſſitatis poſſit ante contractum Matrimonium in impedimento publico diſpenſare?* Sacram Congregationem reſpondiſſe negative. Addit in alia Congregatione paullo poſt coacta, *falſam & temerariam* judicatam eſſe ſententiam ajentem. *Rigantius Tom. IV. pag. 6.*

Dico primo: ubi de doctrina agitur, Magiſtrum vel Superiorem alium non agnoſci nec agnoſci debere ab Epiſcopis, quam Concilium Generale, vel Papam, ſolemniter definientem aut imperantem. Adde quod optimorum Theologorum & Canoniſtarum etiam Hiſpanorum ſententia eſt. Reſponſa a Sacra Congregatione edita limites non excedere Judiciorum quorumdam doctrinalium; quorum proinde non major ſit auctoritas, quam qua pollent privata ſuffragia ceterorum Theologorum ac Doctorum. Ita cenſet e Canonici Juris Interpretibus laudatiſſimus Gonzales in Apparatu ad Commentarios Decretalium, numero LVII. e Theologis magnus ille Tapia Dominicanus Archiepiſcopus Hiſpalenſis Libro IV. *Catenæ Moralis*, Quæſtione VIII. articulo VIII., ut miſſum faciamus Bonacinam Diſputatione I. *de Legibus*, Quæſtione I. Puncto I. & Sancium Libro VIII. *de Matrimonio*, Diſputatione II. numero X.

Secundo: qualiſcumque hujus Congregationis auctoritas ſit, nullius roboris apud Epiſcopos eſſe debet hæc illius declaratio. Non enim promulgata fuit per Provincias Chriſtianas, nec ad Epiſcopos ſolemniter tranſmiſſa: quod tamen fieri omnino oportebat in re adeo gravi, adeo generali, & in qua tantum de Epiſcopalibus Juribus detrahebatur. Legatur Petrus de Marca Libro II. Capite XV. ubi hanc doctrinam oſtendit eandem eſſe, quam tuentur & validiſſimis rationibus fulciunt *Panormitanus*, *&*

& omnes fere Galli, *Germani*, *& Hiſpani*, *imo & Cajetanus unus e purpuratis Patribus*. Legatur & Vaneſpenius Tractatu *de Promulgatione Legum Eccleſiaſticarum*, Capite II. Gibertus Diſſertatione *Circa neceſſitatem publicationis Canonum*, quæ extat initio Tomi I. & Natalis Alexander *Theologiæ Moralis* Libro IV. Regula XXV. Tomo II. pag. 551.

Tertio: Si Sacra Congregatio Concilii anno MDCLX. edocuit, non poſſe Epiſcopos vel in caſu urgentiſſimæ neceſſitatis diſpenſare circa publica impedimenta Matrimonii, ut Rigantius memoriæ prodidit: eadem anno MDCLXXIII. judicavit id poſſe Epiſcopos, teſte Joanne Gerbaſio Doctore Sorbonico laudatiſſimo, qui hoc ſcribebat Pariſiis anno MDCLXXIX. in *Practica Impedimentorum Matrimonii*, quæ extat ad calcem Operis ſui Gallici *De Poteſtate Eccleſiæ & Principum circa Impedimenta Matrimonii*, pag. 412.

VII. Ad extremum ſi quis Quæſtionem & Declarationem a Rigantio deſcriptas paullo adcuratius penſitarit, is facile inveniſſet, nihil ipſis fere commune eſſe cum illa quæſtione, quæ nunc in Luſitania agitatur. Quærere enim, an Epiſcopi in caſu urgentiſſimæ neceſſitatis poſſint diſpenſare circa impedimenta publica: non eſt quærere, an penitus clauſo & intercepto acceſſu ad Romanam Curiam, devolvatur ad Epiſcopos facultas providendi in his & aliis negotiis. Reſpondere autem Sacram Congregationem, urgentiſſimam neceſſitatem ſatis non eſſe, ut Epiſcopi in hoc caſu diſpenſare valeant: non eſt decernere, diſpenſare eos non poſſe tum, cum nullo modo adiri poteſt Sedes Apoſtolica. Verbo dicam: caſus Rigantii Epiſcopis conferebat juriſdictionem titulo neceſſitatis: ponebat enim, diſpenſare ideo poſſe Epiſcopos quoniam neceſſitas diſpenſandi erat.

erat. In noſtro autem Syſtemate aliter ſe res habet. In eo enim (id quod ſummi momenti eſt ſummaque conſideratione dignum) prior in Epiſcopis juriſdictio eſſe monſtratur, quam neceſſitas in ſubditis: ipſaque diſpenſandi poteſtas Epiſcopis ineſſe monſtratur, non ex eo quod neceſſitas adeſt, non ex præſumptione, non ex epicheia; ſed quod ordinaria illis poteſtas competat ad diſpenſandum, ubicumque diſpenſationem requirat neceſſitas. Rem enim a ſuiſmet Principiis repetentes oſtendimus, nonniſi de Epiſcoporum conſenſu potuiſſe Papam ſibi reſervare diſpenſationes matrimoniales: Epiſcopos vero non aliter conſenſiſſe, nec aliter conſentire potuiſſe; niſi ſub ea omnino conditione, ut quacumque de cauſa interceptus foret aditus & influxus Apoſtolicæ Sedis, idque nulla ipſorum Epiſcoporum culpa interveniente, ad ipſos rediret antiquum jus diſpenſandi, utpote jus proprium & ordinarium Ordinis Epiſcopalis. Unde ad extremum conficitur, reverſionem juris hujus non oriri ab interpretativa Papæ voluntate; ſed a tacito illo & neceſſario pacto, quod cum Sede Apoſtolica iniere Epiſcopi, quando in reſervationes conſenſere. Quo quidem pacto cedere illi non poſſunt: tenentur enim jure divino ovibus providere illaſque paſcere, ubicumque neceſſitas ingruat, in illaſque influere non valeat Paſtor ſupremus.

VIII. Atque hinc etiam ſatisfit tertio argumento, quod in doctrinam noſtram fieri poſſet, quodque inde deſumitur; quod ſinguli Epiſcopi, cum ordinantur, Sacramento ſe obſtringunt tuendi Apoſtolicæ Sedis Jura omnia, ſtandique ſingulis ejus Diſpoſitionibus, Proviſionibus, & Reſervationibus. Hoc enim jusjurandum, ut patet, ſemper exceptionem illam involvit, ut pro illo caſu non valeat, in quo ver-

verſamur, neque etiam pro ſimilibus aliis: ubi ſcilicet Papa, nulla Epiſcoporum interveniente culpa, diuturno aliquo impedimento conſtringitur, quominus publicis urgentibuſque alicujus Regni vel Provinciæ calamitatibus provideat: vel etiam ubi calamitatibus ipſis providere non vult Papa, cum poſſit.

Hoc fundamento nixi Galli Theologi, anno MDCL. ſummo conſenſu ſtatuere: poſſe deſignatos a Rege Epiſcopos in Luſitania conſecrari, nulla præcedente confirmatione Pontificis. Quod enim Papæ reſervata eſſet confirmatio Epiſcoporum, id illi contendebant minime valere poſſe, ubi & maxima Epiſcoporum penuria laborabat univerſum Regnum, & huic malo ſane graviſſimo mederi abnuebat Pontifex. Politicis enim quibuſdam rationibus captus, omnem nobis confirmandorum de more Epiſcoporum ſpem ademerat Innocentius X. Hinc itaque argumentabantur illi Theologi: *Epiſcopos in Eccleſia eſſe Jus divinum imperat, Jus naturale jubet. Reſervatio illa facta eſt de jure humano, quod non obligat in neceſſitate, non extrema tantum, ſed ne in graviſſima quidem. Igitur cum modo Recurſus non detur, poſſunt Epiſcopi ſine confirmatione Pontificis conſiderato præſenti ſtatu conſecrari* (*a*).

Balatus Ovium *p.*225. & 226.

Ita

(*a*) Hoc eodem argumento & exemplo a noſtris petito uſus eſt anno MDCCXXIV. Theologus Belga, qui pro Theodoro Archiepiſcopo Ultrajectenſi eruditam Diſſertationem compoſuit *De Miſero Eccleſiæ Ultrajectinæ ſtatu*, ubi & illud quæritur: *An liceat ad Electi confirmationem procedere, ſine confirmatione Pontificia, ſi Pontifex rogatus eam ſine cauſa deneget:* Id vero licere cum multis probaſſet auctor, tandem petito e Luſitania exemplo doctrinam ſuam confirmat his verbis: *Pontifices Romani Urbanus VIII. & Innocentius X. jam a duodecim annis Epiſcopos a*

Rege

Ita ſub Joanne Rege IV. argumentabantur noſtri exterique Theologi: ut conſtat ex Libro cui titulus eſt, *Balatus Ovium*, Pariſiis cuſo anno MDCLIII. Ubi valde notandum eſt, quæſtionem hanc ſuperiori ſæculo excitatam de Epiſcopis conſecrandis, multo ſane graviorem eſſe, quam quæ hodie agitatur de uſu diſpenſationum matrimonialium. Erat enim tanto gravior, quanto a validitate Ordinis plus dependet Eccleſia & fidelium æterna ſalus, quam a validitate Matrimonii. Nam ſi Ordo validus non ſit, nullum verum ſacrificium fieri nullæque veræ abſolutiones dari poſſunt. Contra Matrimonium, dummodo bona fide contrahatur, prodeſſe illud quidem Reipublicæ poteſt, abſque ullo contrahentium formali peccato. Nihilominus tamen conſentiebant ſupra laudati Theologi, tute conſecrari poſſe Epiſcopos, etiamſi illis deeſſet confirmatio Pontificia: atque eapropter conſentiebant, quoniam pro comperto habebant, in re plane juris humani (qualis erat neceſſitas confirmationis Pontificiæ) fruſtra & præter rationem invitum eſſe Pontificem, ſi illo confirmationem negante, ſeſe invicem ipſi Epiſcopi confirmaſſent, ut antiquitus fiebat. Erant ergo & noſtri & Galli Theologi in ea ſententia, ut crederent: quando Pa-

pa

Rege Portugalliæ propoſitos, ob rationes politicas confirmare recuſaverant. Et jam eo redigebatur Portugallia, ut ex tredecim Epiſcopis unus tantum ſupereſſet. Rex in ea neceſſitate exteras univerſitates conſulebat, ut qua ratione ſuccurrere poſſet, ſuggererent. Inter cetera autem conſilia, hoc etiam a Doctoribus aſſerebatur; poſſe ſcilicet Epiſcopos ſine confirmatione Pontificis, conſiderato præſenti ſtatu, conſecrari. Idque ſic probabant: Epiſcopos in Eccleſia eſſe Jus divinum imperat, &c. Hæc nos ex Libro Hagæ Comitum impreſſo anno MDCCXXXVII. cui titulus eſt: ***Acta quædam Eccleſiæ Ultrajectinæ, &c.*** **pag. 26.**

pa conſentientibus ipſis Epiſcopis ſibi reſervavit confirmationem Epiſcoporum, huic reſervationi eatenus adſenſum præbuiſſe illos, quatenus Papa non potente vel nolente confirmationem dare (idque ſine juſta cauſa), ad eoſdem Epiſcopos devolveretur auctoritas confirmandi, quæ ipſis per antiquos Canones competebat.

Nixus eodem fundamento docebat Petrus de Alliaco Epiſcopus Cameracenſis, an. MCCCCIX. & cum Alliaceno idem tunc temporis ſentiebant, quotquot e Theologis pacis amatores erant: Avenionenſi ſchiſmate perdurante, convocari celebrarique poſſe Concilium Generale, etiamſi certus Papa nullus eſſet. Arbitrabantur enim, Poſitiva Jura omnia, quæ ſoli Papæ hanc auctoritatem reſervabant, omnino ceſſare pro eo caſu, ubi nullus in Eccleſia Papa erat, propter ſchiſma quo ipſa opprimebatur. Videatur Alliaceni Diſſertatio apud Martinum Tomo II. *Anecdotorum* pag. 1409.

IX. Quod ſi quis nobis opponat, tempore Domini Regis Joannis IV. fuiſſe Papam, qui Epiſcopos confirmare nollet: nunc autem Regem eſſe, qui nolit a Roma diſpenſationes peti: adeoque mirum non eſſe, quod nunc de ſua poteſtate ad diſpenſandum dubitent illi ipſi, qui ubi de confirmationibus agitur, poteſtatem illam penes ſe eſſe fatentur. Si quis, inquam, hoc nobis opponat: dico parum intereſſe noſtra, Papa an Rex ſit, qui Curiæ acceſſum occludit; quando nulla Epiſcoporum, nulla ſubditorum culpa occludit. Sicut enim Theologi, quos conſuluit Dominus Rex Joannes IV. uni illi fundamento inſiſtebant, quod ipſe ab Luſitanis Statibus renuntiatus Rex eſſet, jureque Succeſſionis capeſſiſſet Regnum, utpote Sereniſſimæ Domus Brigantinæ heres legitimus; nullamque interim rationem habebant eorum, quibus motus Pontifex legitimum eum Regem dubi-

dubitabat agnoſcere, deſignatiſque proinde ab eo Epiſcopis confirmationem denegabat: ita & nos nihil de eo debemus eſſe ſolliciti, uter jure injuriave pacem abruperit. In utroque enim caſu ſive Papa, ſive Rex fuerit, qui aditum Curiæ clauſerit: res facti eſt, clauſum eſſe reipſa Curiæ aditum, nulla ſubditorum culpa; totique Regno graviſſimum malum eſſe, diſpenſatore carere: juris vero eſt, ad Epiſcopos nihil aliud ſpectare, quam Principibus ſuis dicto audientes eſſe, ut ſubditos, gregiſque ſibi crediti ſpiritualibus calamitatibus ſubvenire, ut Paſtores. Sicut ergo ſub Domino Rege Joanne IV. id unum reſpiciebant Theologi, eſſe eum Regem ſuum legitimum, ac pro Rege haberi a ſuis: ita nunc unum illud attendere debent Theologi & Epiſcopi, caviſſe decreto ſuo Dominum noſtrum Regem, nequis cum Romanis commercium ullum haberet; Regeque ita decernente, debere omnes ab hujuſmodi ſe commercio abſtinere, juſtamque ejus juſſionem exiſtimare: ex eo autem quod ita Rex præceperit, conſequens eſſe, ut magno cum animarum damno diſpenſationum penuria laboret Luſitania, quin in ſubditorum poteſtate ſit Regium Decretum impedire vel vitare. Nam ut ſupra jam oſtendimus, in his quæ intrinſecus mala non ſunt, minime ſpectat ad ſubditos præcepti cauſa excutere, ſed tantum præcipienti obtemperare: ita ut nihil umquam, niſi quod optimum ſit, imperari ab illis credant, qui Dei in terris vices agunt, cujuſmodi ſunt Reges & Principes Supremi: ipſiſque etiam religioni ſit, vel cogitando culpare facta & juſſa illorum, quorum Perſonas divinæ humanæque Leges Sacroſanctas vocant. Qua in re perpetuo meminiſſe debent admirandæ illius ſententiæ S. Cyrilli in Pſalmum L. *Impius eſt qui Regi dicit, Impie agis*.

X. Nequa difficultas ſit, quam non explanemus: quarto & poſtremo loco argumentum aliud adverſus ſyſtema noſtrum proponemus, cujus ſolutione penitus illuſtrata & confirmata manebit univerſa doctrina ſuperiorum Principiorum. Eſt autem argumentum tale. Omnibus Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopis perſuaſum eſt, quidquid poteſtatis in ſe reſidet, totum id ſibi a Papa immediate proficiſci: nihilque aliud ſe poſſe, niſi quod ipſos poſſe velit Papa. Omnes enim ſe hujus vel illius urbis inſcribunt Epiſcopos, *Dei & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ gratia* (*a*). Ex quo illud efficaciter concludi videtur,

(*a*) Andreas Duvallius, magni nominis apud Romanos Theologus Gallus, in Libro *de Suprema Poteſtate Papæ*, Parte III. Quæſtione VI. (quem ille ut Romanæ Curiæ gratificaretur, ſuaſu Cardinalis Perronii compoſuit initio ſuperioris ſæculi) adfirmate non dubitavit, formulam hanc, qua ſe inſcribere ſolent Epiſcopi hodierni, *una cum naſcente Eccleſia ortum habuiſſe*. Id quod Edmundus Richerius merito irriſit & confutavit Libro I. *Hiſtoriæ Conciliorum*, Capite X. num. XI. pag. 297. Conſtat enim formulam illam eſſe novitiam, & decem prioribus ſæculis prorſus ignotam: quæ ab uno aliove Epiſcopo primum uſurpata, ſenſim deinde, nec tamen ubique aut uno eodemque ſimul tempore a ceteris recepta fuit poſt ſæculum XII. Eam certe formulam ignorabat ſæculo undecimo exeunte Ivo Carnotenſis in Gallia Epiſcopus, qui Epiſtulam CLXVIII. ſic auſpicabatur: *Daimberto* DEI GRATIA *Senonenſium Archiepiſcopo*, *Ivo* EADEM DEI GRATIA *Eccleſiæ Carnotenſis Miniſter*, *ſalutem & ſervitium*. Epiſtulam autem CLXIX. hoc modo; *Ivo* DEI GRATIA *Carnotenſis Eccleſiæ Miniſter*, *Galloni* EADEM GRATIA *Pariſiorum Epiſcopo ſalutem*. Ignorabat poſt medium ſæculum duodecimum Guillelmus Epiſcopus Aptenſis in eadem Gallia, dum anno MCLX. ita ſcribebat: *Ego Guilielmus* SOLIUS DEI GRATIA *Aptenſis Epiſcopus &c.* quod Inſtrumentum habet apud Galliam Chriſtia-

detur, ſi cum a Regibus prohibentur ſubditi Apoſtolicam Sedem adire, concedi ab Epiſcopis matrimoniales diſpenſationes nolit Pontifex; non poſſe illas ab Epiſcopis licite nedum valide concedi. Speciosum ſane argumentum, quod a me diſſimulari non debuit: quippe qui probe agnoſcerem plurimum illo fidere e noſtris, quotquot a teneris (quod ajunt) unguiculis, non aliis quam Romanis placitis adſuevere: cum tamen nihil eo moveri debeant, qui in Principia a nobis ſtabilita, atque in ea etiam quæ docere jam pergimus funditus penetrarint.

Dico igitur primo: privatos ſenſus horum vel illorum Epiſcoporum obeſſe non debere Juribus & Privilegiis illis, quæ in Epiſcopali Ordine ſemper agnovit Eccleſia, mota ſane tum magnifica illa forma verborum, quibus Chriſtus Epiſcopatum inſtituit, tum etiam exiſtimatione ea, quam de Epiſcopatu nobis re-

 lique-

ſtianam, in Inſtrumentis Tomi I. pag. 78. Ignorabat anno MCCCXXXVIII. Willelmus Archiepiſcopus Eboracenſis in Anglia, dum epiſtulam quamdam ſic ordiebatur: (Tomo II. Concil. Angl. pag. 624.) *Willelmus* PERMISSIONE DIVINA *Archiepiſcopus Eborum, Angliæ Primas, venerabili fratri noſtro J.* DEI GRATIA *Carliolenſi Epiſcopo ſalutem*. In Germania quidem, ſi Meibomium audimus a Conrigio citatum in Diſſertatione *De Conſtitutione Epiſcoporum Germaniæ*, numero LXXV. Tomo II. pag. 642. ex Hildeſienſibus Epiſcopis primus fuit Henricus, qui circa annum Chriſti MCCCL. formula illa uſus fuerit: *Henricus Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Hildeſienſis*. In Hiſpania vero, etiam poſt Concilium Tridentinum, modo unam, modo alteram formulam uſurpaſſe Epiſcopos docent Acta Concilii Compoſtellani de anno MDLXV. Præſide Gaſpare de Zuniga Avellaneda, Conciliorum Hiſpaniæ Tomo V. pag. 445.

liquere priora ſæcula. Jam ex Sanctis Patribus Sacriſque Conciliis demonſtravimus, unumquemque Epiſcopum habitum a majoribus eſſe pro ſupremo quodam Paſtore ſupremoque Adminiſtratore ſuæ Parœciæ: *Cum habeat in Eccleſiæ adminiſtratione voluntatis ſuæ arbitrium liberum unuſquiſque Præpoſitus*, ajebat S. Cyprianus in Epiſtula LXXII. Demonſtravimus, tantam poteſtatem tantamque juriſdictionem in ipſos non aliunde, quam a Chriſto immediate emanare: in eaque ſententia perſtitiſſe Eccleſiam per duodecim ſæcula. Nam medio ſæculo IX. proteſtabantur Patres octavi Concilii Generalis, deponi a ſe & anathematizari Phocium, PER DATAM NOBIS POTESTATEM IN SPIRITU SANCTO A PRIMO ET MAGNO PONTIFICE NOSTRO, LIBERATORE AC SALVATORE CUNCTORUM. Et adhuc medio XII. ad Eugenium Papam Tertium hæc ſcribebat S. Bernardus: *Erras, ſi ut ſummam, ita ſolam a Deo tuam exiſtimas poteſtatem* (a). Et adhuc ineunte XIV. illud tamquam ubique receptum tradebat Durandus Epiſcopus Mimatenſis: *Quod Epiſcopi poteſtatem & honorem receperunt a Deo, a quo Epiſcopi loco Apoſtolorum conſtituti ſunt* (b).

Exor-

(a) Sententiam hanc Bernardi ſuam fecere Gallicani Præſules in epiſtula Synodica ex Pariſienſi Generali Conventu data, XIV. Kalendas Aprilis, anno MDCLXXXII. *In Romano Pontifice, Petri Succeſſore, ſummam, licet non ſolam, cum Sancto Bernardo a Deo inſtitutam Apoſtolicam poteſtatem veneramur.*

(b) Centum fere & viginti poſt Durandum annis, pulcherrimum hoc luculentiſſimumque teſtimonium de Sacerdotii divina origine divinaque auctoritate nobis reliquit Nicolaus de Cuſa Cardinalis, Libro III. *de Concordantia Catholica* Capite XLI. pag. 823. *Conſideret Romanus Pontifex, ſi Sacerdotium eſt ut anima una, quæ eſt tota in toto, & tota in qualibet*

Exorti poſtea ſunt famoſi Dominicani tres, Petrus de Palude, Joannes a Turrecremata, & Thomas de Vio Cajetanus: illuſtres illi quidem cum Profeſſione, tum Litteratura, tum Dignitatibus. Horum prior in Libro de Cauſa immediata Eccleſiaſticæ Poteſtatis docuit: *Eſſe Epiſcopos meros quoſdam Papæ Procuratores, quos ille proinde a ſuis officiis pro libitu removere poſſit, vel eorum poteſtatem reſtringere etiam tum, cum nulla in ipſis eſt culpa*. Docuit alter in Libro de Eccleſia: *Ex omnibus Juriſdictionibus quæ ſunt in Eccleſia, ſolam Pontificiam a Chriſto eſſe immediate: ita ut ipſa Apoſtolorum juriſdictio non a Chriſto immediate, ſed a Petro profecta fuerit*. Quæ doctrina vel ipſi Bellarmino abſurda viſa eſt & cum Evangelio pugnans; ipſamque proinde hæreticam declaravit Sacra Facultas Pariſienſis, teſte Joanne Majore (a).

 Do-

libet ejus parte; quod tunc executiones poteſtatum quoad decretam provinciam ſecundum plus & minus, cum ab extrinſeco dependeant, non diminuunt ſpiritualem poteſtatem in ſe. Unde ſicut anima ipſa in pede hominis non eſt major nec minor, propter vitam quam pedi præſtat ipſamet anima quæ in capite vel in corde reſidet: ſic ipſe Papatus ſe habet ut anima in capite: & Patriarchatus ut anima in auribus vel oculis: & Archiepiſcopalis dignitas ut anima in brachiis: & Epiſcopalis ut in digitis, & ſic de ſingulis uſque ad pedes, qui in Republica plurales deſignant: unde anima eis vitam præſtans, Curatos recte ſignificat. UNA ERGO EST A DEO OMNIUM LIGANDI, SOLVENDI, AC VIVIFICANDI POTESTAS, LICET ILLA EX PARTE MEMBRORUM ALIA ATQUE ALIA, MAJOR ET MINOR VIDEATUR.

(a) Locus Majoris his verbis concipitur in IV. Sentent. Diſp. XXIV. Tom. II. Gerſonianorum Operum pag. 1130. *Tam Epiſcopi, quam Curati, ſunt de jure divino, quemadmodum Romanus Pontifex: nec aliquis purus homo poteſt illud Jus, & illas Poteſtates tollere*

Docuit tertius in Libro de Comparatione Papæ & Concilii Generalis: *Eccleſiam ſervam natam eſſe Romani Pontificis*. Quæ adſertio horrorem incutit iis omnibus, qui harum rerum guſtum aliquem ex antiquitate hauſere.

His aliiſque id genus novitatibus perpetuum bellum indixere Theologi Academiæ Pariſienſis (a). Indixere etiam apud Tridentinam Synodum, coita cum Gallis ſocietate, Epiſcopi & Theologi Hiſpani, e quorum numero erant Dominus Archiepiſcopus & Primas Bracarenſis Frater Bartholomæus a Martyribus, Doctorque Di-

lere ab Eccleſia, pluſquam Summum Pontificatum: licet Petrus Paludanus & de Turrecremata teneant oppoſitum. Sed quod ipſi tenent, cenſuit in Fide hæreſim Facultas noſtra, & hoc idem aliis rationibus munivimus. Jacobus vero Almainus in Quæſtione *de Dominio Naturali, Civili, & Eccleſiaſtico*, Concluſ. II. ibidem pag. 968. *Petrus de Palude*, inquit, *Tractatu ſuo de Eccleſiaſtica Poteſtate, Art. 5. & 6. dicit unum quod eſt mirandum; quod Rex non poteſt deponere vaſſallum ut alterum inſtituat, imo ſi deponat, non tantum peccat, ſed etiam nihil facit. Papa autem, ſi deſtituat magis bonum ſine cauſa, & loco ejus ponat minus bonum, licet peccet, tamen inſtitutio tenet. Si tamen minus bonum deſtituat, ut ponat magis bonum, tenet inſtitutio & non peccat.* QUÆ PROFECTO SENTENTIA EST IGNE DIGNA, *cum conſtet Prælatos & Titularios verum Jus habere, quo nullus invitus ſine cauſa rationabili privari poteſt.*

(a) Acta Sacræ Facultatis pro divina inſtitutione divinaque auctoritate Epiſcoporum adverſus Joannem Sarrazinum anno MCCCCXXIX. adverſus Nicolaum Quadrigarium anno MCCCCXXXII. adverſus Joannem Munerii anno MCCCCLXX. adverſus Joannem Angeli anno MCCCCLXXXII. adverſus Cajetanum Cardinalem anno MDXII. diligenter collegit Illuſtriſſimus Boſſuetus in *Defenſione Declarationis Cleri Gallicani* Libro VI. Cap. XXI. & XXII. Tomo I. pag. 512. & ſeqq.

Didacus Payva Andradius, Sebaſtiani Regis Theologus (*a*). Sed cum ex una parte cœperit Romana Curia infeſtam ſe oſtendere omnibus illis doctrinis, quæ abſolutæ illius Monarchiæ adverſabantur: ex altera vero Scholis fere omnibus Magiſtri præfecti fuerint Jeſuitæ: factum inde, ut unius Galliæ finibus concluderetur, maneretque Sorbonæ propria antiqua doctrina, quæ tot ſæculis apud Eccleſiam ſola viguerat.

XI. Quid igitur judicare debemus? errarene hodiernos Epiſcopos omnes, cum ſe inſcribunt Epiſcopos *gratia Sanctæ Sedis Apoſtolicæ?* minime: neque illud a nobis dici pateretur Chriſtiana pietas. Dico ergo ſecundo: quod Epiſcopi ſe Epiſcopos inſcribunt Apoſtolicæ Sedis gratia, id non eſſe idem, ac fateri Epiſcopos, juriſdictionem ſuam non immediate a Chriſto eſſe, ſed ab Apoſtolica Sede. Namque eodem

 modo

(*a*) Cum in adſerendo divino jure Epiſcoporum egregiam operam poſuerint apud Tridentinam Synodum omnes Antiſtites Hiſpani, ceteris tamen in eo negotio palmam præripuiſſe conſtat Bartholomæum de Martyribus Archiepiſcopum Bracarenſem, Petrum Guerrerium Archiepiſcopum Granatenſem, Martinum Perezium de Ajala Epiſcopum Segovienſem, Didacum Covarruviam Epiſcopum Civitatenſem, Melchiorem Avoſmedianum Epiſcopum Gaditanum, Joannem Suarium Epiſcopum Conimbricenſem, & Gaſparem Caſalium Epiſcopum Leirienſem. Inter Theologos autem primas tulit Petrus Sotus Dominicanus. Conſule Hiſtoriam Concilii apud Sarpium toto Libro VII. apud Pallavicinum Libro XIX. Capite 5. 6. & 7. Actaque ab Odorico Raynaldo producta ad annum MDLXIII. Quod autem Pallavicinus in poſtremo de citatis Capitibus adſerit, doctrinam illam a Petro de Victoria ebibiſſe Hiſpanos Antiſtites: putida cavillatio eſt hominis Itali, quam commemoraſſe confutaſſe eſt.

modo ſe inſcribebant Epiſcopi tempore Concilii Tridentini: & ibi tamen, teſtibus Pallavicino & Sarpio, ſumma contentione oſtenderunt Galli & Hiſpani, poteſtatem Epiſcoporum immediate proficiſci a Chriſto. Præterea S. Gregorius Magnus Libro I. Epiſtula XXXVI. ad Petrum Subdiaconum, ſcribit Epiſcopos ex liberalitate S.Petri habere, quod ſint Paſtores.

Gregor. Tom. II. pag.526. *Ex Petri largitate* (inquit) *Paſtores ſunt Epiſcopi*. Et tamen idem Summus Pontifex Libro VIII. Epiſtula XXX. Eulogium Alexandrinum eo nomine carpit, quod eum in ſuis litteris titulo *Univerſalis Epiſcopi* decoraſſet. Id vero ſibi ea propter diſplicere docet Gregorius, quod vocari *univerſalis Epiſcopus* Papa non poſſit, niſi aliorum Epiſcoporum Juribus violatis: quippe qui titulo illo oſtendat, omnem poteſtatem in ſe uno reſidere: cum e contrario oſtendere ille in omnibus debeat, unum eundemque Chriſtum fuiſſe, qui & Petrum crearit Primatem Eccleſiæ & Apoſtolos Epiſcopos conſtituerit: unum eundemque fuiſſe, qui eoſdem Apoſtolos & inter ſe fratres & unius ejuſdemque conſortes fecerit poteſtatis, licet aliter a Petro, aliter a ceteris exercendæ. Quare Eulogium monet Gregorius, ut in poſterum caveat, ne ſibi *univerſalis Epiſcopi* titulum adſcribat: eſſe enim titulum illum ſuperbum, & Epiſcopis injurium, qui fratrum loco a ſe habeantur & haberi debeant.

Ibid. p. 919. *Superbæ appellationis verbum, univerſalem me Papam dicentes, imprimere curaſtis. Quod peto dulciſſima mihi ſanctitas veſtra ultra non faciat.* QUIA VOBIS SUBTRAHITUR, QUOD ALTERI PLUSQUAM RATIO EXIGIT PRÆBETUR. Et mox: *Scio qui ſum, qui eſtis: loco enim mihi fratres eſtis, moribus patres. Nec honorem eſſe deputo, in quo fratres meos honorem ſuum perdere cognoſco.*

XII. Hinc etiam eſt, quod cum Eugenius Pa-

Papa IV. in Florentino Generali Concilio definierit, quæ prærogativæ eſſent Primatui Romani Pontificis a Chriſto adnexæ: atque id quidem ea verborum forma definierit, qua nihil majus, nihil honorificentius poſt hominum memoriam fuerat auditum: (ſic enim habet: *Romanum Pontificem Succeſſorem eſſe Beati Petri & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ Caput, & omnium Chriſtianorum Patrem ac Doctorem exiſtere; eique paſcendi, regendi, ac gubernandi univerſalem Eccleſiam a Domino noſtro Jeſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe*) nequis propterea arbitraretur, penes unum & ſolum Papam reſidere, quidquid juriſdictionis a Chriſto eſt inſtitutum; Decretum ſuum his verbis concluſit Eugenius, *Salvis Privilegiis Patriarcharum & Juribus eorum*. Optime igitur cum Juribus Epiſcoporum conſiſtere poteſt Primatus Papæ: poteſt jure divino Papæ ineſſe pleniſſima poteſtas, poteſt & Epiſcopi competere ſua portio, ab uno eodemque Chriſto in ipſos derivata. Qui enim Petro dixit: *Quodcumque ſolveris &c. Paſce oves meas, &c.* idem & ceteris Apoſtolis dixit: *Quodcumque alligaveritis, &c. Ite . . . docete . . . Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*.

XIII. Unum illud explicandum ſupereſt, quo ſenſu Epiſcopi, ſalvis juribus ſuis, inſcribere ſe poſſint (ut laudabiliter quidem inſcribunt) Epiſcopos *gratia Apoſtolicæ Sedis*. Dico ergo tertio: multis ex capitibus poſſe Epiſcopos auctoritatem ſuam adſcribere Apoſtolicæ Sedi, quin propterea inficientur, poteſtatem ſuam tam immediate eſſe a Chriſto, quam poteſtatem Papæ. Primum ex eo, quod Apoſtolica Sedes centrum ſit Catholicæ unitatis, ſecundum illud magni Cypriani in epiſtula ad Cornelium: *Navigare audent ad Eccleſiam principalem*, UNDE UNITAS SACERDOTALIS EXORTA EST.

Dein-

Deinde ex eo, quod ut Sancti Patres conſtanter docent, in Beato Petro initium habuit Epiſcopatus, qui in tota Eccleſia unus eſt in multos diviſus: non quod ſolus Petrus Epiſcopus fuerit, ſed quod primus fuerit, cui Chriſtus poteſtatem Epiſcopalem dedit, & qui totius Eccleſiæ nomine illam accepit. Audiamus pro omnibus unum Auguſtinum Tractatu CXVIII. in Joannem, num. IV. *Cum omnes eſſent interrogati, ſolus Petrus reſpondit,* TU ES CHRISTUS. *Et ei dicitur,* TIBI DABO, *&c. tamquam ligandi ac ſolvendi ſolus acceperit poteſtatem: cum & illud unus pro omnibus dixerit, & hoc cum omnibus, tamquam perſonam gerens ipſius unitatis acceperit: ideo unus pro omnibus, quia unitas eſt omnibus* (*a*). Tertio ex eo, quod ut mo-

Auguſt. To. III. pag. 800.

(*a*) Eodem ſpectat illud ejuſdem Auguſtini Tractatu L. in Joannem num. 12. Tomo III. P. II. p. 633. *Si in Petro non eſſet Eccleſiæ Sacramentum, non ei diceret Dominus:* Tibi dabo claves Regni Cælorum, quæcumque ſolveris in terra, ſoluta erunt & in Cælo, &c. *Si hoc Petro tantum dictum eſt, non facit hoc Eccleſia: ſi autem & in Eccleſia fit, ut quæ in terra ligantur, in Cælo ligentur, & quæ ſolvuntur in terra, ſolvantur in Cælo: quia cum excommunicat Eccleſia, in Cælo ligatur excommunicatus; cum reconciliatur ab Eccleſia, in Cælo ſolvitur reconciliatus. Si hoc ergo in Eccleſia fit,* PETRUS QUANDO CLAVES ACCEPIT, ECCLESIAM SANCTAM SIGNIFICAVIT. Et illud in Sermone CXLVII. de Verbis Evangelii Joannis, num. 2. Tomo V. pag. 702. *Per ſingula dicebat Dominus Jeſus, Petro dicenti,* Amo te, Paſce agnos meos, paſce oviculas meas. *In uno Petro figurabatur unitas omnium Paſtorum, ſed bonorum, qui ſciant oves Chriſti paſcere Chriſto, non ſibi.* Item illud in Pſalmum CVIII. num. I. Tomo IV. pag. 1215. *Quædam dicuntur, quæ ad Apoſtolum Petrum proprie pertinere videantur; nec tamen habent illuſtrem intellectum, niſi cum referuntur ad Eccleſiam, cujus ille agnoſcitur in figura geſtaſſe perſonam, propter Primatum quem in diſci-*

monuit Innocentius I. in Epiſtula ad Decentium Epiſcopum Eugubinum, ab Eccleſia Romana cum ipſa fidei luce primos Epiſcopos habuere Occidentales Eccleſiæ: Unde ſequitur, hodiernos Epiſcopos omnes Latinæ Eccleſiæ filios

Innocentius ex editione Queſnelli Tomo II. Oper. S. Leonis p. 50.

ſcipulis habuit. Sicuti eſt, Tibi dabo claves Regni Cælorum, *& ſi qua hujuſmodi*. Hæc aliaque id genus Auguſtini teſtimonia, quibus mirifice illuſtratur doctrina a nobis tradita Principio V. de immediato ſubjecto ſpiritualis poteſtatis, quam Eccleſiam eſſe diximus, ſive corpus Paſtorum, cujus Eccleſiæ figuram gerebat Petrus. Hæc, inquam, Auguſtini teſtimonia ea ratione eludere ſe poſſe judicavit Cardinalis Cajetanus, quam in Tractatu *de Auctoritate Eccleſiæ & Concilii Generalis*, Capite VII. explicat & merito confutat Jacobus Almainus Pariſienſis Doctor, Tomo II. Gerſonianorum Operum, pag. 990. his verbis: *Contulit Dominus claves Petro Summo Pontifici, ut ſigno & figuræ Eccleſiæ. Ergo per amplius & magis contulit Eccleſiæ. Probatur antecedens per Auguſtinum ſuper Joannem, & ponitur* 24. *Q.* 1. *Can.* Quodcumque. Petrus quando claves accepit, Eccleſiam ſanctam ſignificavit. *Nec valet dicere, ſicut dicit Thomas de Vio, quod hoc eſt intelligendum ad iſtum ſenſum, quod non ſolum perſonæ Petri, ſed & officio ſuo in æternum duraturo collatæ ſunt claves: & quia officium Petri eſt officium capitis, quod habet influere in corpus reliquum; ideo officio capitali data, toti corpori data dicuntur & ſunt. Probo enim quod non ad illum ſenſum dicit Auguſtinus claves datas eſſe Eccleſiæ: quia hoc modo claves eſſe datas Eccleſiæ; eſſet eas datas eſſe propter Eccleſiam finaliter, & non ei datas eſſe formaliter: quod manifeſte eſt contra Auguſtinum dicentem in eodem Cap.* Si hoc tantum Petro dictum eſt, *puta, Quodcumque ligaveris, &c.* non hoc facit Eccleſia: *ubi pro inconvenienti infert iſtud conſequens, quod Eccleſia non ligat, & quod Eccleſia non ſolvit*. Conferatur Edmundus Richerius *de Eccleſiaſtica & Politica Poteſtate*, in demonſtratione Capitis II. num. 5. & 7. pag. 12. & 16. & Anonymus Benedictinus in Gallicis *Explicationibus Textuum Difficilium Novi Teſtamenti*, ad Caput Matthæi XVIII. §. XXIV. pag. 574. & ſeqq.

lios eſſe illorum antiquorum Epiſcoporum, quos Romani Pontifices initio dedere Afris, Gallis, Hiſpanis, Italis, & Germanis (*a*).

XIV. Siquis tamen nos urgeat dicens, titulo ſaltem confirmationis eſſe hodiernos Epiſcopos Papæ immediate ſubjectos, adeoque a ſolo Papa immediate haurire eos, quidquid in ipſis eſt poteſtatis: repono primo, hanc ipſam confirmationem unam eſſe de Reſervationibus illis, quas ex ſolo Epiſcoporum conſenſu exercet Papa. Quamvis enim Papa, præter qualitatem Supremi Primatis totius Eccleſiæ, Patriarchali etiam dignitate fruatur in Occidente: nihilominus confirmatio ipſa Epiſcoporum, ante Reſervationes invectas, ad Metropolitanum vel ad Provincialem Synodum omnino pertinuit: quemadmodum conſtat ex Canonibus Nicænis, Antiochenis, Laodicenis, Carthaginenſibus, Arelatenſibus, aliiſque a Dupino laudatis Diſſertatione I. §. XII. Et adhuc jure novo Decretalium Gregorii IX. Metropolitano competebat confirmatio Suffraganeorum, ut initio hujus Operis jam oſtendimus. Atque id ipſum confirmat Illuſtriſſimus Dominus Rodericus a Cunia, dum in Hiſtoria Eccleſiæ Bracarenſis Tom. II. Cap. IX. diſſidium commemorat Mauritii Archiepiſcopi Bracarenſis cum Bernardo Archiepiſcopo Toletano, ex eo ortum anno MCXIV. quod Bernardus ſibi adro-

Dupinus p. 63.

(*a*) Veteris quidem inſtituti eſt, ſpecialem reverentiam Matricibus ſive Metropolibus Eccleſiis exhiberi ab iis, qui inde fidei & pietatis originem ducunt. Sic enim de Cæſarea Cappadociæ Metropoli ad Baſilium ſcribebat Gregorius Nazianzenus: *Igitur cujuslibet quidem Eccleſiæ tamquam Corporis Chriſti habenda eſt ratio: maxime vero noſtræ, quæ prope mater eſt omnium Eccleſiarum, & fuit ab initio, & nunc quoque eſt & nominatur; quam Chriſtiana Reſpublica, velut centrum ſuum circulus undique obſervat.*

rogaret confirmationem Epiſcoporum Lucenſium, *quæ ad Archiepiſcopum Mauritium jure ſpectabat, ut qui illius Civitatis Metropolitanus eſſet*. Et rurſus Cap. XII. narrat idem Hiſtoricus, anno MCXXIV. *electionem Epiſcopi Conimbricenſis, utpote Suffraganei ſui, confirmaſſe Pelagium Archiepiſcopum Bracarenſem*. *Tom. II. p. 35. & 50.*

Repono ſecundo: ex eo quod Summus Pontifex confirmat Epiſcopos, minime ſequi nec argumentari licere, poteſtatem Epiſcoporum non a Chriſto, ſed a Papa immediate proficiſci. Admiſſa quippe electioue, (id enim ſignificat confirmatio) eodem modo ratiocinari debemus de Epiſcopis receptis a Papa, ac de Papa ab Eccleſia recepto. Illum Eccleſia recipit pro Papa, quem Cardinales eligunt: poſitaque hujuſmodi receptione, omnes fatentur faterique omnino debent, ſic electum Primatem totius Eccleſiæ divino jure conſtitui, a Chriſtoque immediate accipere plenitudinem poteſtatis Papalis. Ita ſimiliter admiſſa a Papa electione Epiſcoporum, ſtatuere debemus a Chriſto in Epiſcopos, non vero a Papa, totam ipſorum poteſtatem emanare.

Ratio hujus doctrinæ eſt: quod tam in Papa, quam in Epiſcopis, aliud eſt juriſdictio ipſorum officio adnexa, aliud deſignatio hominis illius, qui officium illud obiturus eſt. Deſignatio Epiſcopi a Papa quidem eſt, ut conditio quædam extrinſeca: juriſdictio vero immediate a Chriſto confertur, ut qualitas quædam intrinſeca Ordini Epiſcopali. Quemadmodum deſignatio Papæ ab Eccleſiæ quidem electione eſt: juriſdictio vero, ut omnes fatentur, a Chriſto immediate deſcendit, tamquam uno & ſolo Primatus auctore (*a*). Alioquin pronuntian-

(*a*) Richerius Hiſtoriæ Conciliorum Libro I. Capite

tiandum nobis eſſet, quando a. Metropolitano confirmabantur Suffraganei, eique Suffraganei obedientiam ſpondebant; non a Chriſto, ſed a Metropolitano juriſdictionem conferri Suffraganeis ipſis: quod quidem totius antiquitatis ſenſui penitus adverſatur, ut jam oſtendimus.

TEN-

---

pite X. num. XI. pag. 297. *Profecto, quamquam Epiſcopus Pariſienſis in ſuis Litteris formulâ illa hodie utatur*: N. Dei & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ gratia Epiſcopus: *nihilominus æque ſuam auctoritatem & juriſdictionem immediate a Deo derivat, quam Papa: & dum aliquem a peccatis abſolvit, aut leges condit, id gratia & auctoritate divina immediate facit, ſicut & Paulus V. Pontifex Maximus. Ratio eſt: quoniam utrique, nimirum & Henrico Gondio & Paulo V. Chriſti & Eccleſiæ auctoritate poteſtas immediate una cum Ordinis Epiſcopatis & tituli collatione confertur: licet hæc fiant & adminiſtrentur hominum miniſterio*. Eo ſenſu Cajetanus apud eundem Richerium Libro II. adverſus Duvallium Capite VII. num. XXIV. pag. 269. *Cum Papa eligitur, nec ſecum adfert claves, neque ab Eccleſia illas accipit, ſed a Chriſto, non nova traditione, ſed antiqua; illamet, qua tradidit Petro. Eccleſia ſiquidem miniſterio electionis perſonam deputat, quæ Petro ſuccedat. Chriſtus autem in B. Petro cuilibet Succeſſori claves tradidit.*

TENTAMINIS THEOLOGICI
PARS SECUNDA.

Documenta & Exempla illa complectens, quæ nobis diverſis temporibus dedere Theologi, Epiſcopi, & Academiæ Catholicæ: ut inde intelligeremus, quando inacceſſa Roma eſt ſive cauſa ſchiſmatum, ſive cauſa bellorum & peſtilentiarum, ſive Decreto Supremorum Principum; devolvi ad Epiſcopos facultatem & poteſtatem providendi & diſpenſandi circa caſus omnes Papales, ubicumque id ſubditorum neceſſitas aut utilitas efflagitarit.

DOCUMENTUM I.

GUillelmus Ockamus ex Minorum Ordine. Nominalium Princeps, Libro II. Dialogorum ſuorum *de Poteſtate Papæ & Cleri*, Capite XXVIII. *Alius caſus eſſet, ſi Catholici per bella inteſtina vel per infideles aut ſchiſmaticos, aut aliter taliter premerentur, quod ad Apoſtolicum verum non poſſent habere Recurſum. Et tunc diverſæ Provinciæ poſſent convenire ad præficiendum ſibi unum caput. Tunc enim liceret quibuſcumque Provinciis (quæ poſſent & vellent) ſibi conſtituere unum Primatem. Et ita poſſent aliquæ Provinciæ in una parte mundi unum, & aliæ in alia parte mundi alium ſibi conſtituere Primatem.* Mox ſibi opponens generales Canones in ſpeciem repugnantes, hoc modo reſpondet: *Reſpondetur quod quando poteſt haberi Recurſus ad Papam, non eſt nova dignitas conſtituenda abſque licentia Papæ: in quo caſu loquuntur Canones ſacri. Sed quando non poteſt haberi Recurſus ad Papam Catholicum, tunc pro utilitate*

Ex edit. Goldaſti Tom. II. P.I. pag. 817.

litate communi licet novam conſtituere dignitatem, duraturam ſaltem uſquequo poſſit haberi ad Papam Recurſus (a).

DOCUMENTUM II.

Gerſon Tom. II. p.6. & 7. JOannes Gerſon Cancellarius Academiæ Pariſienſis, Tractatu *De Modo ſe habendi tempore*

(a) Pro Ockamo ejuſque doctrina ſatis eruditam Apologiam Ludovico XI. Gallorum Regi obtulere ejus diſcipuli anno MCCCCLXXIII. quam ex Codice manu exarato Colbertinæ Bibliothecæ edidit Baluzius Miſcellaneorum Tomo IV. pag. 531. ex Baluzio Argentræus *in Collectione Judiciorum de novis erroribus*, Tertia Parte Tomi I. pag.286., quam proinde in alterutro legere erit operæ pretium. Scio enim, quanta infamia (apud Italos præſertim Scriptores) laboret Ockami nomen, quem tamquam hæreticum & ſchiſmaticum paſſim traducere ſolent propterea, quod Ludovici Bavari Imperatoris jura ab injuriis Joannis Papæ XXII. impigre vindicarit, eoque nomine anathematis fulmine percuſſus fuerit ab eodem Papa. Melior profecto Ockami fortuna fuiſſet, ſi noſtro vel ſuperiori vixiſſet ſæculo, quo doctrina de veris limitibus Imperii & Sacerdotii tot egregiis monumentis enucleata & illuſtrata eſt a Paulo Sarpio, utroque Barclajo, Jacobo Benigno Boſſueto, Ludovico Elia Dupino, aliiſque ſummis Theologis: ut ſi Romanos excipias, nullus hodie in tota fere Eccleſia ſit, qui Gregorii VII. in Henricum IV. Bonifacii VIII. in Philippum Pulchrum, Joannis XXII. in Ludovicum Bavarum, facta dictaque non incuſet, non carpat, non deteſtetur. De eodem Ockamo præclarum illud teſtimonium dedit Jacobus Auguſtus Thuanus in epiſtula quadam ad Melchiorem Goldaſtum: *Porro ex omnibus auctoribus, qui de Poteſtate Papæ ſcripſere, nullus extat, ex quo plura & ſalubriora documenta hauriri queant ad legitimam poteſtatem Romani Pontificis cognoſcendam, & regendam, quam ex Magiſtro Ockamo,*

re ſchiſmatis, prope finem : *Tertium documentum eſt de caſibus reſervatis Papæ , de Diſpenſationibus , & aliis in foro conſcientiæ vel publico . Neutrales videntur habere ſufficientem Recurſum ad Ordinarios , apud quos ſecundum eorum opinionem communiter loquendo eſt poteſtas devoluta .*

DOCUMENTUM III.

ILluſtriſſimus Boſſuetus Epiſcopus Meldenſis in Defenſione Declarationis Cleri Gallicani, Libro V. Capite VIII. *Subtracta ſemel obedientia , quid aliud fieret , quam ut Epiſcopali regimine tantiſper componeretur Eccleſia , donec Summus Pontifex crearetur ?* *Boſſuetus Tomo I. p. 399. Amſtelod. 174.*

DOCUMENTUM IV.

LUdovicus Thomaſſinus Congregationis Oratorii Gallicani Presbyter , Secunda Parte Operis *de Diſciplina circa Beneficia* , Libro III. Capite XXVIII. numero X. *Avenionenſi ſchiſmate conflagrante , cum ſe regna quædam tamquam in interregno ſacro ab omni ſubtraxerint Summorum Pontificum obedientia , eam ſibi viſi ſunt recuperaſſe Epiſcopi poteſtatem diſpenſandi ampliſſimam , qua quondam potiebantur : atque in Piſano Concilio anno* 1409. *ratum habuit Alexander V. Papa , quidquid ab illis interim fuiſſet diſpenſatum .* *Thomaſſ. Tom. II. P. II. p. 334. Pariſ. 1691.*

DOCUMENTUM V.

PEtrus de Marca Archiepiſcopus Pariſienſis Libro III. *de Concordia Sacerdotii & Imperii* , Capite VI. numero VI. *Sane diſſimulandum non eſt , eam quæ Jure divino Epiſcopis quæſita eſt Eccleſiæ adminiſtrationem , nullis Decretalibus ablatam fuiſſe , quamvis poteſtatis illius exercendæ* *Marca P. I. pag. 147. Pariſ. 1669.*

modus variis Conſtitutionibus varie pro temporum ratione præſcriptus fuerit. Itaque ſi ea tempora incidant, ut regendæ Eccleſiæ neceſſitas Epiſcopos a regulis recentioribus diſcedere cogat; nihil vetat, quominus jus naturale & divinum, omiſſis formulis quæ jure novo præſcriptæ ſunt, locum habeat. Exempli cauſa: ſi Sedis Romanæ vacatio per multos annos protraheretur, ſi hoſtium armis obſeſſa tenerentur itinera, ita ut ſecure Romanus Pontifex adiri non poſſet: aut ſi qui alii ſimiles aut graviores caſus inciderent: Jure divino aut antiquo illo Jure Eccleſiaſtico adminiſtranda eſſet Eccleſia.

DOCUMENTUM VI.

BArthelius nuperrimus e Germania Pontificii Juris Interpres, idemque Wiceburgenſis Academiæ Cancellarius, additione ad Jus Canonicum Libro I. Titulo XXXIII. *Impedimenta matrimonii ex mera conſuetudine ſunt reſervata. Quia tamen in remotis partibus nimis dein ſumptuoſum & difficile erat recurrere Romam, cœperunt Epiſcopi iterum uti ſua poteſtate, ſi nempe Recurſus vel nimis difficilis, vel nimis ſumptuoſus fieret, vel eſſet periculum in mora. Et hoc caſu Doctores dicunt, ex caſu Papali fieri Epiſcopalem. De quo obſervandum, in praxi non oportere quemquam eſſe ſcrupuloſum ex Papali facere caſum Epiſcopalem, ſi cauſa Canonica ſubſit, cum redeat primigenia facultas Epiſcoporum, quam conſuetudine tantum ſibi Pontifex reſervavit.*

Apud Febronium de Statu Eccleſiæ *Cap. VI. §. 6. pag.* 430. *Bullionii* 1763.

DOCUMENTUM VII.

JOannes Gerbaſius inſignis ex Academia Pariſienſi Doctor, qui ſub finem ſuperioris ſæculi clarebat, in Praxi Impedimentorum Matrimonii quæ Gallico ejus Tractatui *de Auctoritate Eccleſiæ & Principum circa Matrimonii impe-*

pe-

pedimenta ſubjuncta extat: de publicis impedimentis diſpenſationibuſque ad contrahendum cum propinquis verba faciens, in hunc modum ratiocinatur: *Nullus locus eſt in Jure Canonico, qui facultatem diſpenſandi circa gradus vetitos Pontifici ita reſervet, ut excludantur Epiſcopi. Et certe quæ poteſt eſſe ratio, cur Epiſcopis non liceat in his caſibus diſpenſare? imo cur ipſis movenda lis eſt ea de re, maxime ubi partes inopia laborent, vel nimia ſit locorum diſtantia, vel graves cauſæ urgeant?* Addit, conſultam de eo Sacram Congregationem Concilii, anno MDCLXXIII. reſpondiſſe, *valere in propoſitis caſibus diſpenſationes ab Epiſcopis datas*. Mox ſibi illud opponit: cum Epiſcopi in poſſeſſione non ſint diſpenſandi circa publica impedimenta pro contrahendo, uſurpationem videri, quod aliquis hujuſmodi diſpenſationes elargiri tentet. Illud autem preſſe diſſolvit Gerbaſius dicens, *adverſus juriſdictionem, quæ ordinaria eſt, præſcribi non poſſe per non uſum*. Ad extremum concludit, quamvis generalis conſuetudo Eccleſiæ has diſpenſationes Summo Pontifici reſervarit, ſitque proinde melius pro impetrandis illis Apoſtolicam Sedem adiri: ſe tamen adfirmare non audere, *diſpenſationes ab Epiſcopis conceſſas in caſibus ſupra commemoratis eſſe abſolute nullas*. Qui ita ratiocinatur pro tempore, quo Romanus aditus patet; nullus profecto dubitaret, quin pro validis habendæ forent diſpenſationes ab Epiſcopis datæ tum, cum aditus ad Romanam Curiam omnino clauſus eſt, ut nunc revera eſt.

Gerbaſius pag. 412. Pariſ. 1679.

DOCUMENTUM VIII.

EDmundus Richerius Syndicus & Doctor Academiæ Pariſienſis in Hiſtoria Conciliorum Libro IV. Parte II. Capite V. num. VII. *Quando igitur Epiſcopi ſuam immediate derivant*

Richerius ad calcem To. II. p. 94. Colon. 1681.

auctoritatem a Deo, ſicut ipſe Papa: iſque ſupra illos nihil divinitus præter primum gradum Sacerdotii & poteſtatis miniſterialis obtinet: certe Epiſcopi jure humano ea poteſtate quam divinitus habent a Deo, privari nequeunt. Et ſi quando huic privationi per vim & errorem, aſſenſum præbuerunt, hoc non valet, juxta Regulam: Qui errat, non conſentit. *Adde res ſacras & cælitus conſtitutas diuturnitate temporis non præſcribi ab uſurpatoribus, ſicut temporalia.* ITAQUE EPISCOPI QUOTIESCUMQUE VOLUERINT, POSSUNT IN INTEGRUM RESTITUI, SI AD JURIS QUÆSTIONEM ATTENDAMUS: *de vi autem & facto non diſputamus.*

DOCUMENTUM IX.

Praxis Eccleſiæ Gallicanæ Avenionenſi immani ſchiſmate durante, anno Chriſti MCCCXCVIII.

Martenius in Præfatione To. VII. Collectionis Veterum Monumentorũ pag. LIV. Pariſ. 1733.

ANno MCCCXCVIII. regnante in Gallia Carolo VI. ejuſdem Regis juſſu Pariſios convenere Antiſtites Doctoreſque Eccleſiæ Gallicanæ, deliberaturi in commune, qua ratione decenter efficaciterque extingui poſſet ſchiſma, quo per annos jam viginti oppreſſus tenebatur Chriſtianus Orbis. Adfuere Archiepiſcopi XII. Epiſcopi LX. Abbates LXX. cum Rectoribus, Theologis, & Canoniſtis Academiarum Pariſienſis, Toloſanæ, Aurelianenſis, Andegavenſis, & Magalonenſis. Tercenti numero omnes: ex quibus ducenti quadraginta ſeptem in eam ſententiam pedibus iere, nulla ratione melius extingui poſſe ferale ſchiſma, quam ſi obedientia utriuſque de Pontificatu contendentis, Benedicti nimirum & Bonifacii, ſeſe Galli ſubtraherent. Interea vero dum certus Pontifex crearetur, curanda ab Epiſcopis adminiſtrandaque eſſe, quæcumque ſpirituali ſubditorum ſaluti

luti neceſſaria viderentur : collationes Beneficiorum, electiones, abſolutiones, diſpenſationes, ceteraque omnia Apoſtolicæ Sedi antehac reſervata. *In his caſibus qui Domino Pontifici reſervati ſunt, Abſolutionem peti poſſe ab Epiſcopo Diœceſeos. Circa diſpenſationes ad Matrimonia in gradibus prohibitis contrahenda, ſi gravis neceſſitas urgeat, has ab Ordinario concedi poſſe*. Id ipſum Gallorum exemplo decrevere Regna Hungariæ, Bohemiæ, Angliæ, Siciliæ, Jeroſolymæ, Caſtellæ, Navarræ : Dux item Bavariæ, Reſpublica Genuenſis, Provinciæ Belgicæ, Sacrumque Collegium Cardinalium, qui octodecim numero erant. *Dupinus in Gerſonianis p. XIV. Antuerp. 1702.*

Poſtquàm hæc in publico conventu conſtituta ſunt, Gallis Antiſtitibus rurſus in Regium Palatium collectis, per Maximum Cancellarium ſignificari Rex juſſit; *intentionem ſuam eſſe, ut interim Eccleſia Gallicana omnibus antiquis ſuis libertatibus gauderet*, Epiſcopis vices Papæ agentibus. Probat. Libert. Eccleſ. Gall. *p.* 705.

Acta hujus Concilii ſeu Conventus Pariſienſis extant Tomo XV. Venetæ editionis Conciliorum a Coleto procuratæ, pag. 1003., eaque etiam deſcribit Jacobus Lenfantus in Hiſtoria Concilii Piſani Tomo I. pag. III. Regium vero Decretum de ſubtrahenda obedientia Pithœus exhibet in *Probationibus Libertatum Eccleſiæ Gallicanæ*, Capite XX. pag. 691. editionis Pariſienſis MDCLI., nec non Bulæus in Hiſtoria hujus Academiæ Tomo IV. pag. 853. Pariſienſis editionis MDCLXVIII.

Revera ipſo die VIII. Auguſti ejuſdem anni MCCCXCVIII. quo Antiſtites coiere, Inſtrumentum actorum omnium juridice eſt confectum, quod Pithœus ipſe deſcribit pag. 707. In eo autem ſequentia legimus : *Attenta denegatione totius obedientiæ nuper facta per prædictum Domi-*

minum noſtrum Regem Dominoſque Prælatos & alios ſupradictos, & ut Eccleſiæ ſeu Monaſteria dicti Regni Paſtoribus ſuis deſtituta, propter diuturnam vacationem non patiantur diſpendia ſeu jacturas: declaratum fuit ac etiam ordinatum, ut ſequitur: videlicet quod auctoritate præſentis Concilii univerſalem Eccleſiam dicti Regni repræſentantis, electiones quorumcumque Monaſteriorum tam exemptorum quam non exemptorum, dum vacationes eorundem evenerint, per Dominos Epiſcopos locorum Diœceſanos confirmabuntur, &c. Die vero XII. ejuſdem menſis, vacante Abbatia S. Dionyſii, novum Abbatem Philippum de Villeta confirmavit Pariſienſis Epiſcopus: atque in Inſtrumento confirmationis hujus a Pithœo itidem deſcripto pag. 706. hæc legimus: *Quia rite peracta Summus Pontifex propter ſubtractionem obedientiæ non poterat confirmare: de peritorum in jure divino & canonico conſilio decretum eſt, ut hoc Diœceſani auctoritate fieret, ſicut & per Prælatos Eccleſiæ Gallicanæ proviſum fuerat, &c.*

DOCUMENTUM X.

Continuatio ejuſdem Praxis in Regno Galliæ anno Chriſti MCCCCVIII. *una cum Capitibus deliberatis & concluſis in Nationali Concilio juſſu ejuſdem Regis Caroli VI. Pariſiis celebrato XX. Octobris.*

DEſcribuntur a Martenio To. II. *Anecdotorum* pag. 1398. Pariſienſ. editionis MDCCXVII. eorumdemque partem aliquam etiam exhibet Dacherius Tomo I. *Spicilegii* pag. 800. editionis Pariſienſis in folio MDCCXXIII., item Coletus Tomo XV. memoratæ editionis Venetæ noviſſimæ, MDCCXXXI. pag. 1079. Integra autem multo prior ediderat Pithœus in

Pro-

Probationibus Libertatum Gallicanarum, pag. 743. (a).

Aviſamenta ſuper modo regiminis Eccleſiæ Gallicanæ durante neutralitate deliberata & concluſa per Concilium dictæ Eccleſiæ, XXII. Octobris, anno 1408.

De ſententiis a Jure latis.

ET primo quantum ad peccata, & ſententias a jure latas, quorum, aut quarum abſolutio eſt Sedi Apoſtolicæ reſervata, abſolvere poteſt Pœnitentiarius Sedis Apoſtolicæ in foro conſcientiæ, tam exemptos, quam non exemptos.

Item ſi abſolvendus nunc, vel in poſterum habet impedimentum perpetuum, aut temporale, vel foræ ſuperveniret cauſa, propter quam non deberet addictum Pœnitentiarium haberi recurſus: talis ſi fuerit non exemptus, per proprium Epiſcopum poterit abſolvi, &c. Si autem fuerit exemptus, qui habeat ſuperiorem in eum poteſtatem Epiſcopalem exercentem, per illum: ſi autem non habuerit, per Epiſcopum ordinarium abſolvi poterit.

Item ſi fuerit ſententia excommunicationis a Papa lata, ſive exemptus, ſive non exemptus, hoc tempore durante, per loci Ordinarium abſolvi poterit in foro conſcientiæ, &c. In foro vero contentioſo fiet abſolutio per Ordinarium quoad non exemptos, &c.

(a) Ante ipſum vero Pithœum Acta eadem totius publici juris fecerat Bochellus Libro IV. *Decretorum Eccleſiæ Gallicanæ* Tit. XXII. pag. 677. Pariſ. MDCIX. Eorundem meminit & Thuanus Libro CVI. Cap. 18. Tomo V. pag. 623.

De diſpenſationibus fiendis.

ITem ſuper defectu ætatis quoad ordines ſacros citra Epiſcopatum, & quoad dignitates, & beneficia curata, citra tamen majores dignitates in Cathedralibus: diſpenſent Epiſcopi cum graduatis & nobilibus de duobus annis tantummodo, &c.

Item ſuper defectu natalium quoad ordines ſacros, dignitates, & beneficia curata, &c. ſatis tolerandum videtur, quod Epiſcopi pro utilitate Eccleſiæ cum nobilibus, & graduatis diſpenſare valeant, &c.

Item ſuper irregularitate propter violationem cenſuræ Eccleſiaſticæ, dum tamen non fuerit ex contemptu, diſpenſent Epiſcopi, &c.

Item quoad impedimenta matrimonii uſque ad quartum gradum conſanguinitatis, vel affinitatis; ſi magna Reipublicæ utilitas exegerit forte cum aliquo Rege, vel Principe diſpenſandum ſuper hoc tunc cauſæ cognitione præmiſſa, Concilium Provinciale citra tamen caſus divina lege prohibitos, valeat diſpenſare, & etiam de quarto gradu cum illis, quibus viderit diſpenſandum, &c.

Item circa impedimenta matrimonii provenientia propter cognationem ſpiritualem, videtur ſatis tolerabile hoc tempore durante, quod Concilium Provinciale cum magnis nobilibus inter ſuſceptum & filium ſuſcipientis valeat diſpenſare, &c.

Item de impedimento proveniente propter publicæ honeſtatis juſtitiam, ſatis tolerandum videtur, quod Concilium Provinciale valeat diſpenſare in tertio & quarto gradu.

Item electiones Epiſcoporum per ſuos Archiepiſcopos poſſunt de jure confirmari: ſic electiones Archiepiſcoporum per ſuum Primatem, ſi habeant, alias ſi non habeant, per ſuffraganeos Provinciæ congregatos poterunt confirmari, &c.

Cetera Capita a Pithœo vel Martenio pu-

poſſunt. Ego illud unum hic moneo, auctoritate hujus Conventus cœpiſſe a Metropolitanis Galliæ confirmari electiones Epiſcoporum Provincialium: ut a Philippo Turejo factum eſt, qui tamquam Galliæ Primas Ludovicum de Harcuria Archiepiſcopum Rothomagenſem confirmaſſe legitur Tomo IV. *Galliæ Chriſtianæ*, pag. 174. (*a*). Teſtaturque Dominus Thuanus, praxim hanc ordinariam eſſe apud Gallos tempore ſciſſuræ: *Legitimum remedium in ſciſſura a majoribus noſtris uſurpari ſolitum* (*b*).

DOCUMENTUM XI.

Praxis Eccleſiæ Hiſpanicæ eodem ſchiſmate eademque neutralitate durante, *anno Chriſti* MCCCXCVIII.

Extracta ex *Hiſtoria Urbium & Eccleſiarum Cathedralium Hiſpaniæ*, Auctore Ægidio Gunſalvio Davila, ubi Domini Didaci de Anaja Epiſcopi Salmanticenſis mentionem facit, Libro III. Capite XIV. pag. 105. editionis Salmanticenſis MDCXVIII.

POr los años 1398. ſe celebrò en Alcalà de Henares una ſeñalada Junta, donde ſe hallaron todos los Prelados de los Reynos ſugedos al Rey Henrique III. y el miſmo Henrique con ellos. Y en eſta Junta quitaron la obediencia al Papa Benedicto XIII. acordando de camino lo que ſe havia de guardar en eſtos Reynos, mientras no huvieſſe

(*a*) Permutationem etiam Parœciarum, quam inter ſe facere volebant Epiſcopus Tarbenſis & Epiſcopus Tricorienſis, iidem Gallicani Patres in eodemmet Pariſienſi conventu confirmaſſe leguntur apud Pithœum pag. 756. apud Bocchellum pag. 683.

(*b*) Thuanus Libro CXVI. Capite 18. Tomo V. pag. 623.

vieſſe verdadero Pontifice en la Igleſia.

Primeramente fue ordenado, que todos los beneficios que vacan ò vacaren de aqui adelánte, reſervados ò devolutos, ò en qualquiera manera que vaguen, que proveyan dellos los Arçobiſpos e Obiſpos, ſegun que Dios les diere mejor a entender.

Otroſi que qualeſquier deſcomulgados por derecho, ò por qualeſquier juezes, la abſolucion de los quales pertenence à la Sede Apoſtolica, que los abſuelvan ſus Dioceſanos, &c.

Otroſi que los pleytos pendientes por appellacion, ò en otra manera, que toque à los Dioceſanos; e ſi el pleyto fuere contra los Obiſpos, ò contra coſas ſuyas, que vayan à los Arçobiſpos: e ſi atannere à los Arçobiſpos, que ſean ſechas delegaciones a perſonas no ſoſpechoſas, haſta que ſean dadas tres ſentencias uniformes: entonces no aya mas querella ni queſtion.

Archiepiſcopus Toletanus.

Doctor Joannes Alſonſus.

Cetera Capita apud memoratum Hiſtoricum leguntur.

DOCUMENTUM XII.

Decretum Henrici III. Caſtellanorum & Legionenſium Regis, factum XII. Decemb. MCCCXCVIII. *præſentibus Infante Domino Ferdinando, & Cardinale de Hiſpania dicto, & Archiepiſcopo Toletano, & Ordinis S. Jacobi Maximo Magiſtro, præſentibuſque quamplurimis aliis Regni Proceribus.*

PArtem ejus deſcribit Odoricus Raynaldus in continuatione Annalium Baronianorum ad annum ſupra memoratum: integrum vero exhi-

exhibet illuſtris Benedictinus Edmundus Martenius Tomo VII. *Collectionis Veterum Monumentorum* pag. 613. Pariſienſis edit. MDCCXXXIII.

In hoc Decreto, poſtquam expoſuiſſet Rex cauſas, quibus ad denegandam Benedicto XIII. obedientiam movebatur; poſtquam item præcepiſſet, (idque ſuaſoribus Antiſtitibus & Doctoribus Regni) ne quis ſubditorum ſuorum pro quocumque negotio, ſive ſpirituali ſive temporali Pontificem adiret: tandem orationem his verbis concludit, quibus ſignificat, interea temporis loco Summorum Pontificum Supremorumque Paſtorum a ſuis ſubditis agnoſcendos eſſe Epiſcopos & Archiepiſcopos. *Jubemus inſuper, quod omnes & ſinguli noſtri Regnicolæ plenarie pareant ſuis Archiepiſcopis, Epiſcopis, ceteriſque Prælatis*, HABENTES EOS IN SUOS VEROS PONTIFICES ET PASTORES.

DOCUMENTUM XIII.

In Generali Synodo Piſana anno MCCCCIX. celebrata, ratas habuit legitimaſque declaravit verus Summus Pontifex Alexander V. quaſcumque diſpenſationes, abſolutiones, & proviſiones Epiſcopi dediſſent tempore neutralitatis: declaravit etiam, ſuæ intentionis non eſſe, aliquid derogare de capitibus in Pariſienſi Conventu Cleri Gallicani concluſis anno ſuperiori MCCCCVIII. *Concil. T. XV. edit. Colet. p. 1146. Martenius To. VII. p. 1110.*

OMnia conſtant ex Actis Concilii Seſſione XII. quæ legi poſſunt in quacumque Collectione, vel Binii, vel Labbæi, vel Harduini, vel Coleti. Ea etiam publicavit Martenius Tomo VII. ſuæ *Collectionis Veterum Monumentorum*, pag. 1110. quamvis ille Seſſione XXI. adſcribat, quod ceteri Seſſione XXII. Hæc autem ſunt ipſiſſima verba Papæ: *Per præmiſſa ſeu aliquot præmiſſorum non intendimus derogare ordi-*

ordinationibus circa præmiſſos articulos factis in ultima Congregatione Prælatorum, & aliorum virorum Eccleſiaſticorum, facta Pariſiis, &c. (a).

DO-

(a) Quam agendi rationem Avenionenſi ſchiſmate durante adhibuerunt Galli & Hiſpani, eandem durante Baſileenſi ſchiſmate adhibuere Germani. Sic enim de illis ſcribit Auguſtinus Patritius in *Hiſtoria Concilii Baſileenſis & Florentini*, Capite LXXIII. (Conciliorum Tomo XVIII. pag. 1336.) *Convenerunt Francfordiæ Electores imperii poſt mortem Sigiſmundi Cæſaris ad novum Cæſarem ſubrogandum: qui cum varia in dies edicta Romani Pontificis & Baſileenſium cernerent, communi conſenſu XV. Kalendas Aprilis ejuſdem anni MCCCCXXXVIII. ſtatuunt, ſe provincialeſque omnia decreta alterius partis contra alteram partem non ſuſcipere, venerarique & Eugenium Pontificem & Concilium Baſileenſe, velleque uſque ad ſextum menſem deliberare, cujus parti ſit adhærendum. Interea tamen proteſtari ſe non diſcedere ab obedientia & reverentia Apoſtolicæ Sedis.* PRÆLATOS AUTEM ECCLESIARUM POPULOS SIBI COMMISSOS JURE ORDINARIO GUBERNATUROS. *Hoc principium fuit neutralitatis Germanicæ, quæ ſupra ſex annos perduravit.* Quemadmodum vero Alexander Papa V. anno MCCCCIX. rata habuit, quæcumque Epiſcopi Gallicani neutralitatis tempore egerant: ita Eugenius Papa IV. anno MCCCCXLVI. comprobavit, quæcumque egerant Germani: id quod ex ipſius Diplomate, *Inter cetera*, quod publici juris fecit Hardtius in Hiſtoria Concilii Conſtantienſis Tom. I. P. IV. pag. 174. plane conſtat.

DOCUMENTUM XIV.

Pactum ſeu Fœdus (a) Franciſci I. Gallorum Regis cum Henrico VIII. Anglorum, (cum is adhuc Religionem Catholico-Romanam profiteretur) percuſſum anno MDXXVII. ubi conſtitutum eſt, ut quamdiu in Italia exardeſceret bellum a Carolo Quinto Imperatore, captuſque detineretur Clemens Papa VII. ab utriuſque Regni Antiſtitibus plene adminiſtrarentur Eccleſiaſtica omnia.

DEſcribitur a Pithœo in Probationibus, Capite XX. pag. 778. (*b*).

DOCUMENTUM XV.

Italicis bellis Romanum iter claudentibus, defectum Apoſtolicarum Litterarum pro confirmando Abbate Septem Fontium Ordinis Præmonſtratenſis, auctoritate ordinaria ſupplet Cardinalis de Givry *Epiſcopus Lingonenſis, Septembris die XXII. anno MDLI.*

VErba Inſtrumenti a Pithœo allati pag. 788. hæc ſunt: *Sed quia nec commode, nec ita mature, ſicut rei neceſſitas poſtulabat, tuarum Bullarum expeditionem curare, ab ipſaque Romana Curia arceſſere, propter temporum difficultatem, viarumque impedimenta, tibi non liceret: Nos tibi quantum nobis per jus licet, & noſtra Epiſcopalis auctoritatis intereſt, curam & adminiſtrationem præfati Monaſterii præſentium tenore committimus, &c.*

DO-

(*a*) In editione Luſitana loco Franciſci I. miranda ſane oſcitatione poſitus fuit Ludovicus XII.

(*b*) Item a Dumontio in *Corpore Diplomatico Juris Gentium*, Tomo IV. pagina 494. Amſtelodami MDCCXXVI.

DOCUMENTUM XVI.

Pithœus p. 789.

DIe XXVII. Julii, anno MDXC. Decreto Pariſienſis Curiæ conſtitutum eſt, ut quando Roma facile adiri non poterat, Pictavienſiſque Epiſcopus Ordinarius loci abnuebat; ejus vices ſuppleret Archiepiſcopus Turonenſis, Petroque Jordino Litteras Proviſionis (quam *Viſam* adpellant Galli) pro collatione cujuſdam Beneficii antea a Romana Curia obtenti *In forma dignum*, de more expediret.

DOCUMENTUM XVII.

Ibid. p. 792.

DEcretum Curiæ Provincialis, Octobris die XXX. anno MDXCI. ut Capitulum Cathedralis Eccleſiæ Siſtaricenſis Vicarium quendam Generalem de more eligat & conſtituat, qui ſpiritualia & temporalia omnia illius Parœciæ adminiſtret, quamdiu ab illius adminiſtratione prohibitus fuerit Antonius Copeſius Epiſcopus, perduellionis reus antea declaratus.

DOCUMENTUM XVIII.

Ibid. p. 794.

DIe V. Decembris, anno MDXCII. quo diſſidium Gallorum cum Romanis adhuc vigebat, ſub Rege Henrico IV. & Clemente Papa VI I. decrevit Pariſienſis Curia; ut loco trium Epiſcoporum Senonenſis, Meldenſis, & Sueſſionenſis, qui Regi perduelles erant; collationes Beneficiorum omnium illarum Parœciarum adminiſtraret Guillelmus Tajus, Decanus Eccleſiæ Trecenſis.

DOCUMENTUM XIX.

ARnoldus Lubecenſis Libro III. Hiſtoriæ Slavorum Capite XVII. *Fridericus I.* (anno Chriſti MCLXXXVI. vel circiter) *videns Urbani III. obſtinatum erga ſe animum, clauſit omnes*

omnes vias Alpium, & omnium circumquaque regionum, ut nemo pro quolibet negotio adire poſſet Sedem Apoſtolicam. Deinde convocavit Philippum Colonienſem, cui Papa Legationem Romanæ Eccleſiæ dederat, & Primatum, ut ipſe vice Apoſtolici ſingulorum cauſas diſcuteret, nec propterea magis ab Eccleſia Dei juſtitia deficeret.

DOCUMENTUM XX.

In Generali totius Galliæ Concilio Turonenſi, anno MDX. celebrato, juſſu Ludovici XII. Capita octo ab Epiſcopis & Theologis deciſa ſunt, quorum ſumma hæc erat: quando Julius Papa II. ſe Regis hoſtem declararat, licere Regi Regnoque ad tempus ſe ſubtrahere obedientiæ communionique Romanorum: atque interea ab Epiſcopis adminiſtranda ſpiritualia quæque, SECUNDUM JUS COMMUNE ET PRAGMATICAM SANCTIONEM REGNI.

EXtant in univerſis Collectionibus Conciliorum: atque etiam deſcribuntur a Goldaſto Tomo II. Parte II. pag. 1651. Meminere & hujus Concilii Petrus de Marca Libro VI. *de Concordia*, Capite XXXV., & Montfauconius Tomo IV. Monumentorum Galliæ, pag. 117. Nullus vero Pontifex ad hæc uſque tempora fuit, qui hujuſmodi Conventum Conciliabulum declararet, quamvis id ſumma contentione efflagitarit in Lateranenſi Concilio V. Maximilianus Cæſar æmulus Ludovici XII. (*a*). Acta

(*a*) Richerius Hiſtoriæ Conciliorum Libro IV. Parte I. Cap. II. pag. 83. *Qui hæc acta Turonenſis Synodi ad normam Legis divinæ & naturalis expenderit: non dubium eſt quin Severinum Binium novum Collectorem Conciliorum demiretur, quod hanc Synodum Turonen-*

Concil. To. XIX. edit. Colet. pag. 557. Acta ergo illuſtris hujus Conventus ſic ſe habent: *Concilium hoc habitum eſt juſſu Regis Ludovici XII. dicti Patris patriæ, occaſione bellorum Italicorum inter Julium & Alphonſum Ferrariæ Ducem, a quo Ducatum amovere volebat, licet protegeretur a Rege Ludovico ejuſque exercitu propter affinitatem. Cum enim Julius diris devoviſſet prædictum Ducem, omneſque ei adhærentes & faventes, & ſpecialiter omnes militantes in exercitu Gallico; ut ſuis Rex proſpiceret contra Pontificem male erga ſe affectum, tum ut ſuos milites confirmaret, tum etiam ne e Gallia Romam pecuniæ tranſportarentur, quibus ipſa Gallia impugnaretur, hunc conventum Eccleſiæ Gallicanæ & doctiſſimorum quorumcumque virorum fieri mandavit, in quo propoſuit Patribus octo quæſtiones magni momenti per eos diſcutiendas & diſſolvendas. Sunt autem hæ ſequentes, quæ ad temporis negotia difficilima ſpectabant.*

An liceat Papæ bellum inferre Principibus temporalibus, in terris quæ non ſunt de patrimonio Eccleſiæ, &c. Concluſum fuit unanimiter per Concilium, Papam nec poſſe, nec debere. *Quod forſan intelligendum de Papa in propria perſona, ut faciebat Julius, dicens ſe uti gladio Divi Pauli, cum prædeceſſores ſatis uſi fuiſſent clavibus Divi Petri.*

An liceat Principi defendenti ſe, ſuaque, non ſolum propulſare armis ejuſmodi injuriam, ſed etiam invadere terras Eccleſiæ poſſeſſas a Papa notorio hoſte ſuo: non tamen ea intentione ut illas re-

ronenſem nomine Conciliabuli contaminare audeat. An quiſquam eſt qui probare poſſit, juſtam ſui defenſionem non eſſe juris divini & naturalis! Atque Papam deſpoticum habere imperium in Chriſtianos! Et Dominum voluiſſe Eccleſiam ſuam eſſe Rempublicam ſervorum, ita ut Pontifici quempiam & maxime Regem opprimenti minime liceat reſiſtere.

retineat, ſed tantum ut impediat, ne per eas Papa ille fortior & potentior ſit ad offendendum dictum Principem & ſuos. Concluſum eſt per Concilium, Principem hoc poſſe ſub conditionibus & qualitatibus in articulo propoſitis.

An ob tale odium notorium & aggreſſionem injuſtam, liceat tali Principi ſe ſubtrahere ab obedientia hujuſmodi Pontificis, attento etiam quod Pontifex concitavit alios quoſdam Principes & Communitates, imo & tentavit cogere ad invadendas terras & dominia ejuſdem Principis, qui potius benevolentia Sedis Apoſtolicæ dignus fuit. Concluſum per Concilium, Principem ab obedientia Papæ ſe ſubducere ac ſubtrahere: non tamen in totum & indiſtinctè, ſed pro tuitione tantum ac defenſione jurium ſuorum temporalium.

Tali ſubtractione licite facta, quid agendum ſit tum Principi ipſi ac ſubditis ejus, tum etiam Prælatis & Eccleſiaſticis perſonis Regni ſui in rebus, de quibus ad Sedem Apoſtolicam antea requiri ſolebat. Concluſum eſt per Concilium, SERVANDUM ESSE JUS COMMUNE ANTIQUUM ET PRAGMATICAM SANCTIONEM REGNI, EX DECRETIS SACROSANCTI CONCILII BASILEENSIS DESUMPTAM.

An liceat hujuſmodi Principi Chriſtiano armis tueri ac defendere alium Principem ſibi confœderatum, & cujus protectionem legitime ſuſcepit, &c. Concluſum fuit per Concilium, licere.

Si quod jus Pontifex ad ſe pertinere contendat, ut patrimonii Sanctæ Eccleſiæ Romanæ partem; contra Princeps Imperii juris ſui eſſe dicat, & de ea controverſia paratus ſit & offerat ſtare arbitrio, vel judicio bonorum virorum per compromiſſum prout de jure: an eo caſu liceat Pontifici abſque alia cauſæ cognitione bellum inferre dicto Principi: & ſi fecerit, an liceat Principi armis reſiſtere, & aliis etiam Principibus in hujuſmodi

R diſſi-

diſſidio ei adeſſe, eumque defendere: maxime illis qui ei cognatione vel affinitate conjuncti ſunt, cum etiam per centum annos proximos Eccleſia Romana in ejus juris controverſi poſſeſſione non fuerit. Concluſum eſt per Concilium, licere Principi hoc caſu reſiſtere de facto, & aliis ei adeſſe in jure ſuo tuendo.

Quid ſi Papa nolit acceptare quod Princeps juridice & honeſte offert, ſed contra non obſervato juris ordine, contra talem Principem pronuntiat ſententiam aliquam, an ei obtemperandum ſit, maxime cum non eſt integrum ac tutum tali Principi ad Sedem Romanam ire, vel mittere, & jus ſuum via juris civilis, & rationibus defendere. Concluſum per Concilium, non teneri talem Principem parere tali ſententiæ.

Si Pontifex injuſte, ordine juris non ſervato, procedens de facto, & manu armata, pronunciet ac publicet aliquas cenſuras contra Principes ſibi reſiſtentes eorumque ſubditos & confœderatos, an ei parendum ſit, & quod remedium adhibendum. Concluſum eſt unanimiter per Concilium, talem ſententiam nullam eſſe, nec de jure vel alio quocumque modo ligare.

DOCUMENTUM XXI.

EDidit illud Imperator Carolus V. a Theologis ſuis proculdubio edoctus, cum anno Chriſti MDXXVI. bellum induxit Clementi Papæ VII. quemadmodum a Domino Thuano deſcribitur Libro I. Hiſtoriæ ſui temporis, Capite VI. pag. 33. noviſſimæ editionis: *Cæſar Carolus, ut injuriam ſibi a Clemente VII. illatam ulciſceretur, nominis Pontificii auctoritatem per omnem Hiſpaniam abolet: exemplo ab Hiſpanis poſteritati relicto, poſſe Eccleſiaſticam Diſciplinam citra nominis Pontificii auctoritatem ad tempus conſervari.*

DO-

DOCUMENTUM XXII.

SUffragia ſunt Academiarum Hiſpanicarum & Belgicarum, a quibus cum Philippus Secundus quæſiſſet, qua ratione licite propulſari poſſet furioſa audaxque Politica Pauli Papæ IV. adverſus Hiſpanicum Regnum: Regi illi auctores fuere, ut cum Papa pacem abrumperet, Hiſpanos omnes Romam excedere jubens: interim vero Eccleſiaſtica omnia adminiſtrarent Epiſcopi, EA ETIAM, QUÆ JURE PONTIFICI RESERVATA ESSENT. Commemorantur a Domino Ludovico Cabrera in vita ejuſdem Regis Libro II. Capite VI. atque ex Cabrera illorum etiam meminit, nec tamen improbat Leitonius noſter in *Tractatu Analytico*, Propoſitione V. Demonſtratione IV. pag. 953. Sic autem ſe habet Cabreræ narratio.

Moſtrabaſe quanto mas podia enemigo el Pontifice del Rey Catolico, ſegundo ſignificò a la Princeſa doña Juana Gobernadora de los Reynos de Eſpaña por carta fecha en Bruſeles a diez de Julio aſſi: Deſpues de lo que eſcrivi del proceder del Pontefice i del aviſo que ſe tenia de Roma, ſe à entendido de nuevo, quiere excomulgar al Enperador mi Señor i a mi, i poner entredicho i ceſſacion *a divinis* en nueſtros Reynos i Eſtados. Aviendo comunicado el caſo con hombres doctos i graves, pareciò ſeria no ſolo fuerça, i no tener fundamento, i eſtar tan juſtificado por nueſtra parte, i proceder ſu Santidad en nueſtras coſas con notoria paſſion i rancor; pero que no ſeriamos obligados a guardar lo que cerca deſto proveyeſe, por el gran eſcandalo que ſeria hazernos culpados no lo ſiendo, i pecariamos gravemente. Por eſto queda determinado, que no me devo abſtener de lo que los excomulgados ſuelen, aunque ven-

Cabrera Tom. I. p. 68. & ſeqq.

vengan las cenſuras o alguna dellas, como no dudo vendran ſegun la intencion de ſu Santidad. Pues aviendo apartado de'te Reyno las ſectas, i reduzidole a la obediencia de la Igleſia, i aviendo ido ſienpre en acrecentamiento con el caſtigo de los Ereges tan ſin contradiciones como ſe haze en Inglaterra: lo a querido i quiere notoriamente deſtruir i alterar, ſin tener ningun reſpeto de lo que deve a ſu dignidad. I ſoi cierto ſaldrà con ſu pertenſion, ſi ſe lo conſentieſemos, porque revocò ya todas las legacias que el Cardenal Polo tenia en eſte Reyno, de que ſe a ſeguido tanto fruto. I por todas eſtas cauſas i otras mui ſuficientes que ai, i por prevenir con tienpo, i para major cautela i ſatisfacion de las gentes, ſe a hecho en nombre de ſu Mageſtad i mia una recuſacion, proteſtacion i ſuplicacion mui en forma, cuya copia quiſiera enbiar con eſte correo; i por ſer en la eſcritura larga, i partir por Francia, no ſe a podido hazer: mas el correo que ira brevemente por el mar la llevarà. Entonces eſcrivire a los Prelados, Grandes, Ciudades, Univerſidades i Cabeças de las Ordenes de eſos Reynos, para que eſten informados de lo que paſa: i les mandareis que no guarden entredicho, ni ceſacion, ni otras cenſuras, porque todas ſon i ſeran di ningun valor, nulas, injuſtas, ſin fundamento, pues tengo tomados pareceres de lo que puedo i devo hazer. Si por ventura entretanto vinieſe de Roma algo que tocaſe a eſto, conviene proveer que no ſe guarde ni cumpla, ni ſe de lugar a ello. I para no venir a eſto, mandar conforme a lo que tenemos eſcrito, aya gran cuenta i recato en los puertos de mar i tierra, para que no ſe pueda intimar, que para en lo de aqui ſe haze la miſma diligencia: i que ſe haga grande i exemplar caſtigo en las

per-

perſonas que las truxeren, que ya no es tiempo de mas diſimular. Si no ſe acertaſe a tomar (como podria ſer) i ubieſe alguno que quiſieſe uſar de las dichas cenſuras, proveaſe que no ſe guarden, pues yo quedo en eſta determinacion i con tan gran razon i juſtificacion, i tanbien en los Reynos de Aragon; ſobre lo qual entonces ſe les eſcrivirà en eſta conformidad. Deſpues ſe a ſabido que en la Bulla que ſe publica en el Iueves de la Cena, puſieron que deſcomulgava el Pontifice a todos los que ubieſen tomado i tuvieſen tierras de la Igleſia, aunque fueſen Reys o Enperadores, aunque no declara mas deſto. I que en el Viernes ſanto mandò que dexaſen la oracion en que ruegan alli por ſu Mageſtad, aunque las demas de alli adelante ſon por los Judios, Moros, Ereges, i Ciſmaticos. De manera que cada dia ſe puede eſperar mayor mal: i aſſi tanto mas ſe deve hazer lo que arriba ſe dize ſobre eſtas coſas, i tanbien deſto ſe darà razon a ſu Mageſtad Ceſarea.

Eſcrivio aſſi miſmo al padre Frai Melchior Cano Dominicano de ſingular religion i letras, de quien como de oraculo conſultado tomaba ſu conſejo i reſpueſtas. Comunicadas las diferencias con Paulo IV. en diverſos Clauſtros reſpondio: Se ofendian no remediando eſtos daños i rieſgos de los Reynos, que por la reverencia del juramento del nonbre de Dios devia defender (pues eſtan debaxo de ſu gobierno i tutela) de quien los quiſiere ofender, como tutor de pupilos por leys i fidelidad de tutoria, aunque fueſe contra ſu padre natural, pues el temor de inconvenientes i eſcandalos ceſa por la defenſa juſta. Convenia mucho vieſe el Mundo en tienpo de tantos Ereges avia fuerças i esfuerço para la proteccion, guarda de ſus Reynos, autoridad, hazer ſu oficio; pues lo que dexaſe de

de hazer, no dirian fue por Chriſtandad i piedad, ſino poquedad. Si ſe entendieſe ſu flaqueza de animo i poder en Roma, ſe deſvergonçarian los Ereges i Catolicos con agravios mas exorbitantes: i aſſi inportaba a la Igleſia la defenſa i rimedio de los males, pues dexandola eſtaba el bien dudoſo, mui cierto el increible mal. I porque no ſe à da eſperar a que tire flechas quien pone laços, baſtava que hizieſe gente el Pontifice, con que amenazaba, para ſer juſta cauſa de tomar las armas el acometido injuſtamente. El principio i ronpimiento de una guerra ſe juzgaba por la razon i juſticia que el de una violencia particular, en que podia el ofendido ſienpre acometer al que inſiſte en hazer la fuerça, ſin ſer obligado a eſperar mas, entrando contra el agreſor dentro de los limites de la defenſa inculpada: no por eſto ſe dizia ſerlo de la fuerça aunque fueſe de la pelea, pues juſtamente podia mover las armas defendiendo a ſi i a ſus coſas. I el conbatir o guerrear no ſe avia de referir a la culpa del acometimiento (que no le avia) mas a la juſticia de la neceſidad de la defenſa porque acometia. Si era juſticia el acometer al enemigo para alcançar la paz fin de la guerra, acto de fortaleza i valentia era, no odioſo por razon i ley divina i antigua, donde confortaba Dios a ſu Pueblo i daba reglas para pelear juſtamente, i le amoneſtaba dieſe la batalla. Por eſto el acometimiento i agreſion contra el enemigo era neceſaria, juſta, i aun podia ſer ſanta, como era licito por Derecho Civil i Publico, i por el Canonico, que mueſtra que en todos los caſos ſe le puede oſender i acometer como a enemigo; porque ſi el hazer la guerra e ſuſtentarla por neceſidad ſe atribuia la virtud i merito de la fortaleza, el pelear i acometer era acto della. Eſtando

en

en el palenque dos cavalleros para conbatir por deſafio, el deſafiado podia por neceſidad de ſo defenſa acometer i començar la lid ſin eſperar a que el provocador ofenda. Tanbien ſiendo en continua ofenſa enemigo, en canpo abierto, en celada, en toto tienpo de guerra, podia ofender, prender, matar al enemigo; i ſi puede aſaltarſe por aſechanças, mejor llamarle a la batalla, i acometerſe como mejor pudiere. La vengança de la injuria i fuerça hecha con buena intencion era licita, i en el Principe por cauſa publica tenia nonbre de caridad, i entonces era miniſtro de Dios i vengador en la ira contra quien haze mal. Puſieſe ya ſu Mageſtad los medios conſultando ſoldados, no letrados, para caſtigar la injuſticia que ſe le hazia con las armas, cobrando del Pontifice i de ſus vaſallos todos los gaſtos. Mas advirtieſe era el caſtigado nueſtro padre i ſuperior, Vicario de Dios, que repreſenta la perſona de Jeſu Chriſto, i maltratado abria puerto al vituperio de la Fè Catholica, i diſprecio de la autoridad Eccleſiaſtica. Los ſabios Reyes convertieron eſto caſtigo en ſacar para ſus Igleſias i Reynos algunas coſas convenientes, juſtas, ſantas, con que no quedaſe deſacatado, ſino eſcarmentado i curado. Tal ſeria el ſacar por concierto de la paz, que todos los beneficios de Eſpaña fueſen patrimoniales; uvieſe tribunal de ſu Santidad en ella para concluir las cauſas ordinarias ſin ir a Roma: donde ſolamente avian de ir (ſi razon i Evangelio ſe guardaſen) las mui graves e inportantes a la Igleſia, como lo confesò Innocencio Pontifice en el capitulo *Majores de Baptiſmo*, i lo confieſan otros Pontifices i Concilios: los eſpolios i frutos de ſedevacantes de los Obiſpos no llevaſe en eſtos Reynos, como antiguamente, i aun la luctuoſa. I aſſi el Rey

don Alonſo el Sabio que ganò a Almeria en la Era de mil i dozientos i novienta i tres, concedio a la Igleſia de Obiedo el ſpolio de ſus Obiſpos difuntos: i el Rey don Alonſo VII. i Conſtança ſu muger avian antes hecho donacion dellos, i entonces gozaban de los diezmos. Que el Noncio deſpache de gracia, como en Francia, o alomenos con Aſeſor ſeñalado por el Rey, con taſacion moderada, que no ecedieſe de comoda ſuſtentacion para el. Mandàſe ſalir de Roma los Prelados i negociantes deſtes Reynos. ROMPIMIENDOSE LA GUERRA, ESTABA EN EL DERECHO CANONICO ESTABLECIDO QUANDO AI PELIGRO INPEDIMIENTO O TARDANÇA EN IR A ROMA, LOS OBISPOS PROVEAN EN SUS OBISPADOS EN SU BUENA GOBERNACION ECCLESIASTICA I SALUD DE LAS ALMAS, AUN EN LAS COSAS POR DERECHO AL PONTIFICE RESERVADAS POR LA IMMINENTE NECESSIDAD. SI QUERIA PROCEDER LIBRE SU AUTORIDAD REAL I SIN DEPENDENCIA, DEXASE LOS SUBSIDIOS DE LA IGLESIA, QUE LUEGO LE BUSCARIAN SUS MINISTROS, I SUS ESTADOS LE DARIAN MAS QUE LE CONCEDERIA LA CURIA ROMANA.

Hanc magni Cani doctrinam adoptavere, ſæpiuſque in executionem miſere Reges, Curiæ, & Epiſcopi Galliæ ſub omnibus illis diſſidiis, quæ inter Regnum illum & Romam ſubinde exarſere tribus Henricis regnantibus, II. III. & IV. quemadmodum legi poteſt Tom. X. Gallicæ Collectionis, *Memoires Du Clergè de France*, Pariſiis impreſſæ an. MDCCXXII. a pagina 455. ad 572.

EPI-

EPILOGUS TOTIUS OPERIS.

QUidquid in utraque Parte Tentaminis hujus diximus & probavimus ex Sacris Litteris, Conciliis, Sanctis Patribus, Theologis, & Canonici Juris Interpretibus : totum id ad hæc Capita reducitur. Primum : quod auctoritas & juriſdictio Epiſcoporum, conſiderata ejus inſtitutione a Chriſto facta, ex ſe eſt abſoluta nulliſque limitibus circumſcripta reſpectu cujuslibet Parœciæ. Alterum : quod in poſſeſſione juriſdictionis hujus ſic abſolutæ nulliſque reſtrictæ limitibus, per multa ſæcula permanſere Epiſcopi, relaxantes vel ipſas Leges Conciliorum Generalium Romanorumque Pontificum, ubicumque id ſubditorum neceſſitas aut utilitas poſtulaſſet : donec paulatim invaleſcere cœperunt Reſervationes Apoſtolicæ, idque non ſine repugnantia plurimorum Epiſcoporum graviſſimorum ſanctiſſimorumque. Tertium : quod quando Epiſcopi in Reſervationes conſenſere, vel potius quando eas invaleſcere paſſi ſunt; ſub ea omnino conditione conſenſere, ut quotieſcumque quolibet ex capite, & nulla ſua ipſorum culpa Romanus aditus clauderetur ; ad ipſos continuo rediret priſtina juriſdictio & auctoritas, quam Chriſtus Epiſcopali caracteri adnexam voluit. Quodque niſi de ipſorum Epiſcoporum conſenſu ſpoliare Epiſcopos Papa non poterat hujuſmodi juriſdictione, præſertim ita abſolute & in perpetuum: tum quod Papa proprio motu ſuo Epiſcopos privare nequit illa poteſtate, quam iiſdem donarunt Chriſtus, Apoſtoli, & Eccleſia : tum quod Paſtorale munus, quod divina inſtitutione eſſentiale eſt Epiſcopatui, Epiſcopos prohibet in id conſentire, ut cum damno ſibi creditorum gregum ſpoliari ſe patiantur tali poteſtate ; quæ a Chriſto quidem non propter

Pa-

Paſtores ipſos, ſed propter oves collata eſt. Quartum: quod quandoquidem in præſentia clauſus ſit aditus ad Sedem Apoſtolicam, nulla Luſitanorum Epiſcoporum culpa: tantaque præterea & tam generalis adſit neceſſitas diſpenſationum, præſertim matrimonialium; (ea enim gravi urgenteque neceſſitate deficiente, tam non poteſt diſpenſare Papam, quam Epiſcopi) poſſunt ac debent iidem Epiſcopi ſuis ſubditis diſpenſationes elargiri circa publica etiam impedimenta matrimonii, & circa cetera omnia Apoſtolicæ Sedi reſervata, quæ moram non patiuntur ſine gravi damno detrimentoque animarum. Quintum: quod non poteſt nec debet Summus Pontifex iniquo animo ferre, tum cum Luſitanæ oves nulla culpa ſua prohibentur Supremum Paſtorem adire, ſuppleri ab Epiſcopis vices ſuas, ut qui divino jure ordinarii ipſarum Paſtores ſint; qui in ſimilibus diſpenſationibus concedendis nihil poteſtatis aut juriſdictionis exerceant, quod limitibus illis non contineatur a Chriſto præfixis, cum in inſtitutione & miſſione Apoſtolorum Epiſcopalem ordinem condidit; atque in Succeſſoribus eorum, nempe Epiſcopis, abſolutos quoſdam ſupremoſque divinorum myſteriorum Diſpenſatores conſtituit; qui veluti omnipotentes quidam ipſius Chriſti apud Eccleſiam ſuam Legati, creditis ovibus ea omnia providerent, quæ ad ſalutem ipſarum neceſſaria eſſent, ſalvo Primatu S.Petri. Nam Primatus iſte ſupra Epiſcopatum nihil aliud præſefert, quam præcellentiam quandam Inſpectionis ſeu Advigilationis (qualis Superintendentium eſt) in Epiſcoporum quemlibet, ſalvis interim Juribus & Privilegiis ſingulorum (*a*). Sextum: quod

(*a*) Illuſtrat doctrinam noſtram mirifice locus Grego-

quod his doctrinis moti, antiquam primævamque auctoritatem ſuam providendi & diſpenſandi generatim in omnibus caſibus urgentis neceſſitatis, toties redimere ſoliti ſunt Catholicorum Regnorum Epiſcopi, quoties caſu aliquo prohibebantur ſubditi Romam adire, influxuque gaudere Supremi Paſtoris, qui eſt Romanus Pontifex. S. Auguſtinus in Pſalmum XLIV. num. 32. Eccleſiam adloquens: *Pro Apoſtolis* (inquit) *conſtituti ſunt Epiſcopi. Non ergo te putes deſertam, quia non vides Petrum, quia non vides Paulum, quia non vides illos per quos nata es. De prole tua tibi crevit paternitas.*

S. Cy-

---

gorii Magni in Epiſtula ad Joannem Syracuſanum Libro IX. epiſt. 59. pag. 976. *Nam quod ſe dicit Byzacenus Epiſcopus Sedi Apoſtolicæ ſubjici; ſi qua culpa in Epiſcopis invenitur, neſcio quis ei Epiſcopus Provinciæ ſubjectus non ſit. Cum vero culpa non exigit, omnes ſecundum rationem humilitatis æquales ſunt.* Confer Richerium Libro II. adverſus Duvallium Capite VI. num. 2. pag. 235. & Cardinalem Cuſanum Libro II. Cap. XIII. pag. 726.

Digitized by Google

S. Cyprianus in Epiſtula ad Quintum, quæ eſt LXXI.

Debet unuſquiſque, non pro eo quod ſemel ebiberat & tenebat, pertinaciter congredi: ſed ſi quid melius & utilius extiterit, libenter amplecti. NON ENIM VINCIMUR, QUANDO OFFERUNTUR NOBIS MELIORA, SED INSTRUIMUR.

Digitized by Google

Monitum Auctoris ad omnes Theologos, & Illuſtriſſimos Epiſcopos.

SUperiori anno Venetiis prodiit ex Officina Radiziana Tentamen hoc Theologicum, ex Luſitano Sermone Italice verſum; ſed ea infelicitate verſum, ut maximo mihi dolori fuerit, in Operis infamiam ac dedecus redundaſſe id ipſum, quod licet inconſulto me, factum tamen in ejus laudem & commendationem videbatur. Non in levibus dumtaxat, neque in uno tantum alterove in loco peccavit interpres: ſed in iis etiam quæ capitalia ſunt, multa ille ſubinde expreſſit, Luſitano Archetypo prorſus diſſona, & cum obvio ac nativo verborum ſenſu omnino pugnantia: ut admodum difficile ſit credere, contigiſſe id ex ignorantia Luſitani Sermonis, non vero ex mala fide ipſius interpretis. Italicam verſionem hanc Latina altera, ut audio, paullo poſt excepit, Venetiis itidem adornata, & iiſdem fortaſſe erroribus inquinata, quæ tamen ad Luſitaniam nondum adpulit. Cum ergo ad gravis & ſinceri Theologi exiſtimationem pertineat, ſic de limitibus auctoritatis Eccleſiaſticæ diſputare, ut neque cum Proteſtantibus de medio tollat Primatum Summi Pontificis, neque cum Ultramontanis deprimat juriſdictionem Epiſcoporum: Theologos Catholicos omnes, præſertim vero Dominos Epiſcopos, quorum miniſterii (*ut ad Innocentium Papam II. ſcribit S. Bernardus*) eſt de dogmatibus judicare; *obnixe ego precor atque obteſtor, ut ſententias ac doctrinas meas de Poteſtate Conciliorum Generalium, Romani Pontificis, & Epiſcoporum; non ab exteris verſionibus, (quæcumque illæ ſint) ſed ab editionibus Oliſiponenſibus ſive Luſitanis ſive Latinis omnino petant. Dabam Oliſipone decima die Februarii anno* MDCCLXIX.

Antonius Pereria Figueredius, Regiæ Curiæ Cenſoriæ Xvir Ordinarius.

ANTONII PERERIÆ

Presbyteri ac Theologi Oliſiponenſis, Regiæ Curiæ Cenſoriæ Decemviri Ordinarii, Regiſque Fideliſſimi ab Epiſtulis Latinis

RESPONSIO APOLOGETICA

AD CENSURAM

GABRIELIS GALINDI

THEOLOGI MATRITENSIS

E Clericorum Regularium Minorum Ordine

In Tentamen Theologicum Oliſipone editum

DE AUCTORITATE EPISCOPORUM TEMPORE SCISSURÆ.

Secunda editio.

O L I S I P O N E

APUD ANTONIUM VINCENTIUM SILVIUM

ANNO MDCCLXIX.

Cum bona Regiorum Cenſorum venia.

Nolo in ſuſpicione hæreſeos quemquam eſſe patientem. S. Hieronymus contra errores Joannis Jeroſolymitani.

ANTONII PERERIÆ
RESPONSIO APOLOGETICA
AD CENSURAM
GABRIELIS GALINDI.

EPISTULA GABRIELIS GALINDI.

Matriti die 17. Julii an. D. 1767.

J. M. J.

REVERENDISS. P. ANTONIO PEREIRA

Congreg. Oratorii Presbytero, ac Lisbonenſi Sapientiſſimo Theologo &c.

GABRIEL GALINDO

Clericorum Regularium Minorum, in Domo Spiritus Sancti Matritenſi in Sacra Theologia Lector Jubilatus, ſalutem & in Chriſto religioſam amicitiam.

R. P. M.

1. ATtente perlegi a te eruditiſſime elaboratam Tentativam Theologicam, quam certo ſtudio, ac litteratura tua dignam gratulabundi amplectentur omnes Dominici Gregis Sacri Paſtores, eo quod & Ordinis ſui dignitatem ab ipſo D. N. Jeſu Chriſto primo Paſtore efficaciter, ſicut & erudite deducis; & ut ovibus paſcua poſſint opportuna præbere, viam oſtendis. Quod abſdubio remoto pietatis offendiculo, credo facilius, optatiuſque, ac laudabilius coram Deo, & hominibus præſtitiſſes, ſi, haud invito Paſtore omnium ſupremo, ſyſtema tuum cum Angelico Theologorum viam ſalutis ſequentium Principe (cui adhærere velle te cum devias tibi

videris) compoſuiſſes, & conſuluiſſes. Probati enim hujus veritatis Doctoris, ab ipſo in Cruce pendente veræ ſcientiæ Auctore tamquam ex cathedra & Magiſtri docentis, & Pontificis Summi definientis ter approbati, Diſcipuli facultatem, vel juriſdictionem in ſacris Antiſtibus agnoſcunt, qua in caſibus urgentis neceſſitatis, quando vere a Summo Pontifice fieri nequit quavis vera de cauſa, ea de medio tollant impedimenta Matrimonium dirimentia, etſi publica, anteque ipſum contractum, quæ idem Summus Pontifex ſi interpellari valeret, ſtante juſta cauſa diſpenſaret: quin ut talem in Eccleſiæ Præpoſitis ad diſpenſandum poteſtatem ſtatuant, ad aliud recurrant principium, quam ad juſtam Epicheiam, qua voluntas præſumpta, ſeu tacita Sedis Apoſtolicæ, committere creditur Epiſcopis exercitium diſpenſandi ſibi reſervatum, in omni, & pro omni caſu, in quo & gravis neceſſitas urget, & exigit inconvenientia ſpiritualia, ſcandalave tolli, & aditus ad eandem Sanctam Sedem Romanam vel difficilis valde, vel tum ex parte Paſtorum, tum Ovium abs culpa occluſus omnino eſt. Qui vere Angelici Ducis veſtigia poſt gradientes claro ſequenti ducuntur diſcurſu (*a*).

2. Non eſt credibile Summum Pontificem in caſu, & pro caſu, quo effata inconvenientia ſequuntur, velle talem diſpenſationem ſibi reſervare. Nam cum reſervatio, ſicut & alia quævis ſimilis lex ordinetur in ædificationem, non in deſtructionem animarum; (ut egregie, ac

(*a*) R. P. Thomas Hurtado meæ Religionis clarus ſplendor, & Doctoris Angelici præclarus Aſſecla, tom. 1. *de Reſid.* ſubreſol. v. n. 4. & ſeqq. pag. 258. Joan. Dicaſtillo Cancellar. Deling. Univerſit., Diſput. 8. *de Matrim.* dub. 4. & alii.

ac opportune cum Apoſtolo dicis) ſuaderi nequit pro tali caſu, ſub his circumſtantiis, ſub quibus ſi reſervatio ſtaret, vergeret in animarum damnum, velle Summum Pontificem omnium Fidelium Patrem, eam reſervationem locum habere.

3. Aliud etiam enucleant pro tacita hac Sedis Apoſtolicæ voluntate ſuadenda ſatis efficax argumentum, ſic breviter compilatum. Superiore vidente, & nec reclamante, aut in contrarium dicente, ſententiam aliquam ſuper Diſciplina Eccleſiaſtica, nedum a quamplurimis celeberrimis Doctoribus ſcripto publico doceri, ſed & a Prælatis Eccleſiæ praxi dari; ſignum oſtendit præclarum tacitæ ſaltem approbantis voluntatis & doctrinam, & praxim. Cumque nequeat Sedes Apoſtolica Orbis totius ſpecula non vidiſſe, ex quo cœpit talis ſententia in Eccleſia vigere, quæ communis, ac receptiſſima facta eſt, nec potuit non innoteſcere Pontifici tunc regnanti, quod Epiſcopi ea poteſtate utebantur de facto, quin tamen reclamarint, aut contra factum pronuntiarint, quotquot exinde Pontifices extitere Romani; ſignum ergo eſt illas & ſententiam, & praxim ſaltem tacite eos approbare: ac charitatis igne voluntate flagrante, velle hoc in ſimili neceſſitate ovibus ſibi creditis adhiberi remedium, ne pereant, per Paſtores Eccleſiarum toto Orbe diffuſarum.

4. Quo indubitanter ſyſtemate haberes Summum Pontificem nedum non reluctantem, ſed probabiliſſime approbantem in caſu præſenti Regni Luſitani Illuſtriſſimos Præſules poſſe, & ex charitate debere in impedimentis, prout adſtruis, matrimonialibus, & valide, & licite diſpenſare, ſuiſque dilectis filiis ad Sedem Apoſtolicam remedium, ut impetrent, recurrere non valentibus, neceſſarium adhiberi per proprios Epiſcopos medicamen: & eandem habe-

res ſimul Sanctam Sedem in tui doctrinam approbandam, ut judico præpronam, quam merito præſumo habeas exoſam, ni (ſi vales) facias ſatis validiſſimæ objectioni omni homini ſuper Theologia Morali mediocriter inſtructo obviæ, deſumptæque ex condemnatione ab Alexandro felic. recordat. P. VIII. ſub die facta 20. Decembr. an. Dom. 1690. ſuper 31. propoſitionibus, inter quas ea erat ordine xxix. dicens: *Futilis, & toties convulſa eſt aſſertio de Pontificis Romani ſupra Concilium Œcumenicum auctoritate, atque in Fidei quæſtionibus diſcernendis infallibilitate*. Damnata contra quam inſurgit Doctor Angelicus (*a*): quin refugium præbeat contra hanc proſcriptionem, quam in magno Parente Auguſtino clare, & apertiſſime fundes, doctrina quævis; cum ejuſdem condemnationis Decretum exprimat num. xxx. damnatam ſequentem propoſitionem: *Ubi quis invenerit doctrinam in Auguſtino clare fundatam, illam abſolute poteſt tenere & docere, non reſpiciendo ad ullam Pontificis Bullam*. Damnata.

5. Circa quæ te cum doctrina plenum experiar, mihi dubitare non licet, quin præſens habeas, ſimilia Decreta a Sancta Petri infallibili Cathedra immediate emanare poſt maturum examen, ac diligentiſſimam doctrinarum diſcuſſionem, mere præſuppoſitive his ſe habentibus ad Definitionem proſcriptionis: eis Supremus Paſtor Domini oves vigilans confirmat, ac tuetur, eas arcens a lupis, paſcuaque oſtendit ſalubria, ubi in verbis vitæ earum animæ veritatis cibo recreentur, ac in deliciis lætentur æternis: quodque ſimilia doctrinæ morum declarativa Decreta ubique terrarum univer-

(*a*) Div. Thom. q. 10. *de Potentia* art. 4. ad 13. = 1. p. q. 36. art. 2. ad 2. = 2. 2. q. 1. art. 10. ad 2.

verſos Chriſti Fideles ligandi vim habent, tum quoad præceptum, tum quoad pœnam etiam locis, ubi publicatio facta non fuit, degentes; dummodo Romæ, uti conſuetum, fuerint affixa, ſicuti tenet communior, & nedum in re tanti momenti tutior, ſed & probabilior Theologorum ſententia. Quam excommunicationis majoris latæ ſententiæ ipſo facto incurret, Sum. Pontifici reſervatæ, qui verbo vel ſcripto publico, aut private docuerit, vel tractaverit (niſi ut convellat) doctrinam in eis damnatam &c. Quæ tam luce abundanti Doctori per me exponi ſic ſupervacaneum duco, ac ſi Aquilam veſpertilio viam Solis in Zenith medio ſplendentis aſſumeret edocendam.

6. Et ideo hanc mihi certo ingentem difficultatem, Reverendiſſime ac Sapientiſſime Pater, & Domine, ut explanares maxime optavi, ac Tentativæ curſui aſperrima hæc obſtantia per Orbem univerſum (quæ miror, & juſte miror ſanctum Luſitanum Inquiſitionis Senatum omni reſpectu venerandum ſaltu præteriſſe) planas in vias facias, ut omnibus numeris abſolutum te & Urbs, & Orbis cum tuis operibus videant, legant, ac laudent Magiſtrum. Meque aliquid ſciendi avidum doctrina dites, ac præceptis, quæ in tam præclari Doctoris obſequium libentiſſime exequar, honorare digneris: ſic te Omnipotens, ut quæ ſunt vera doceas incolumem ad longævam ducat ætatem, atque, ut quæ ſunt vera capias, ultimo te cælo adſcribat, uti veraciter poſtulat

Reverendiſs. ac Colendiſs. P.Magiſter

V. R. P. obſequentiſſimus Cliens
Qui ſupra.

RESPONSIO APOLOGETICA ANTONII PERERIÆ.

GABRIELI GALINDO
E Clericorum Regularium Minorum Ordine
Sacræ Theologiæ apud Matritenſes
Profeſſori Emerito

ANTONIUS PERERIA
Presbyter Congregationis Oratorii
S. Philippi Nerii Oliſiponenſis

S. P. D.

1. Quanto cum gaudio, doctiſſime Galinde, Epiſtulam tuam legendam ſuſcepi, tanto ſane cum dolore legi. Cum enim a te ſperarem ſignificari Luſitanis nobis aliquid, unde plane intelligeremus, expulſis de Hiſpania Jeſuitis expulſas quoque inde eſſe Tranſalpinas opiniones, ſeu potius tyrannides: (quarum illi quidem non ad Eccleſiæ utilitatem, ſed ad Societatis ſuæ emolumentum ſtrenui defenſores erant) nihil aliud lecta Epiſtula inveni, quam obtrudi a te nobis pro Catholicis Dogmatibus ipſiſſima Romanorum placita: quibus convellendis & extirpandis navare diligentem operam debebant una cum Luſitanis Hiſpani Theologi omnes, ſi modo Theologi eſſe ac videri vellent. Theologus enim meo judicio non eſt, qui privatas & novas Romanæ Curiæ opiniones pro inconcuſſis receptiſque Catholicæ Eccleſiæ Dogmatibus venditat. Privatas autem opiniones voco, quæ apud Catholicos non ubique vigent: novas, quæ prioribus Eccleſiæ ſæculis fuerunt ignotæ. Nemo enim ignorat illud Vincentii Lirinenſis: *Quod ſemper,*

per, *quod ubique*, *quod ab omnibus*. Nemo illud Tertulliani: *Verum quodcumque prius*, *adulterum quodcumque poſterius*.

2. Porro doctrinam de infallibilitate Romani Pontificis, deque illius ſupra Œcumenica Concilia auctoritate, in florentiſſimo Galliæ Regno (quæ Chriſtianitatis quidem portio maxima eſt, & omnium procul dubio nobiliſſima) non admitti nec ſuſtineri quis neſciat? Leges vero a Romano Pontifice latas obligandi vim pro tota Eccleſia habere, etiamſi promulgatæ ſolemniter per Provincias illæ non fuerint, modo Romæ Valvis Apoſtolorum ſint adfixæ; Juriſprudentia quidem illa eſt non modo naturali Juri contraria, ſed etiam cum perpetua conſtantique Diſciplina duodecim ſæculorum, & cum ipſo Decretalium Gregorianarum Codice aperte pugnans.

3. Similiter auctoritatem & juriſdictionem Epiſcoporum a Papa eſſe & non a Chriſto immediate, toti antiquitati æque eſt inauditum: ut maxime dolendum ſit, impugnari nunc vel in dubium vocari ab Hiſpanis contrariam doctrinam, quam mira conſenſione ante ducentos annos propugnaſſe in Tridentina Synodo leguntur tot ex Hiſpania Epiſcopi celeberrimi, tot Theologi præſtantiſſimi: quemadmodum cum ex Hiſtoria Sarpii Pallavicinique, tum ex Annalibus Odorici Raynaldi liquido conſtat. Scilicet nondum per ea tempora Jeſuitarum in Hiſpania & Luſitania opes creverant: nondum in Scholas noſtras invaſerat inimica Epiſcoporum & venerandæ antiquitatis natio. Quod quia poſtmodum factum eſt, Lainii magis quam Soti placita adridere cœperunt.

4. Fateris tu quidem, auctoritatem Epiſcoporum a Chriſto me non ſolum *erudite*, ſed etiam *efficaciter* deducere. Sed cum eodem tempore Epiſcoporum Jura omnia in unius Romani Pontificis arbitrio ponas, videris ſane in ea

eſſe ſententia, ut credas; Epiſcopatum quidem a Chriſto eſſe, ſed Epiſcopalem juriſdictionem ejuſque exercitium omnino eſſe a Papa. Quod idem eſt ac dicere, Epiſcopatum quidem inſtituiſſe Chriſtum, ſed mancum & mutilum, & ab hominibus perficiendum: vel non fuiſſe ceteros Apoſtolos Collegas Petri, ſed ipſius Procuratores; non *pari conſortio præditos honoris & poteſtatis*, (ut Cyprianus docet) ſed precariam omnino & a Petro in omnibus dependentem juriſdictionem habentes. Id vero eſt, quod toti antiquitati inauditum in ſuperioribus dixi: id quod Hiſpanis Epiſcopis nullo modo ſe probare potuit in Synodo Tridentina. Cum enim ibi ex præſcripto Romanæ Curiæ perſuadere voluiſſent Itali, *Epiſcopos primos in Eccleſia eſſe, ſed dependenter a Papa*: verbum illud *dependenter*, tamquam ordini ſuo indecorum averſati Hiſpani contendebant, primos in Eccleſia dicendos eſſe Epiſcopos non *dependenter a Papa*, ſed *ſub Papa*. Petrus autem Guerrerius Archiepiſcopus Granatenſis, vir animo & eruditione maximus, ſic ea de re ſenſum expromebat ſuum: *Ego ſum Epiſcopus Granatæ; Papæ vero Archiepiſcopus*. Quibus verbis ſignificabat Antiſtes ſapientiſſimus, Papæ juriſdictionem in Eccleſiam Univerſam ſic ſe habere, ac juriſdictionem Archiepiſcopi in Eccleſias ſuæ Provinciæ: hoc ſolo diſcrimine, quod Papæ juriſdictio in totam Eccleſiam eſt Juris divini, juriſdictio vero Archiepiſcopi in Provinciam eſt Juris humani. At juriſdictionem uniuſcujuſque Epiſcopi in ſuam Diœceſim eſſe ſub Archiepiſcopo, ſed non ab Archiepiſcopo, quis neſciat?

5. Legens ergo Epiſtulam tuam non poſſum non dolere vicem nonnullorum Theologorum Hiſpanorum: (nonnullos dico, quia multorum non miſerandam, ſed invidendam litteraturam ſcio) qui majorum doctrina relicta, Tranſalpina placita non jam ut Scholæ opiniones, ſed

ut

ut Catholica Dogmata ampleſtuntur, amplectendaque exteros docent. Nam Romanum Pontificem non eſſe infallibilem, neque Generali Concilio ſuperiorem, ſæculo decimoquinto docuere Joannes de Segovia Archidiaconus Ovetenſis, qui Baſileenſis Concilii pars magna fuit: & Alphonſus Toſtatus Abulenſis Epiſcopus, cujus *Defenſorium* utinam frequenter in manus ſumerent, adcurateque perlegerent noſtri homines. Neutram vero quæſtionis partem ad Fidem Catholicam pertinere, ſæculo decimoſexto plane adfirmarunt præſtantiſſimi laudatiſſimique Doctores veſtri tres: Franciſcus de Victoria Dominicanus in Relectione *De Poteſtate Papæ & Concilii*; Alphonſus de Caſtro Franciſcanus in priori Libro egregii Operis *Adverſus Hæreſes*, capite ſecundo: Martinus Navarrus in Commentariis ad Caput *Novit*, *De Judiciis*. Quibus quartus addi poteſt Hadrianus Florentius, inter Romanos Pontifices hujus nominis Sextus, natione quidem Belga, ſed domicilio & obedientia Hiſpanus: cujus notiſſimum illud eſt in iv. Sententiarum, ubi de Sacramento Confirmationis agitur: *Ad ſecundum principale de facto Gregorii dico, quod ſi per Eccleſiam Romanam intelligitur caput ejus, puta Pontifex*; CERTUM EST, QUOD POSSIT ERRARE *etiam in his, quæ tangunt fidem*, HÆRESIM PER SUAM DETERMINATIONEM AUT DECRETALEM ADSERENDO. Hæc tamen illa doctrina eſt, quam tot graviſſimis ex omni natione Theologis probatam; ipſis etiam Canoniſtarum Principibus, Gratiano, ejus Gloſſatori, & Abbati Panormitano familiarem; *erroneam & hereſi proximam* adpellare non dubitat Bellarminus, temerarius ipſe potius & cenſura notandus, judicio ſaniorum Theologorum. Temerarium certe & cenſura dignum vocant Illuſtriſſimi Fratres Walemburchii, Adrianopolis & Myſiæ Epiſcopi, ſecuti celeberrimum alium

Con-

Controverſiarum Scriptorem Franciſcum Veronium in ſua *Regula Fidei Catholicæ*.

6. Sed jam ad diſcutienda ſingula Epiſtulæ tuæ capita progrediamur. Primum ſcribis, *optatius*, *ac laudabilius* me famæ ſecuritatique meæ conſulturum fuiſſe., ſi in demonſtranda & adſerenda Epiſcoporum auctoritate circa impedimenta matrimonii, *ad aliud principium non recurrerem*, *quam ad juſtam Epicheiam*, *qua voluntas præſumpta*, *ſeu tacita Sedis Apoſtolicæ committere creditur Epiſcopis exercitium diſpenſandi ſibi reſervatum in omni*, *&* *pro omni caſu*, *in quo & gravis neceſſitas urget*, *&* *aditus ad eandem Romanam Sedem vel difficilis valde*, *vel occluſus omnino eſt*. Egregie tu quidem, & amice. Volebas ergo juriſdictionem Epiſcoporum non ab intrinſeca Epiſcopatus ratione, ſed ab extrinſeca interpretatione Thomæ Hurtadi & Joannis Dicaſtilii me repetere. Hos enim tu mihi auctores ſequendos proponis in margine Epiſtulæ: horum proinde judicio Epiſcoporum poteſtatem metiendam putas; quaſi nobis cum ex Evangelio, tum ex veteris Eccleſiæ ſenſu liquido non conſtaret, quam late ſe extenderet *Epiſcopalis eminentiæ divina auctoritas*, ut verbis utar antiqui Concilii Toletani.

7. Ego vero, quem minime latebat argumentatio illa luculenta, ſeu (ut tu ſcribis) *clarus ille diſcurſus* Hurtadi & Dicaſtilii; conſulto illam adhibere nolui, idque multis de cauſis. Primo: quia recentiorum Caſuiſtarum me uſque adeo tædet pigetque, ut ubi animum adſcribendum adpuli, mox ab illorum citandis teſtimoniis perpetuo abſtinere mecum ſtatuerim. Incredibile enim dictu eſt, quantam & Apoſtolicæ ſimplicitatis & primævæ innocentiæ jacturam fecerint noſtri mores, lectione illorum Theologorum, qui ubi de Decalogi Præceptis agitur, nihil non indulgent humanæ cupiditati; ubi vero ad Romani Pontificis ventum eſt

po-

poteſtatem, nonniſi letalia peccata, execrationes, maledictiones, ſchiſmata, ſcandala, gehennas crepant adverſus eos, qui poteſtatem ipſam non infinitam, ſed certis limitibus contentam volunt. Horum unus, ſi Antonio Arnaldo fides, ſuperiori ſæculo exeunte, Pariſiis clamabat: *Pereat Orbis, modo maneat auctoritas Papæ*. Quod ſtulte, an ridicule potius dictum fuerit, viderint alii. Ego hic non poſſum non meminiſſe illud Chriſti Phariſæos increpantis: *Culicem excolantes, & camelum glutientes*. Scio Hurtadum tuum (ut erat in antiquis Conciliis & Sanctis Patribus magis verſatus, quam pro more gentis ſuæ) paullo candidius & incorruptius, quam ceteros, Moralem Theologiam tractaviſſe. Sed homo Tranſalpinis placitis æque ac reliqui illius ætatis addictus, & cui pro inconcuſſo dogmate erat, quidquid vel in Decreto, vel in Decretalibus occurrebat: nihil ſane poterat in rem noſtram depromere, quod & temporum neceſſitati & Epiſcoporum auctoritati ex æquo conſuleret.

8. Secundo: quia (ut ego in Præfatione Tentaminis Theologici adnotavi) ſeptem annorum experientia demonſtrarat; movendis ad diſpenſandum Epiſcoporum animis non ſufficere jactatæ Epicheiæ leges, quas nemo ignorabat; & quibus admiſſis, merito adhuc hærebant Antiſtites noſtri. Nam Epicheia locum non habet, ubi pro obſervatione legis aperta eſt mens & voluntas Supremi Legislatoris: At in caſu noſtro mentem & voluntatem ſuam pro obſervantia Reſervationis ſæpius manifeſtarat Romanus Pontifex per multiplices Declarationes Cardinalium, quas ex Rigantio deſcripſi, & quas Benedictus XIV. in Opere *de Synodo Diœceſana* Epiſcopis in memoriam revocavit, ne facultatem diſpenſandi etiam in caſu urgentiſſimæ neceſſitatis ſibi adrogare Epiſcopi audeant. Conſtatque recenti memoria apud Hiſpanos,

nos,

nos, cum Philippus V. Rex Catholicus anno MDCCIX. aditum ad Romanam Curiam intercluſiſſet ſubditis; graviter Hiſpanis Epiſcopis ſuccenſuiſſe Summum Pontificem Clementem XI. quod quædam ipſi & Regis juſſione & temporum difficultate adacti adminiſtrare cœpiſſent, Sedi Apoſtolicæ alias reſervata. Nimis certe ignarus eſt artium & conſuetudinum Romanarum, ſiquis ſibi perſuadeat, æquo animo laturum aliquando Pontificem, diſpenſari ab Epiſcopis vel tantiſper ea Diſciplinæ capita, ex quarum Reſervatione tantum emolumentum adcreſcit Romanæ Curiæ.

9. Tertio: quia excitata inter nos quæſtio non eſt, an diſpenſare poſſint Epiſcopi in impedimentis occultis, & poſt contractum matrimonium, idque in hoc vel illo caſu rariſſimo, & in foro conſcientiæ: ſed an poſſint diſpenſare in publicis, & ante matrimonium contractum; idque certa lege & in foro externo cum juridica cognitione cauſæ, pro omnibus caſibus in quibus diſpenſaret Pontifex? In priori quidem caſu facultatem diſpenſandi in Epiſcopis agnoſcunt Theologi plerique: in ſecundo vix e Caſuiſtis invenias, qui tibi ſuffragetur. Non ſuffragatur certe Joannes Dicaſtillius, cujus tu mihi auctoritatem objicis, & cujus *clarum diſcurſum* tranſcribis fere ad verbum. Nam eo ipſo in loco, quem tu citas ex Diſputatione viii. *de Matrimonio*, Dubio iv. diſerte ille monet, doctrinam ſuam intelligendam eſſe *pro caſu, quo impedimentum eſt occultum, matrimonium vero publicum*, adeoque jam contractum. Paullo infra quidem addit Dicaſtillius, *hoc ipſum poſſe Epiſcopum ante contractum matrimonium pro caſu neceſſitatis*: Sed ex antecedentibus & conſequentibus planum eſt, loqui eum de impedimentis nondum publicis. Nam eo ſolo nomine impugnat Averſam, quod etiam cum impedimenta ſunt occulta, poteſta-

tem

tem diſpenſandi ante contractum matrimonium Epiſcopis denegabat.

10. Thomam vero Hurtadum ſub iiſdem conditionibus Dicaſtillio acceſiſſe, illud certiſſimo argumento eſt, quod doctrinam ille ſuam Dicaſtillio maxime auctore fulcit. Quod nequis mala fide a me dictum ſuſpicetur, Hurtadum ipſum, age, ſuis verbis loquentem audiamus eo in loco Operis *de Reſidentia*, quem deſcribis. *Alia innumera conſectaria*, inquit, *ex dicto principio colligi poſſunt, quæ pertinent ad diverſas materias; ut de diſpenſatione in impedimentis tam dirimentibus quam non dirimentibus, de qua Sanches Lib. viii. de Matrim. & Delinganæ Univerſit. Cancell. Joan. Di Caſtillo Diſp. viii. de Sacram. Matrim. Dub. 4. Ubi dicit, quod ex tacita Pontificis conceſſione poteſt Epiſcopus diſpenſare in impedimentis dirimentibus, quæ jure naturæ non dirimunt, in foro conſcientiæ, & quando impedimentum eſt occultum: vel quando eſt publicum, ſi non pateat facilis aditus ad Pontificem, (quod ego intelligo in partibus Indiarum & aliis valde remotis) & conjuges non poſſunt ſeparari abſque magno ſcandalo, & hanc ſententiam dicit & vere quod eſt communis*. Audin, mi Galinde, *In foro conſcientiæ, & quando impedimentum eſt occultum?* Et mox: *Vel quando eſt publicum, ſi non pateat facilis aditus ad Pontificem, & conjuges non poſſunt ſeparari abſque magno ſcandalo?* Hæc vero doctrina quid commune habet cum ea, quam tu ex Dicaſtillio & Hurtado mihi ſequendam dicis?

11. Atque hinc etiam luculenter patet, argumentum alterum petitum ex ſilentio Apoſtolicæ Sedis in rebus ad morum Diſciplinam ſpectantibus, quod tu *ſatis efficax* vocas, eſſe revera infirmiſſimum, utpote falſis nixum principiis. Primo enim quam multa ſunt, quæ Sedes Apoſtolica tacita videt, quin tamen tacendo adprobet? Ut unum e multis proferamus exem-

exemplum, ecce tibi Probabiliſmi monſtrum alit maxima pars Theologorum, fovet maxima pars Epiſcoporum. Probe id agnoſcit Apoſtolica Sedes; ſilet tamen, nec reclamat. An propterea adprobatum dicas a Sede Apoſtolica Probabiliſmum? Apage cum ejuſmodi adprobatione. Faceſſant ab Eccleſia Dei ejuſmodi argumenta, quibus ſemel admiſſis, nulla jam novitas erit, quæ patronam non habeat Sedem Petri. Nulla enim eſt, quam ipſa non toleret aliquandiu. Quod ſi ejuſmodi Epicheis pugnare licet, eodem ergo argumento conficere poſſum, adprobari tacite a Romana Sede meam doctrinam. Probe enim illi perſpectum eſt, tradi eam a quamplurimis graviſſimiſque Theologis, & ab Epiſcopis praxi mandatam. Nullum interea contrarium Diploma, nulla contraria Declaratio ab Apoſtolica Sede hactenus emanavit, quæ ad utrumque ſyſtema non ex æquo pertineat.

12. Deinde quod addis, communem & receptiſſimam eſſe illorum Theologorum ſententiam, quæ docet, *in caſibus urgentis neceſſitatis, quando aditus ad Sedem Apoſtolicam vel difficilis valde, vel occluſus omnino eſt; fas eſſe Epiſcopis tollere impedimenta matrimonii dirimentia, etſi publica, & ante matrimonium contractum*: id non minus falſum eſt, quam primum. Jam enim ſupra oſtendi, egregie te lectoribus imponere, dum hanc ſententiam Theologorum Ordini familiarem dicis. Quod mihi ſuo nunc teſtimonio denuo confirmat Thomas Sancius lib. ii. *de Matrimonio*, Diſp. 40. Poſtquam enim §. ii. ex ſuo & multorum aliorum Theologorum ſenſu demonſtraſſet, *poſſe diſpenſare Epiſcopum concurrentibus his circumſtantiis; ut ſi matrimonium ſit publicum, impedimentum autem occultum, & ſic ſcandalum timetur ex ſeparatione, nec ad Pontificem aditus patet*: (en vero communis & receptiſſima doctrina, de qua nulla inter nos quæſtio) mox §. viii. in hunc modum

dum dicere pergit: *Et auſim dicere nullius auctoris patrocinio fretus, poſſe Epiſcopum diſpenſare aliquando in impedimento matrimonium dirimenti, antequam matrimonium contrahatur, quando urgentiſſima neceſſitas id poſtularet. Exemplum ſit. Accedit mulier mane ſaſſura, & reperitur habens impedimentum dirimens, cujus detectio infamiam notabilem produceret, & ſunt omnia jam parata ad nuptias veſpere celebrandas: & tentatis omnibus mediis nulla evadendi via aperitur, ſed ſuſpicio vehemens orietur alicujus criminis detecti in confeſſione, ſi fœmina abſtinere velit a nuptiis, aut differre, dum Pontificia diſpenſatio obtineatur. Dixi tentatis omnibus mediis, quia ſi aliqua evadendi via commode reperitur, nullo modo poterit Epiſcopus.*

13. Vides, mi Galinde, Hiſpanorum Caſuiſtarum Principem, quaſi novum & magnum aliquid venditantem, nullius ſe auctoris patrocinio fretum dicere, quod modo audivimus? Nullum ergo legerat Sancius, qui doceret, vel ubi impedimentum ſola mulier fateretur, ſed matrimonium nondum contractum eſſet, poſſe Epiſcopum diſpenſare propter urgentem neceſſitatem. Qui autem ita reſtricte & meticuloſe loquitur de impedimento ex ſola mulieris confeſſione noto, & ubi omnia jam parata eſſent ad nuptias celebrandas: quid, quæſo, dicturum putas, ſi impedimenta tam eſſent publica, quam quæ Luſitanos Optimates nunc prohibent a contrahendo cum amitis, materteris, fratrum & ſororum filiabus, & cum conſobrinis? Quid, ſi res non ſic in anguſto verſaretur, quemadmodum a Sancio deſcribitur?

14. Confeſſus eſt vel ſic doctrinæ novitatem Baſilius Poncius, qui cum Libro VIII. *de Matrimonio* cap. XIII. §. 6. lectores monuiſſet, non primum nec ſolum fuiſſe Sancium, qui tradidiſſet talem doctrinam: antiquiorem tamen unum protulit Vaſqueſium, ea de re curſim

ſim nec ſatis aperte differentem in Primam Secundæ Quæſt. clxxviii. cap. 2. juniorem autem unum Salam Diſput. x. *de Legibus*, Sect.iii. Scio his poſtea acceſſiſſe ex iiſdem Jeſuitis Hurtadum & Rebellum, quos laudat Perezius *de Matrim onio* Diſp. xliv. Sect. vi. §. 11. Sed ut multo plures, imo innumeros laudaſſet Sancius vel Perezius; nemo non videt, poſitionem horum Doctorum immane quantum diſtare a poſitione noſtra. Omnes enim doctrinam illam cum Sancio reſtringunt ad caſum aliquem ſingularem, extraordinarium, & extremi diſcriminis, & in quo nihilominus detectum impedimentum occultum remanet, & intra cancellos pœnitentialis fori concluſum. Contra res Luſitanæ eo in loco ſunt in præſentia, ut niſi Epiſcopi concedatur jugis & abſoluta facultas paſſim diſpenſandi in publicis & notiſſimis impedimentis conſanguinitatis & affinitatis, idque ante contractum matrimonium, & cauſa cognita in foro exteriori; non ſatis provideatur vel ſaluti plebejorum, vel Patritiorum ſplendori. Quare non abſurde videtur Jacobus Sambovius, Pariſienſis Doctor celeberrimus adfirmaſſe in priori volumine Reſolutionum Moralium, caſu lxvii. *reſpectu illorum impedimentorum, quæ non ſunt occulta, conſpirare Theologos ad unum omnes, non poſſe Epiſcopum diſpenſare ſive in contrahendo ſive in contracto.* Velis igitur nolis, fateri debes, vel meis principiis utendum, vel diſpenſatione carendum. Debes etiam non diffiteri, ſtultum me futurum fuiſſe, ut qui maxime, ſi in eo Opere in quo demonſtranda ſuſceperam Epiſcoporum Jura, non quid Epiſcopi per ſe poſſent, ſed quid per Epiſcopos poſſet Romanus Pontifex, demonſtrare pergerem. Nam Epiſcopis quidem datam a Chriſto eam facultatem eſſe, qua & oves ſibi creditas paſcere, & illarum ſaluti neceſſaria omnia providere valeant; luculenter

ego,

ego, niſi fallor, ſolideque oſtendi. Quid ergo opus erat tua illa Epicheia? Nempe quia Jura omnia in unius Romani Pontificis arbitrio eſſe credis cum novitiis Magiſtris tuis. Aliter ego credo cum tota antiquitate. Oſtende tu antiquitatem falli, & credam ego novitati.

15. Significas deinde timere te, ne propter adſertam a me Epiſcoporum auctoritatem inviſus ſim Apoſtolicæ Sedi: quaſi inviſus Sedi Apoſtolicæ eſſe poſſit, qui ne illa cuiquam ſit inviſa, quanta maxima poteſt contentione laborat. Romano Pontifici, ejuſque Adulatoribus, odioſa fortaſſe erit mea doctrina. Sedi Apoſtolicæ, Cathedræ Petri, odioſa, credo, nunquam erit. Miraris diſtinctionem? audi Sanctum Leonem Magnum in Epiſtula ad Anatolium CPnum: *Aliud ſunt Sedes, aliud Præſidentes*. Qua in re præclare omnino Chriſtianus Lupus Auguſtinianus in Scholiis ad Dictatus Gregorii Papæ VII. *Aliud eſſe Eccleſiam quampiam, aliud ejus Epiſcopum, eſt manifeſtum. Hinc inter Romanam Eccleſiam & Romanum Pontificem, hic etiam Dictatus diſtinguit. Quin & aliud eſt Epiſcopus, aliud ejus Cathedra*. ALIUD APOSTOLICA SEDES, ALIUD PONTIFEX ROMANUS. *Leo Magnus in Litteris ad Anatolium:* ALIUD SUNT SEDES, ALIUD PRÆSIDENTES. *Proinde diſtinctio hæc fundata & antiquiſſima, & multis elucidandis neceſſaria*.

16. Audi Hiſpanum tuum e Dominicano Ordine celebratiſſimum, Joannem Cardinalem de Turrecremata in Summa *de Eccleſia* Lib. ii. cap. 112. ubi cum ex Archidiacono in Caput *Sic*, Diſt. xix. dictum illud laudaſſet: *Caute dicit Agatho Apoſtolicæ Sedis, & non dicit Apoſtolici*: e veſtigio ita colligit: *Sedis ergo Apoſtolicæ ſanctiones, ſive ſententia in Judicio prolata a Romano Pontifice intelligitur, non quæ occulte, malitioſe, inconſulte per Romanum Pontificem, aut etiam per ipſum cum paucis ſibi faventibus,*

aliis in fraudem contemptis, ſeu non vocatis, ad partem profertur: ſed quæ a Romano Pontifice cum maturo & gravi virorum ſapientium, & præſertim Dominorum Cardinalium primo Concilio digeſta & maturata profertur.

17. Audi Hiſpanum alterum Alphonſum de Caſtro Franciſcanum, Tridentinæ Synodi Theologum ſapientiſſimum, ob ſingularem eruditionis & probitatis famam Compoſtellanum Archiepiſcopum a Carolo Quinto deſignatum. In priori Libro *De Juſta Hæreticorum Punitione*, cap. iv. præmiſſo e Turrecremata ſuperiori teſtimonio, in hunc modum proſequitur: *Si quando forte aliquis Romanus Pontifex in definitione fidei erravit, inde evenire potuit, quod vel rem non plene, ut decebat, examinavit; vel non eos quos oportebat, conſuluit* . . . . ERRAVIT TUNC HOMO QUI IN SEDE APOSTOLICA ERAT, SED NON ERRAVIT SEDES APOSTOLICA. Vides, mi Galinde, ut majoribus veſtris aliud eſt Sedes Apoſtolica, aliud Romanus Pontifex?

18. Atque id ipſum Germanos ſuos centum ante Caſtrium annis docuerat magnus ille Cardinalis Nicolaus Cuſanus, Turrecrematæ ſuppar: dum in priori Libro *De Concordantia Catholica* capite xiv. in hunc modum differebat: *Licet aliquis, ut Liberius, Honorius, & alii in Cathedra Petri aliquandiu ſedentes, in errorem ſchiſmaticum ſeducti ceciderint; ſedes tamen abſque vitio remanſit. Maximum eſt illud, quod mente tenendum eſſe cenſeo: quia hæc eſt certa regula, & ſecura firmitas, quod ſedes, quæ originem receperunt a Sede Romana, cum qua tamquam filiæ uniuntur; una ſedes, ſive Cathedra cenſentur: licet tam in ſucceſſione directa in linea recta Romanorum Pontificum, quam collateralium, certi Pontifices in hæreſim ciciderint. Ab Abraham enim in Chriſtum generationes per Matthæum ſecundum lineam nominantur, licet non omnes in linea ſancti fuerint: Chriſtus tamen per eandem attingebatur.*

tur. Sic in Eccleſia, cujus hæc eſt figura, Chriſtus per rectam lineam Pontificum attingitur, malitia mediorum Præſulum non obſtante. Eſt enim ipſa linea, ſeu Cathedra ſancta, in Chriſti adventum indefectibiliter duratura uſque ad ſæculi conſummationem. Et rurſus in Libro ſecundo, capite xxi. *Legitur in Geſtis Hildebrandi, qui Gregorius Papa Septimus vocabatur, ſic*: Eſt autem privilegium Romanæ Sedis ſemper adſiſtere per Cardinales Presbyteros & Diaconos ipſi Summo Pontifici, vel Vicario ipſius Sedis: id eſt ei, quem ipſa Sedes Sacroſancta os ſuum facit; per quem & cum quo prædicat, per quem ſacramenta miniſtrat, per quem & cum quo firmanda confirmat, & improbanda improbat: qua non ſubſcribente, invalida eſt Summi Pontificis ſententia. *Ecce quomodo ab antiquo irrita fuit Romani Pontificis ſententia abſque Cardinalium ſubſcriptione, & quod Papa Sedis Apoſtolicæ os tantum fuit*. Hæc Nicolaus Cuſanus non minus vere quam acute.

19. Hac tamen diſtinctione admiſſa, quam ab ipſis Romanis Pontificibus adſertam negare non potes; repones, ſaltem a Romano Pontifice timendas mihi eſſe diras, & imprecationes. Fateor & mihi, & ceteris Catholicis maxime timendas: ſed quas ex judicio Sedis Apoſtolicæ, non ex judicio paucorum quorundam Theologorum Curiæ blandientium pronuntiarit Romanus Pontifex. Noſti illud Leonis Magni: *Manet Petri privilegium, ubi ex ipſius æquitate fertur judicium*. Noſti & illud Hincmari Remenſis: *Qua ſententia conſtat, quia non manet Petri privilegium, ubi ex ipſius æquitate non fertur judicium*.

20. Quæ ego in Tentamine Theologico tradidi de Poteſtate Epiſcoporum & Conciliorum, ea in numero ſaltem probabilium doctrinarum habenda dubitare nemini licet. Quis autem ferat, anathemate percelli a Romano Ponti-

ſice quemquam propterea, quod probabilem ipſe, adeoque graviſſimis fundamentis innixam opinionem amplectatur? Annon Pontificia æquitate & majeſtate foret indignum, ſiquis de Eccleſia eo nomine ejiceretur, quod eſſet Thomiſta vel Scotiſta? Cur ergo ejiciendus eſt Auguſtinianus? Opiniones a Thoma & Scoto inventas, adeoque Thomæ & Scoti ſæculo natas, cenſura notari ſub anathematis pœna vetant Romani Pontifices. Cur ergo anathemate dignum judicaturi ſunt Pontifices Romani, ſiquis opinionem tueatur mille & amplius ante Thomam & Scotum annis, imo ipſo Apoſtolorum & Apoſtolicorum Virorum ævo in Eccleſiam invectam a tot Epiſcopis ac Doctoribus eximiæ ſanctitatis? Nondum quippe ulli in Eccleſia erant Thomiſtæ, nondum Scotiſtæ ulli, cum Policrates Epheſiorum Epiſcopus Victori Romano Pontifici excommunicationem minanti, niſi Paſcha Romano more celebraret, ita reſpondebat, teſte poſt Euſebium Hieronymo in Libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis: *Se a multis ex toto orbe Fratribus eruditum, peragrata omni Scriptura, non formidare eos qui Aſianis minabantur: dixiſſe quippe ejus Majores, Deo obedire magis oportere, quam hominibus*. Quibus verbis plane ſignificabat vir fortiſſimus, tantum Romani Pontificis Decreta ab Eccleſiæ Decretis diſtare, quantum humana a divinis diſtant. Nondum ulli in Eccleſia erant Thomiſtæ, nondum Scotiſtæ ulli, cum S. Cyprianus eique adhærens tota Eccleſia Africana, *quos Stephanus Papa*, Auguſtino referente, *abſtinendos putaverat, ſi de ſuſcipiendis hæreticis priſcam conſuetudinem convellere niterentur*; non terreri ſe Stephani minis, adeoque irreformabile a ſe ejus contra Rebaptizationem Judicium non haberi, his verbis declarabat in frequentiſſimo Concilio octoginta ſeptem Epiſcoporum Collegarum ſuorum: *Supereſt ut de hac ipſa re ſinguli quid ſentiamus,*

pro-

proferamus : neminem judicantes, aut a jure communionis aliquem, ſi diverſum ſenſerit, amoventes. Neque enim quiſquam noſtrum Epiſcopum ſe Epiſcoporum conſtituit, aut tyrannico terrore ad obſequendi neceſſitatem Collegas ſuos adigit. Nondum ulli erant Thomiſtæ, nondum Scotiſtæ ulli, cum S. Auguſtinus de facto Cypriani adverſus Donatiſtas copioſe diſſerens, aperte conſtanterque docebat: vel tum cum Stephani Papæ Definitioni ac juſſis obfirmate repugnabat Cyprianus; vel tum cum Stephani minis contemptis venientes ab hæreticis rebaptizare pergebat; æque Catholicum permanſiſſe Cyprianum ac Stephanum, æque utrumque in unitate conſtitiſſe. *Duo erant* (inquit) *eminentiſſimarum Ecclеſiarum, Romanæ ſcilicet & Carthaginenſis Epiſcopi, Stephanus & Cyprianus, ambo in unitate Catholica conſtituti: quorum Stephanus, Baptiſmum Chriſti in nullo iterandum eſſe ſentiebat, & hoc facientibus graviter ſuccenſebat. Cyprianus autem in hæreſi & ſchiſmate baptizatos, tamquam non habentes Baptiſmum Chriſti, baptizandos in Eccleſia Catholica exiſtimabat. Multi cum illo, quidam cum iſto etiam ſentiebant: utrique cum eis in unitate conſiſtentes.* Aperte conſtanterque docebat, *ſi potuit Petrus contra veritatis Regulam, quam poſtea Eccleſia tenuit, cogere gentes judaizare; potuiſſe etiam Cyprianum contra regulam veritatis, quam poſtea Eccleſia tenuit, cogere hæreticos vel ſchiſmaticos denuo baptizari.* Aperte conſtanterque docebat, *non auſurum ſe tale aliquid adſerere, quale Stephanus juſſit*, NISI ECCLESIÆ UNIVERSÆ CONCORDISSIMA AUCTORITATE FIRMATUM; *cui & ipſe Cyprianus ſine dubio cederet*, SI JAM ILLO TEMPORE QUÆSTIONIS HUJUS VERITATIS ELIQUATA ET DECLARATA PER PLENARIUM CONCILIUM SOLIDARETUR. Ut pulchre admodum proinde direxit Illuſtriſſimus Gilbertus Choyſeulus Epiſcopus Tornacenſis, in celeberrima

Epiſtula ad Martinum Steyaertum: voluiſſe Deum, *qui*, ut ait Apoſtolus, *facit de tenebris lumen ſplendeſcere;* ut ex Cyprani errore, obſtetricante Auguſtini ratiocinatione, Catholica veritas oriretur. Hæc autem Catholica veritas erat, in quæſtionibus Fidei neminem eſſe pro ethnico & publicano habendum, hoc eſt, neminem eſſe ab Eccleſia exturbandum niſi eum, qui ipſam Eccleſiam non audiret: quæ quia Cypriani ævo mentem ſuam de Baptiſmo hæreticorum nondum Fidelibus aperuerat, ideo Auguſtino docente, retenta pace & unitate Eccleſiæ, Stephano Papæ aliter ſentienti & præcipienti non ſolum non obtemperare, ſed etiam intrepide obloqui & obſiſtere potuit Cyprianus. De quo an ſententiam aliquando mutaverit, neſcire ſe dicit Auguſtinus: (*fortaſſe factum fuit, ſed neſcimus*) Catholicum Epiſcopum permanſiſſe, & beatiſſimum Chriſti Martyrem occubuiſſe, nemo inficiatur. Nondum ulli Thomiſtæ erant, nondum Scotiſtæ ulli, cum Leo Magnus, Pontificiæ auctoritatis ſi quis alius retinentiſſimus, ſic de cogenda nova Synodo Œcumenica ad ſopiendas controverſias ex Epheſino Conciliabulo exortas Theodoſium Imperatorem adloquebatur: *Cui ſacramento quia impie nunc a paucis quibuſdam obviatur, omnes partium noſtrarum Eccleſiæ, omnes manſuetudini veſtræ cum gemitibus & lacrymis ſupplicant Sacerdotes; ut quia & noſtri fideliter reclamarunt, & ejuſdem Libellum appellationis Flavianus Epiſcopus dedit*, GENERALEM SYNODUM JUBEATIS *intra Italiam celebrari, quæ omnes offenſiones ita repellat aut mitiget*, NE ALIQUID ULTRA SIT VEL IN FIDE DUBIUM, VEL IN CARITATE DIVISUM. Nondum ulli Thomiſtæ erant, nondum Scotiſtæ ulli, cum Gregorius Magnus Joannem CPnum Patriarcham ſuis juſſis parere detrectantem, objecta Eccleſiæ auctoritate ineluctabili in hunc modum terrebat: *Quidquid hu-*

humiliter facere debui, non omiſi: ſed quia in mea correptione deſpicior, RESTAT UT ECCLESIAM ADHIBERE DEBEAM. Nondum ulli erant Thomiſtæ, nondum Scotiſtæ ulli, cum Eugenius III. pro finienda cauſa Cilberti Porretani, quæ in Pariſienſi Concilio ſe præſente agitata jam fuerat, rei difficultate motus ad Generalem Synodum provocabat. Ut enim ſcribit illius ævi Hiſtoricus nobiliſſimus Otho Friſigenſis Epiſcopus Libro I. de Geſtis Friderici, cap. 54. *Sentiens Papa, utpote vir cautus & religioſus, cauſæ difficultatem, protelandam eam* USQUE AD UNIVERSALE CONCILIUM *judicavit*. Nondum denique ulli erant Thomiſtæ, nondum Scotiſtæ ulli, cum Innocentius III. ad Philippum Auguſtum Gallorum Regem, matrimonium ſuum a Pontifice diſſolvi poſtulantem ita reſcribebat: *Si ſuper hoc* ABSQUE GENERALIS DELIBERATIONE CONCILII *determinare aliquid tentaremus, præter divinam offenſam & mundanam infamiam, forſan ordinis & officii nobis periculum immineret*.

21. Fateamur ergo, doctiſſime Galinde, non poſſe divinis mandatis refractarios & rebelles haberi eos, qui Romani Pontificis de Fide Decreta irreformabilia eſſe negant; niſi cum ipſis pariter refractarii & rebelles habeantur Beatiſſimus Martyr Cyprianus, & egregius Eccleſiæ Doctor Auguſtinus. Fateamur item, non poſſe de Eccleſia quemquam a Romano Pontifice exturbari propterea, quod Definitiones Concilii Generalis Pontificiis Definitionibus præfert; niſi ſimul ab Eccleſia extorres fiant quamplurimi & laudatiſſimi Prædeceſſores ejuſdem Pontificis, qui ſeſe Generalibus Conciliis inferiores re & verbo oſtenderunt.

22. Cauſam vero, cur mihi a Romano Pontifice timeas, unam tu illam adſignas; quod doctrinam meam ſubjacere videas *validiſſimæ objectioni omni homini ſuper Theologia Morali mediocriter inſtructo obviæ, deſumptæque ex condemna-*

mnatione ab Alexandro Papa VIII. facta 20. *Decembris anno MDCXC. ſuper xxxi. propoſitionibus, inter quas ea erat ordine xxix. dicens* = *Futilis, & toties convulſa eſt adſertio de Romani Pontificis ſupra Concilium Œcumenicum auctoritate, atque in Fidei quæſtionibus diſcernendis infallibilitate.* = O me miſerum & imperitum, qui in Theologia Morali ne mediocriter quidem inſtructus, damnatam ab Alexandro VIII. hanc propoſitionem ignoravi! Te vero longe fortunatiſſimum atque oculatiſſimum, qui toti Gallorum Regno florentiſſimo, & ſapientiſſimo, imo toti Eccleſiæ Catholicæ novum hoc & hactenus ignoratum Fidei myſterium pandiſti! Sed dic, amabo te, mi Galinde: quid Liber meus commune habet cum damnata illa propoſitione? Age, excutiamus illam, nativumque & obvium ejus ſenſum exploremus. Aut ego Latini ſermonis ſum plane ignarus, aut illa hunc ſenſum facit: *Futilis*, hoc eſt, vana & nullius momenti: *& toties convulſa*, hoc eſt, & toties profligata, exciſa, everſa *eſt adſertio de Romani Pontificis ſupra Concilium Œcumenicum auctoritate, atque in Fidei quæſtionibus diſcernendis infallibilitate.* Ubinam vero, quæſo, in Libro meo inveniſti, id a me adfirmari? adſigna locum, & herbam porrigam. Auctoritatem quidem Romani Pontificis ſupra Concilium Œcumenicum, ejuſque in quæſtionibus Fidei irreformabile Judicium, multis ego in locis impugnavi, aliorum potius quam meis verbis uſus. Verum id Alexander VIII. minime damnat: utpote qui id tantum damnat: quod propoſitionis verba præſeferunt. Verba autem propoſitionis ſenſum alium nativum & obvium non habent, niſi quem paullo ante expoſui: nempe adſertionem de ſuperioritate & infallibilitate Papæ futilem eſſe, ſæpiſſime convulſam eſſe. Id autem ego in Tentamine Theologico nuſquam adfirmavi: imo ad calcem Principii

V. Ro-

V. Romanos Theologos ſum adhortatus, ut modeſtiam ac moderationem æmulantes antiquorum Hiſpanorum, Cordubæ videlicet, Soti, Navarri, & Victoriæ; partes Romani Pontificis ſic tuerentur, ut ejus cum in definiendo inerrantiam, tum ſuperiorem Concilio Œcumenico auctoritatem, non tamquam certum & indubitatum Dogma, ſed tamquam probabilem Scholæ opinionem propugnare eſſent contenti.

23. Sed tu, credo, in ea ſententia es, ut exiſtimes, damnata propoſitione illa, damnari per conſequentiam quoque doctrinam Gallorum. Et non videtur tibi inſolitum atque inauditum, damnari a Romano Pontifice extra Concilium Œcumenicum doctrinam adeo antiquam, adeo Sacris Litteris Patrumque Traditioni conſonam: doctrinam tot celeberrimis Academiis, tot Doctoribus graviſſimis, & quod majus quiddam eſt, duobus Conciliis Œcumenicis, Conſtantienſi & Baſileenſi probatam? Scimus in Tridentina Generali Synodo eveniſſe non ſemel, ut propter auctoritatem unius Cajetani, alteriuſve Scholaſtici, a cenſura delatarum propoſitionum quarundam conſulto abſtinerent Patres reverentiæ cauſa. Et tu putas Romanum Pontificem, nulla habita ratione tot Conciliorum, tot Academiarum, tot Theologorum, eadem cum Gallis ſentientium; doctrinam de ſuperioritate Concilii Generalis, deque fallibilitate Romani Judicii damnare, & proſcribere ex Cathedra intendiſſe? An ignoras vulgare effatum: *Quod omnes tangit, ab omnibus debet adprobari?* Et illud: *Nemo judex eſſe poteſt in cauſa propria?* Deciſio hujus & aliarum ſimilium quæſtionum non minus Epiſcopos, quam Papam tangit. Quæ igitur ratio ſinit, ut eas Romanus Pontifex inconſulto Epiſcoporum Corpore, ſeu non audito Concilio Œcumenico ſolus deficiat, ſolus credendas proponat?

24. Sed ponamus, Alexandri Papæ in damnan-

mnanda propoſitione illa mentem fuiſſe, quam tu fingis. Quæro: utrum in damnationem illam conſenſerit univerſalis Eccleſia, an non? Si dicas conſenſiſſe Eccleſiam univerſalem, oppono ego Eccleſiam Gallicanam, univerſalis Eccleſiæ partem maximam & nobiliſſimam: quæ poſt editum & promulgatum Alexandrinum Decretum, conſtans in tuenda Majorum doctrina etiamnum perſeverat. Cujus rei certiſſimum ac plane invictum argumentum eſt, primum Defenſio Declarationis Cleri Gallicani poſt annum MDCXC. ab Illuſtriſſimo Boſſueto Meldorum Epiſcopo adornata, & anno demum MDCCXXX. Luxemburgi impreſſa. Deinde excitata occaſione Bullæ *Unigenitus* celebris controverſia, quæ ab anno MDCCXIII. ad noſtra uſque tempora Gallorum & Romanorum animos fœde exercuit. Denique Inſtructiones Paſtorales interjectaque a Bulla & a Pontifice ad futurum Concilium Generale provocatio Cardinalis Noallii Archiepiſcopi Pariſienſis, Colberti Monſpellienſis, aliorumque ſedecim Illuſtriſſimorum Galliæ Epiſcoporum: quibus appellantibus eodem tempore adhæſere Pariſienſis Academia, Doctoreſque ex Religioſis Familiis propemodum innumerabiles. Si vero fatearis, non conſenſiſſe in damnationem illius propoſitionis Eccleſiam univerſam, iterum rogo te; Cur ergo credere me jubes, quod univerſalis Eccleſia non jubet? Cur mihi Luſitano per te non licet, quod Gallo cuivis per Eccleſiam licet? Neque enim credo in ea ſententia eſſe te, ut hæreticis vel ſchiſmaticis Gallos adnumeres Alexandrinæ Definitioni refragantes. Concede ergo, aut Alexandro VIII. aliam mentem fuiſſe; aut non obſtare illius Decretum, quominus in Hiſpania & Luſitania propugnetur doctrina Gallorum.

25. Dices privilegium id eſſe proprium Romanæ Sedis, ut ubi aliquid ex Cathedra creden-

dendum proponit Romanus Pontifex, mox illud amplecti teneantur Fideles ſinguli, non expectato conſenſu univerſalis Eccleſiæ. Principium petis, dum id quod in quæſtione eſt, pro confeſſo adſumis. Ponamus enim definiri a Romano Pontifice aliquo, poſſe a ſe de medio tolli Apoſtolica auctoritate totum Ordinem Epiſcopalem; nihilque proinde Epiſcopos poſſe, niſi quod Papa ipſe velit eos poſſe. Neque enim deerunt in Romana Curia Theologi, qui Petri Paludani, Joanniſque de Turrecremata doctrinis imbuti, auctoritatem eam conſulenti Pontifici ſtrenue adſerant. Ponamus definiri, datam Petri Succeſſoribus a Chriſto eſſe poteſtatem deponendorum Regum, ſi qui vel Eccleſiæ rebelles, vel Pontificibus ipſis iniqui, vel regendis populis inhabiles videantur: id quod poſt Gregorium VII. Bonifacius VIII. in Extravaganti *Unam Sanctam*, poſt Bonifacium VIII. Paulus IV. in Bulla *Cum ex Apoſtolatus officio* definire viſus eſt. Ponamus definiri, verba illa Chriſti, *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari*, ſic intelligenda eſſe; ut Cæſari quidem tributum & obedientia debeatur, quamdiu Cæſar eſt; ſed Cæſarem eſſe deſinere, ubi Pontifici id placuerit. Hunc enim Evangelii germanum ſenſum eſſe contendit Bellarminus in Libro contra Barclajum, ut qui aliter ſentiunt, *temerarios*, *ſcandaloſos*, *hæreticos* vocet. Ponamus definiri, nullum in Clericos jus eſſe Principibus Chriſtianis; id quod Græcorum Imperatori perſuadere olim tentavit Innocentius III. ut ex capite *Solitæ*, *de Majoritate & Obedientia*, planum eſt. Ponamus definiri, non licuiſſe Regibus Galliæ, Hiſpaniæ, Luſitaniæ, & Siciliæ, de Regnis ſuis inconſulta Apoſtolica Sede expellere Jeſuitas. Quid enim vetat, adnitentibus iiſdem Jeſuitis eorumque in Romana Curia Favitoribus, hæc aliaque id genus nova dogmata ex Cathedra Fidelibus imperari? Rogo

go jam te: crederesne Pontifici ſic definienti? ſi ais, dico a nullis hoſtibus cavere ſibi magis debere Reges & Epiſcopos, quam ab hujuſmodi Theologis: qui dum uni Papæ ſubjiciunt ſpiritualia & temporalia omnia, totamque proinde humanam poteſtatem precariam faciunt; Reges non Reges, ſed Papæ Beneficiarios: Epiſcopos vero non Epiſcopos, ſed Papæ Procuratores haberi a nobis volunt. (Et re vera Imperium Germanicum Papæ *Beneficium* eſſe, jam olim Friderico Primo Imperatori per litteras ſignificavit Hadrianus Papa IV. Et Epiſcopos Papæ *Procuratores* adpellare non dubitavit Petrus Paludanus). Si negas, repono: ubi ergo eſt debita illa Romanis Judiciis obedientia, quam tantopere jactas?

26. Ad extremum mones, ubi de auctoritate Papæ & Concilii agitur, fruſtra me ad Auguſtinum confugere: cum ab eodemmet Alexandro VIII. proſcripta quoque fuerit hæc altera propoſitio: *Ubi quis invenerit doctrinam in Auguſtino clare fundatam, illam abſolute poteſt tenere, & docere, non reſpiciendo ad ullam Pontificis Bullam*. In quo & mecum parum candide agis, & ſenſum Pontificiæ Definitionis non videris probe adſecutus. Mecum parum candide agis, quia rem ita proponis, quaſi ego unius Auguſtini auctoritate uſus fuerim in extollenda Concilii poteſtate, nullamque Pontificiarum Bullarum rationem habendam duxerim. Atqui ego non Auguſtinum modo adlegavi, ſed etiam Gregorium Magnum, & Innocentium Tertium: adlegavi Concilia Œcumenica duo, Conſtantienſe & Baſileenſe: adlegavi inclytas Academias quinque, Pariſienſem, Viennenſem, Colonienſem, Erfurdienſem, & Cracovienſem: adlegavi celeberrimos Cardinales Zabarellam, Alliacenum, & Cuſanum: adlegavi Toſtatum Abulenſem Epiſcopum, Gerſonem Cancellarium Pariſienſem, Gloſſatorem Gra-

Gratiani, Abbatem Panormitanum, Dionyſium Carthuſianum, Joannem Driedonem, alioſque Theologos primi ſubſellii: quibus omnibus ineluctabile doctrinæ ſuæ argumentum ſuppeditat celeberrimus locus Evangelii: *Si te non audierit, dic Eccleſiæ*. Ubi Eccleſiæ Judicium, tamquam ſupremum & ultimum agnoſcere a Chriſto jubetur Petrus, Apoſtolorum & Chriſtianorum omnium vertex: quod ipſius etiam Romanæ Eccleſiæ perpetua conſtanſque traditio ad tempora uſque Clementis Papæ Octavi profeſſa eſt in Miſſalibus & Breviariis ſuis. Neque ego porro nullam Pontificiarum Bullarum rationem habui, qui in explicandis Bullis Eugenii IV. Leonis X. & aliorum, multum operæ temporiſque inſumpſi.

27. Non videris item ſenſum Pontificiæ definitionis probe adſecutus. Nam propoſitionem illam non ea mente damnat Romanus Pontifex, quaſi nobis non liceat Pontificias Definitiones ad ſenſum & doctrinam Auguſtini exigere. Nihil enim in Definitionibus ſuis diligentius cavere ſolent Petri Succeſſores, quam ne quid ſibi in definiendo excidat, quod Auguſtini certis & indubitatis placitis adverſetur; quæ placita illi probe agnoſcunt, Prædeceſſoribus ſuis omnibus totique Eccleſiæ Catholicæ probatiſſima eſſe & acceptiſſima. Illud ergo jure merito cenſura notavit Alexander VIII. Primum, quod in controverſiis Fidei decidendis potiores Auguſtini, quam Romani Pontificis partes eſſe, ſignificabat damnata Theſis. Quod falſiſſimum eſſe fateri debent, reipſaque fatentur vel illi, qui Judicium Romanæ Cathedræ, ſecluſo conſenſu univerſalis Eccleſiæ, irreformabile eſſe negant. Ut alios prætermittam, ſatis erit legiſſe Gerſonem in Tractatu *de Examinatione Doctrinarum*, Parte I. Conſideratione ſecunda, cui Pariſienſes omnes ultro adſentiuntur. Quamvis enim, cum res eſt de in-

inveniendo vero, fieri nonnunquam poſſit, ut illud Auguſtinus ſive privatus Doctor alius felicius certiuſque inveniat, quam ipſe Romanus Pontifex: (nam *in concernentibus fidem dictum unius Prælati præferendum eſſe ſententiæ Papæ, ſi melioribus rationibus & auctoritatibus moveretur;* cum Sylveſtro in Summa, verbo *Concilium*, docent ipſi Theologi Tranſalpini) tamen ubi de proponendo Fidelibus populis vero ipſo agitur, major proculdubio eſt auctoritas Summi Pontificis, quam cujuslibet alterius Epiſcopi. Major non ſolum extenſive, (quod ajunt) quatenus Definitio Pontificis ſe extendit ad omnes & ſingulas Eccleſias, cum Definitio Epiſcopi privatæ Diœceſeos limites non excedat; ſed etiam intenſive, quatenus ex ipſa ratione ac dignitate primæ Sedis majus pondus accedit Definitioni Pontificiæ, quam Epiſcopali; licet neutra per ſe internum adſenſum a nobis exigat, niſi accedente conſenſu totius Eccleſiæ. Atque illud ſane eſt, quod Donatiſtis ſcribebat Auguſtinus in Libris de Baptiſmo: *Nemo neſcit, Apoſtolatus Principatum cuilibet Epiſcopatui eſſe præferendum, & Cathedrarum diſtare gratiam.* Sed placet audire Gerſonem in Libello ſuperius memorato. *Neque porro ſequitur,* (inquit) *Papa poteſt in definiendo fallere & falli; igitur non eſt Judex idoneus. Concluditur tamen ex hac radice duplex veritas: prima, quod determinatio ſolius Papæ in his, quæ ſunt Fidei, non obligat, ut præciſe eſt talis ad credendum: alioquin ſtaret in caſu, quod quis obligaretur ad contradictoria, vel ad falſum contra Fidem. Secunda veritas eſt, quod ſententia Papæ ligat omnes Fideles ad non dogmatizandum contrarium, niſi per illos, aut apud illos, qui manifeſtum contra Fidem deprehendunt errorem, & ſcandalum grande Fidei ſuo ſilentio fieri cognoſcunt.* Itaque poſt Judicium univerſalis Eccleſiæ ſive Concilii Generalis, nullum admitti debet majus aut gravius, quam Papæ.

28. Illud deinde Alexander VIII. pari jure proſcripſit, quod auctoritatem Auguſtini Pontificiis Bullis quibuſcumque auctor illius Theſis præferre nullo diſcrimine videbatur, illis verbis adeo generalibus, *non reſpiciendo ad ullam Pontificis Bullam :* quod æque impium ac nefarium eſt. Revera enim quantacumque ſit auctoritas Auguſtini, minor tamen eſt auctoritate Eccleſiæ. Quamplurimæ porro Bullæ ſunt Pontificum Romanorum, quas Eccleſiæ adſenſus immobiles atque irreformabiles reddidit: utputa Bulla Leonis Magni ad Flavianum contra Eutychianos, Bulla Agathonis contra Monothelitas, Bulla Leonis X. contra Lutherum, Bulla Pii V. contra Bajum, Bulla Innocentii X. contra Janſenium. Nihil ſane in Auguſtino reperitur, quod his aliiſque Bullis a tota Eccleſia generaliter receptis ſit contrarium. Nullum ex indubitatis ejus placitis umquam damnavit, nullum, credo, in poſterum damnatura eſt Eccleſia. Si quis tamen in Auguſtinum æquo propenſior, ita ſibi de illius doctrina blandiatur, ut Eccleſiæ judicio vel poſthabito vel contempto, unum ſibi Auguſtinum audiendum putet: certe is & graviter errat, & Auguſtino ipſi non minus, quam Eccleſiæ eſt injurius. Anteponit enim auctoritatem Auguſtini auctoritati Eccleſiæ, cujus Auguſtino ipſo Judice tanta auctoritas eſt, ut id ipſum quod de Evangelio credimus, credere minime teneremur, niſi nos ad id credendum ipſius Eccleſiæ auctoritas cogeret. Notum illud eſt Auguſtini dictum: *Ego Evangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ moveret auctoritas*. Et illud alibi: *Neque nos tale aliquid auderemus adſerere, quale Stephanus juſſit, niſi Eccleſiæ concordiſſima auctoritate firmati.*

29. Superioribus cauſis tertia damnandæ propoſitionis addi poteſt ac debet non minus juſta: nempe quod quid Auguſtinus ſenſerit de Fide Catholica, auctor non ex Judicio Apoſtolicæ

Digitized by Google

licæ Sedis, ſed ex privato judicio ſuo interpretandum innuebat. Quod quam abſurdum & periculoſum ſit, utinam exitio ſuo numquam nos docuiſſent tot Scriptores; qui dum Auguſtini mentem plene ſe adſecutos vel credunt, vel fingunt, nihil minus quam Auguſtinum ſapiunt. Quod Janſenio Iprenſium Epiſcopo contigiſſe nemo ignorat: ut nihil jam de Luthero, Bajo, & aliis dicam. Atque hæc profecto ſunt, & non alia, quæ in duabus illis propoſitionibus damnata voluit Alexander VIII. Quibus tamen adſine nihil habere doctrinam meam, fatebuntur omnes, qui animo a partibus libero unam cum alia compararint. Stat ergo, & jure damnatam a Romano Pontifice utramque illam propoſitionem, & licere unicuique doctrinam Gallorum Auguſtino duce tueri.

30. Quod ſcribis de Beato Thoma Aquinate, adſertorem illum fuiſſe Pontificiæ infallibilitatis, nihil me movet. Quid enim Thomas ad Auguſtinum? nempe quod diſcipulus ad Magiſtrum. Et tu, cum Auguſtini teſtimoniis nihil terreri te ſignifices, vis tamen terreri me teſtimoniis Thomæ? Dicis Aquinatis doctrinam Chriſtum de cruce *tamquam de Cathedra* adprobaſſe. Video quo ſpectet narratio tua: nempe ad verba illa Chriſti Thomam de cruce adloquentis: *Bene ſcripſiſti de me Thoma?* Verum niſi prius oſtenderis, credere id nos debere ea fide, cui refragari nefas ſit; neminique proinde jam licere Theologum eſſe, niſi Thomiſtam; niſi etiam demonſtraveris, generaliter ſive univerſaliter accipiendum eſſe, quod ſimpliciter tantum ſive indefinite dixiſſe Chriſtus fertur: nihil omnino agis. Nam & per Concilium Epheſinum nobis Spiritus Sanctus dixit, bene ſcripſiſſe Cyrillum Alexandrinum: neque tamen inde colligere licet, debere nos in omnibus Cyrilli doctrinam amplecti. Similiter & per Eccleſiam ſuam nobis dixit Spiritus Sanctus, bene ſcripſiſ-

ſe

ſe Auguſtinum : & tu tamen, ubi de auctoritate Eccleſiæ agitur, contendis fruſtra me eſſe in citando Auguſtino.

31. Adde, quod non ita certum eſt, ſubſcripſiſſe Thomam illorum ſententiæ, qui Romano Pontifici privilegium non errandi adtribuunt, eundemque Concilio Œcumenico ſuperiorem faciunt. Certe Joannes Gerſon, quem ego in doctrina Thomæ non minus verſatum eſſe arbitror, quam te; in Sermone S. Antonii Abbatis, quem coram Patribus Concilii Conſtantienſis habuit anno MCCCCXVII. diſerte negat id, quod tu adfirmas. Poſtquam enim Decretum retuliſſet, quod Seſſione V. ejuſdem Concilii editum fuerat, & in quo Generali Concilio inferior ac ſubditus declaratur ipſe Romanus Pontifex, e veſtigio ita proſequitur: *Huic veritati fundatæ ſupra petram Sacræ Scripturæ, quisquis a propoſito detrahit, cadit in hæreſim jam damnatam, quam nullus umquam Theologus, maxime Pariſienſis & ſanctus adſeruit. Vidi nuper Sanctum Thomam, & Bonaventuram: (hic reliquorum libros non habeo) dant ſupremam & plenam Summo Pontifici poteſtatem Eccleſiaſticam: recte procul dubio, ſed hoc faciunt in comparatione ad Fideles ſingulos, & particulares Eccleſias.*

32. Patrum vero memoria Joannes Launojus, infinitæ propemodum lectionis vir, in epiſtula ad Chriſtophorum Fauvæum, quæ eſt ſeptima Libri tertii, non contemnendis argumentis demonſtrare adgreſſus eſt, immerito Thomam a Bellarmino adnumerari Defenſoribus Pontificiæ inerrantiæ. In duabus autem aliis epiſtulis ad Antonium Faurum, & in alia ad Paulum Ratuynum, quæ prima, ſecunda, & tertia ſunt prioris Libri, probandum ſuſcepit idem Launojus, quæ Thomas variis in Operibus grandia & magnifica ſcripſit de Romano Pontifice; ea illum ex ſuppoſititiis Conciliorum

teſtimoniis, ſpuriiſque nonnullorum Patrum locis fere deſumpſiſſe. Eo enim ſæculo vixit Thomas, quo pro genuinis habebantur multa, quæ poſterior ætas reſpuit tamquam adulterina. Pleraque enim teſtimonia ævo illo colligebantur e Decreto Gratiani, quod falſis antiquorum Pontificum Decretalibus, falſiſque veterum Patrum Scriptis refertum eſſe hodie ignorat nemo. Atque ejus generis quidem ſunt loca Cyrilli Alexandrini, quæ Thomas laudat in Opuſculo *contra errores Græcorum*: & Hieronymi epiſtula ad Damaſum, quam ipſe adlegat in 2.2. qu.XI. art.2.

33. Denique Anonymus Scriptor, qui Launoji epiſtulas doctis adnotationibus illuſtravit; in epiſtulam ejuſdem ad Antonium Faurum, quæ eſt prima Libri primi, hæc monuit: *An Thomas ſit infallibilitatis Patronis accenſendus, necne, adhuc ſub judice lis eſt*.

34. Neque loca tria, quæ tu in margine epiſtulæ indicas, rem plane conficiunt. Nam quæ Thomas ſcribit in Prima Parte, Quæſt. XXXVI. art. ii. ad 2., & in Secunda Secundæ, Quæſt. I. art. x. ad 2. (tertium a te laudatum e Quæſt. x. *de Potentia*, art. IV. ad 13. invenire non potui) nihil omnino habent, unde Pontificia inerrantia comprobetur. Illud enim unum utroque in loco docet Thomas, ad Romanum Pontificem pertinere editionem Symboli, quia ad illum pertinet Concilia convocare & confirmare, ubi Symbola Fidei condi ſolent. Hoc autem ne ipſi quidem Galli negant, quibus fixum ratumque eſt, *in Fidei Quæſtionibus præcipuas partes eſſe Summi Pontificis*, ſed non ſolas. Neque quia ad eum regulariter ſpectat convocatio & confirmatio Synodorum, colligere inde licet, omnem ſuam auctoritatem & firmitatem a Pontifice haurire Synodos etiam Generales.

35. Sed tibi ego non invitus adſentior, fuiſſe Beatum Thomam in ea ſententia, quæ docet

cet, Papam in definiendo eſſe infallibilem, & Concilio etiam Œcumenico ſuperiorem. An propterea non licebit mihi contrariam tenere & ſequi? Id tu quidem non obſcure ſignificas in ipſo principio Epiſtulæ, dum Beati Thomæ doctrinam a Chriſto de Cruce adprobatam dicis, eumque *Theologorum viam ſalutis ſequentium Principem* vocas. Ceterum quod ad illam Chriſti adprobationem pertinet, jam in ſuperioribus innui, piam illam quidem hiſtoriam eſſe, ſed hiſtoriam mere humanam; quæ tametſi in Romano Breviario legi ſoleat, impar tamen omnino eſt Theologicis concertationibus profligandis. Eſt enim apud omnes Theologos certum atque exploratum, inniti fidem noſtram non revelationibus Auguſtini, non Thomæ, non Brigittæ, non Tereſiæ, non alicujus privati Doctoris aut ſanctæ feminæ: ſed revelationibus Prophetarum & Apoſtolorum, quorum morte concluſum eſt Depoſitum Catholicæ Fidei.

36. Anno MCCCLXXXVII. Joannes de Monteſono Dominicanus Theſes xiv. Pariſiis propugnavit, quæ quia erroneæ & ſcandaloſæ videbantur, primum a tota Academia, deinde ab Epiſcopo ſunt confixæ. Provocavit ab hac ſententia Joannes de Monteſono ad Clementem Papam VII. Avenione ſedentem, quem pro vero Petri Succeſſore tum habebant Galli & Hiſpani. Academia vero ad tuendam cauſam ſuam Avenionem miſit Legatos quatuor, quorum Princeps erat Petrus de Alliaco, Cameracenſis poſtea Epiſcopus, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis. Multa pro ſe adlegabat apud Pontificem Dominicanus Doctor: atque in his illud: *Quod ſolius Sedis Apoſtolicæ erat declarare, damnare, & reprobare*. Item illud: *Quod eorum quæ tangunt fidem, ad ſolum Summum Pontificem pertinebat examinatio & deciſio*. Et quia ille a ſe eſſe Beatum Thomam vel putabat vel fingebat,

ejus ſe etiam auctoritate tueri conabatur dicens: *Quod Dominus Urbanus Papa V. per ejus Bullam Univerſitati Studii Toloſani ſcripſerat, & voluerat, ejuſdem Sancti doctrinam tanquam benedictam & Catholicam teneri a Chriſticolis & Studioſis, & eam pro viribus ampliari*. Quid vero ad hæc Alliacenus? nomine totius Academiæ ſic reſpondebat coram Pontifice: *Dicendum eſt, quod illud quod prædictus Frater ad ſuæ adpellationis fundamentum principaliter adſumit, ſcilicet, quod ſolius Sedis Apoſtolicæ eſt declarare, damnare, & reprobare. Et iterum, quod eorum quæ tangunt fidem, ad ſolum Summum Pontificem pertinet examinatio & deciſio.* HOC, INQUAM, CONTINET MANIFESTAM HÆRESIM: *& ideo propter hoc ſolum, ſi nihil aliud erroneum dixiſſet, Romana Eccleſia ipſum deberet cogere ad revocandum. Quia per illam excluſionem excluditur Univerſalis Eccleſia & Generale Concilium eam repræſentans, quod eſt hæreticum:* QUIA IN CAUSIS FIDEI A SUMMO PONTIFICE ADPELLARI POTEST AD CONCILIUM.

37. De Scriptis vero Beati Thomæ ab Eccleſia probatis quod Joannes de Monteſono opponebat, id breviter in hunc modum diluebat inclytus Academiæ Procurator: *Reſpondetur quod ex prædicta Bulla Domini Urbani, aut alia quacumque Littera authentica, non poteſt ſufficienter concludi, quod Sancti Thomæ doctrina ſit in omnibus adprobata, ſicut clare oſtendetur in tertio capite hujus Tractatus*. Et fidem ille ſuam quidem pleniſſime liberavit in *Apologia Facultatis Theologicæ Pariſienſis circa damnationem Joannis de Monteſono*, quæ extat ad calcem prioris voluminis Operum Gerſonianorum ex editione Dupini.

38. Annus tunc erat centeſimus decimus quartus a morte Thomæ: recenſque proinde & vulgaris tunc apud Pariſienſes eſſe debebat memoria illius viſionis, in qua Chriſtus de Cruce pendens doctrinam Thomæ comprobaſſe dicitur.

Re-

Recens quoque & vulgaris commendatio doctrinæ a duobus Summis Pontificibus Joanne XXII. & Urbano V. facta. Et tamen religioni non fuit celeberrimæ & prudentiſſimæ Academiæ, auctoritate Thomæ ſe tuentem Theologica cenſura confodere.

39. Rurſus anno MDXII. cum Thomas de Vio Cajetanus Pariſienſium placita oppugnaſſet, illudque octavo loco objeciſſet: *Sanctus Thomas & multi Theologi tenuerunt, Papam eſſe ſupra Concilium: ergo non eſt tutum oppoſitum.* Juſſus ab Academia Cajetano reſpondere Joannes Major, ſuperius argumentum in hunc modum disjecit: *Ad octavum dicitur, Beatus Thomas tenuit, quod Diva Virgo fuit in originali peccato concepta; quod materia non poteſt eſſe ſine forma de potentia Dei abſoluta: quod Deus poteſt modo facere duos Angelos ejuſdem ſpeciei ſpecialiſſimæ, & multa ſimilia, quæ omnino improbabilia in Schola putantur. De Theologis multo plures tenuerunt oppoſitum. Superius oſtenſum eſt, quod Auguſtinus & alii Doctores tenent partem quam inſequimur: hoc tenuerunt varii Cardinales, ut Joannes Patriarcha Antiochenus, Petrus de Alliaco, Nicolaus de Cuſa: Joannes Gerſon Cancellarius Pariſienſis, profecto numquam ſatis laudatus: & noſtra Facultas a diebus Concilii Conſtantienſis,* IN QUA PLURES EXERCITATOS HABEBIS THEOLOGOS, QUAM IN DUOBUS VEL TRIBUS REGNIS; *quæ ſic hanc partem fovet, quod nulli licuit adſerere oppoſitum probabile.*

40. Hinc autem illud etiam confeciſſe mihi videor, doctiſſime Galinde: ubi de auctoritate agitur Concilii & Pontificis, parum conſiderate a te dici Thomam, *Theologorum viam ſalutis ſequentium Principem.* Quod quid aliud, quæſo, eſt, niſi dicere, extra viam ſalutis verſari eos qui a Thomæ doctrina diſſentientes Concilium Pontifici præferunt? Id autem ſi ſerio adſeris,

expo-

expone jam, quo abituros putes Theologos Pariſienſes, quibus minime licet a Majorum doctrina diſcedere? quo diſcipulos Scoti, ex quibus Alphonſum Caſtrium Pontificiæ inerrantiæ & ſuperioritatis impugnatoribus adnumerat Bellarminus? Antonium vero de Corduba quæſtionem hanc inter adiaphoras poſuiſſe, ego in Tentamine Theologico ex ipſius verbis oſtendi. Quo denique diſcipulos illos Thomæ, qui cum Pontificem Concilio ſuperiorem agnoſcant, probabilem interea & Catholicam eſſe fatentur contrariam ſententiam? Veluti cum in Relectione *de poteſtate Papæ & Concilii* ita ſcribit Franciſcus Victoria: *De comparatione poteſtatis Papæ eſt duplex ſententia: altera S. Thomæ & ſequacium multorum & aliorum Doctorum tam in Theologia quam in Jure Canonico, quod Papa eſt ſupra Concilium: altera eſt communis Pariſienſium, & multorum aliorum Doctorum in Theologia & Canonibus, ut Panormitani & aliorum: quod Concilium eſt ſupra Papam.* Utroſque, licet contraria ſentientes, æque Catholicos nulloque diſcrimine habet ſapientiſſimus Thomiſta: neutros ergo verſari extra viam ſalutis putat Victoria. Et pari quidem æquitate utramque opinionem Gallorum & Romanorum, eodem ſæculo retulit Martinus Navarrus, cum ad caput *Novit*, *de Judiciis*, tum in Commentario *de Pœnitentia*. Dicatur ergo Beatus Thomas Theologorum Princeps, ſed Princeps utrorumque Theologorum. Dicatur ejus doctrina ab Eccleſia, imo ab ipſo Chriſto Domino adprobata; ſed eo modo adprobata, quo Auguſtini, Hieronymi, Chryſoſtomi, Cyrilli, & aliorum Doctorum: nec quia ab ejus placitis forte quis diſſidet, extra ſalutis viam ponatur.

41. Hæc cum ita ſe habeant, nulla jam, opinor, cauſa erit, doctiſſime Galinde; cur vel mihi a Vaticanis fulminibus timeas, vel Tentaminis Theologi vicem doleas. Nam me cauſæ

æquitas ſecurum facit Romanarum dirarum, quæ vibrari tantummodo in illos debent, qui recepta & inconcuſſa Catholicæ Fidei dogmata, vel indubitata Romani Primatus Jura oppugnant. De Libro vero meo non eſt, quod vereare, ne litterarium orbem non feliciter peragret. Scias enim, ex omnibus qui de illo ad me ſcripſere, unum te ad hanc diem inventum eſſe, qui carperes, qui erroris argueres. Illum de Luſitano in vernaculum ſermonem convertere Itali, & Galli. Roma præterea, Neapoli, Venetiis, Taurino, Pariſiis, Matrito, litteras ad me vel de me Oliſiponem dedere viri eruditi plurimi, qui & de felicitate Tentaminis gratulabantur, & doctrinam ejus laudibus ad cælum efferebant. Ne autem emendicata a me exterorum ſuffragia ſuſpicere, ſcito nullum ex iis mihi eſſe notum, nullum antea litteris compellatum, nullum beneficio vel gratia devinctum. Neque tamen propterea expers nævi omnis Opus meum judico: *Homo enim ſum*, ut ait Comicus, *humani nihil a me alienum puto*. Sed quod me damnatarum doctrinarum reum agis, non poſſum non moleſte ferre: qui nihil impenſius curo, quam ne quid ſcribendo excidat, quod vel minus probatum ſit, vel minus Catholicum videatur.

42. Illud vero multo me pejus habet, quod ad calcem Epiſtulæ ſcribere non dubitaſti: mirari te, & juſte quidem mirari, quod Senatus Luſitanæ Inquiſitionis *ſaltu præterierit*, quæ a me evulganda erant: ea nimirum, quæ tu a Romanis Pontificibus tamquam erronea damnata crederes. Sed quæ tu dicis a Luſitanis Inquiſitoribus *ſaltu præterita*, hoc eſt, feſtine ac negligenter diſcuſſa: iis examinandis integerrima Curia conſulto delegit Cenſores duos e Carmelitarum Excalceatorum Sacro Ordine, quorum eſſet præ ceteris ſpectata virtus, incorruptumque judicium. His tertius denuo acceſſit ex Ordine

dine Benedictino pari religione & litteratura, cui Tentamen Theologicum a me Latinitate donatum & propediem edendum, rurſus de more examinandum commiſit Senatus Fidei. Quocirca juſtius ego miror, religioni tibi non fuiſſe de Luſitana Inquiſitione tam ſiniſtrum temerariumque judicium tuliſſe: ut in re tanti momenti aliquid a noſtris vel oſcitanter lectum vel temere adprobatum judicares: quaſi Catholici eſſe minus Luſitani, quam Hiſpani ſcirent. At ſi *Regula Fidei*, ut Tertullianus ait, *una eſt, atque immobilis;* eam nos certe Fidei Regulam, unam atque immobilem conſtanter tenemus omnes, conſtanterque tenebimus uſque ad ſanguinem. Neque quia aliquid forte ſentimus vel ſcribimus, quod Romanis auribus diſpliceat, Catholici propterea eſſe deſinimus. Scimus enim Catholicam Fidem non Romanæ Curiæ placitis, ſed ſolo Dei Verbo ſcripto vel tradito contineri.

43. Depone igitur, mi Galinde, ſollicitum de fortuna Libri timorem. Depone de Luſitanis Cenſoribus ſuſpiciones illas tuas iniquas & præcipites. Omnes enim Dei gratia Catholici ſumus, perinde ac vos: omnes Romanam Eccleſiam Catholicæ Unitatis centrum agnoſcimus: omnes Romano Pontifici, Petri Succeſſori Chriſtique in terris Vicario, veram ſinceramque obedientiam profitemur etiam tum, cum noſtrorum vel Regum vel Epiſcoporum Jura pro virili tuemur. Vale, & ſi quid in te excidit paullo acerbius, parce. Oliſipone e Regia Domo Beatæ Mariæ Virginis de Neceſſitatibus Congregationis Oratorii, Auguſti die XV. anno MDCCLXVII.

FINIS.

527409

Nazionale V. E. III NAPOLI Biblioteca

527409

Digitized by Google